Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

KW
232 K25

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

FRIDERICI SPANHEMII
VINDICIARVM
pro EXERCITATIONIBVS *ſuis*,
DE GRATIA VNIVERSALI,
Partes Duæ Poſthumæ,

Adverſus

SPECIMEN ANIMADVERSIONVM MOSIS AMYRALDI.

Cum Præfatione

ANDREÆ RIVETI.

Acceſſit

APPENDIX
EZECHIELIS SPANHEMII FRID. FIL.

Ad Criticen Salmurienſem, & Grammaticas tricas.

Apoc. XIV, 13. *Beati mortui qui in Domino moriuntur, à modo, jam dicit Spiritus ut requieſcant à laboribus ſuis, & opera eorum ſequuntur eos.*



KONINKL. BIBLIOTHEEK TE SHAGE.

AMSTELODAMI,
Apud Ludovicum Elzevirium,
CIↃ IↃC XLIX.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

Ad Reverendos Viros

ECCLESIARVM

Per Gallias reformatarum Paſtores,

ANDREÆ RIVETI

PRÆFATIO.

REverendi, doctiſſimi & præſtantiſſimi Viri, fratres in Chriſto mihi plurimum obſervandi.

Non mihi propoſueram, hâc occaſione, apud vos verba facere, & iterum vos compellare, poſtquam, nonnullorum artibus, in noviſſimâ Synodo Nationali Carentoni ad Matronam ante quadriennium ferè, habitâ, procuratum fuit, ut quam ad vos ex officio dederam Epiſtolam, in Synodo quidem lectam, nec vobis tum ingratam, (ut ex eorum qui interfuerunt relatione didici,) ſine reſponſo dimiſeritis; ſub eo prætextu, quod ex regionibus exteris ad vos miſſa fuiſſet; quamvis à viro in Gallia nato, educato, & per annos quinque & viginti inter vos Paſtore, nec ſine Synodorum veſtrarum conſenſu & permiſſione, inter regni Franciæ fœderatos Sacram Theologiam profitente. Id ſanè mihi mirum fuit viſum, quaſi extraneus factus eſſem fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ. *Sed ex eo mihi innotuit, quid poſſent in aulâ fautores doctrinæ de* Gratia Vniverſali, & annexis capitibus, *quibus hodiè Eccleſiæ noſtræ apud vos turbantur: qui cum ſenſiſſent me non poſſe adduci, ut quam, unà cum fratribus omnibus dum in Gallia vixi profeſſus ſum veritatem, ſinerem, tacitus, oppugnari & immutari, vel, tanquam Euangelio adverſam traduci; quam velut ſolam verè Euangelicam dum apud vos ſacro fungerer Miniſterio, publicè ſemper voce & ſcriptis docui & aſſerui, nemine tum contrà nitente, ſed conſentientibus omnibus quibuſcum tunc ſanctam communionem colui; mihi voluerunt ſilentium apud vos imponere, ne deinceps, vobis in Synodo congregatis, illud iterum inculcarem*: Precor, vos fratres, ut ſpeculemini diſſi- *Rom. 16. v. 17.*

Pſal. 69. v. 10.

diorum & ſcandalorum auctores, præter doctrinam quam didiciſtis & declinetis ab eis. *Hoc eos adhuc malè habebat, quod cum mearum literarum & Conſiderationum in Synodo præcedente aliquam rationem habuiſſetis, mihique eo nomine pro veſtra humanitate, gratias egiſſetis, judicârunt è re ſua eſſe, ut penitus à vobis abſtraherer; & quod non potuiſſent à vobis obtinere, operâ delegati Regii qui aſſidebat, effecerunt, ut deinceps vobis prohiberetur, ne reſponderetis literis ad vos ex regionibus exteris allatis, ut ea ratione nomen etiam meum, quantumvis Galli, inter exteros comprehenderetur. Cum hoc ita ſtatutum fuiſſet, & in praxim redactum, ſtatui apud me ab hoc meo officio apud cœtus veſtros Eccleſiaſticos in poſterum abſtinere, ne vobis moleſtiam aliquam crearem, & ſuſpectos redderem neglectæ prohibitionis. Sed, quod omnibus, etiam re & habitatione extraneis, non eſt prohibitum, illud deinceps in communi poſſum uſurpare, ut publico ſcripto vobiſcum agam, & quod manu mea non licet, præli operâ exſequar, vobis vel ſeorſim unicuique, vel etiam pluribus unà congregatis, prælegendum. Id in hac occaſione feciſſet, ſi diutius ei vitam Deus prorogaſſet, vir Maximus, Theologus inter Orthodoxos paucis comparandus, & ſuo merito celeberrimus, extra Galliam quidem natus, ſed in Gallia, idque Pariſiis, apud conſanguineum Paſtorem, diu educatus, & in Gallicas Eccleſias benè affectus, nunc* ὁ μακαρίτης Fridericus Spanhemius: *Et ad id faciendum adductus fuiſſet, ut ſe apud vos purgaret à criminationibus & contumeliis, quibus eum in præfatione ad vos directâ, voluit onerare, vir quidem doctus & diſertus, ſed donis acceptis peſſimè uſus,* D. Moſes Amyraldus, *Hypotheticorum hoc tempore coryphæus: qui cum occaſionem quæſiviſſet in illum incurrendi ante aliquot annos, arrepta anſâ diſputationis Theologicæ philyra unica comprehenſæ, & in Schola Leydenſi ad exercitium ſtudioſi uninus pro more habitæ, dogmata de quibus autoritate Synodi ſilentium ei fuerat imperatum, aſſerere & vindicare, edito libro ſine examine & approbatione præviâ, auſus eſt; meque etiam inſcium (&, ſi ſciviſſem, invitum,) patronum appellare. Quàm provinciam cum ſuſcipere noluiſſem, inde factum eſt ut me adverſariis ſuis annumeraret, iiſque* acerrimis & infenſiſſimis, *meque eo nomine, peſſimè exciperet. Huic accuſationi reſpondi quantum neceſſe fuit, cum*

ger-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

germano fratre meo, etiam mecum impetito. Nec defuit ſibi & publicæ cauſæ, Reverendus & celeberrimus, Petrus Molinæus, *qui in eâ ætate, quamvis pluſquam octogenarius, ſolidiſſimum* judicium *edidit, vobis brevi communicandum, de* Specimine Animadverſionum contra exercitationes de Gratia Vniverſali, *quas Amyraldus in acerba hac & virulenta ad vos præfatione, mille modis cum autore ſuo infamare conatus eſt & in hoc ſuo ſpecimine toto, contemptu, ſcommatis, ſarcaſmis, & omni ludibriorum genere dehoneſtare. Nec vobis, ut ſpero, hæc mea accuſatio iniqua videbitur, poſtquàm vir Ampliſſimus in Parlamento Pariſienſi ſenator integerrimus, Amyraldo etiam amicus, cum, quorundam aliorum nomine, conquereretur, quod me contra illàm præfationem acrius, ut putabat, defendiſſem, rationem hanc addebat, quod ab ea Apologiâ abſtinere potuiſſem, quandoquidem, (quod tum neſciebam)* Epiſtola præliminaris, ſpeciminis, illic, ab omnibus communi conſenſu, improbabatur. *Alius quidam Reverendus ſenex, & cujus in eccleſiis noſtris laus eſt pro merito, in ea etiam Provinciâ in qua præcipuos & majoris auctoritatis fautores habet Salmurienſis doctrina, Paſtor, ſic nuper ad me ſcribebat:* Tu & ego ſummum amiſimus amicum, cujus obitus nunquam ſatis poterit deplorari, & qui privatim majori me dolore afficit, quàm ullius quem unquam amiſerim, Spanhemium nempe. Sed hoc minimum eſt, ſi cum noſtra conferamus, jacturam quam Eccleſia Dei univerſa perpeſſa eſt, Lugduno-Batava nominatim cum tota Academiâ. Deus velit quam ipſe fecit ruinam reparare, & aliquem ſuſcitare dignum, qui tanto viro ſuccedat, quique in doctrina ſua æquè ſit Orthodoxus. Non exceſſerunt duo menſes, ex quo ad me ſcribebat, Vindicias ſuas eſſe ſub prælo, mittebatque per ſtudioſum quendam tuam Synopſim, & Apologeticam Epiſtolam tuam & fratris tui. Valdè doleo, D. Amyraldum occaſionem dediſſe multa detegendi quæ taceri poterant, & Præfationem ejus magis ſatyricam, & minus Chriſtianam, quàm ulla quæ à longo tempore, ab ipſis maximis veritatis hoſtibus typis edita fuerit, plurimos adverſus eum exacerbâſſe, quod ei etiam non diſſimulavi. *Ex his poſteà judicavi*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

plurimos eſſe ex iis ad quos præfatio illa directa fuit, qui idem cum iſtis ſenſerunt, adeoque neceſſarium non eſſe pluribus adverſus eam, apud vos, amici defuncti candorem & honorem, cum noſtro, tueri. Sed cum vir ille ſanctiſſimus, quem cum longius abeſſem, decumbentem videre non potui, eique in extremis inſervire, à filio meo qui ex viciniâ Hagienſi juſſu meo accurrerat, ut ei à me fraterna omnia deferret officia, petiit inter alia, ut poſthumum ſuum opus, quod ſe bonâ cum conſcientia ſuſcepiſſe teſtabatur, ſeque cum ea quam in eo defenderat doctrinâ coram Chriſto comparere velle, quodque ex parte præcipuâ jam typis deſcriptum erat, parente ſuo orbatum, in tutelam meam reciperem, & in publicum prodiens, judicio meo, & mea commendatione comitarer: Id ego non potui nec debui fratri & amico intimo, cum quo toto hoc tempore quo apud nos vixit, eam contraxi amicitiam, qualis nulla major eſſe poteſt inter fratres conſanguineos, officium denegare. Itaque, cum apud vos accuſatus fuerit, alios deligere non opus fuit apud quos vel ille ſcripto cauſam ſuam ageret, vel ego lucubrationem ejus in eum finem ſuſceptam, dijudicandam ſiſterem. Cui video id accidiſſe, ita diſponente Deo, quod poſtremo Operis Aurelii Auguſtini, Pelagianiſmi olim flagelli, in quo tunc occupatus erat, adverſus arrogantiſſimum juvenem Iulianum Pelagianum, Eclonenſem Epiſcopum, pro defenſione libri ſui de Nuptiis & concupiſcentia, civitate Hipponenſi in qua ſenex degebat à Vandalis obſeſſa. Cum enim ibi diem obiiſſet ſuum, reliquit opus illud imperfectum, quod diu latuit, & noſtro tempore, è latebris erutum, ſe videndum præbuit, & orthodoxis lectoribus admirandum, in duobus relictis libris. In hac collatione diſpar eſt ratio, 1. Quod Auguſtino ſeni res eſſet cum Iuvene; & quod ejus opus diu in Eccleſia manſit incognitum. Frater autem ille noſter commiſſus fuit cum coætaneo, & à Deo nobis ſublatus in ea ætate in qua, juxta naturæ curſum, potuiſſet nobis diu ſupereſſe: Et quod hæc illius poſthuma lucubratio præli beneficio in publicum paulò poſt ejus obitum proditura eſt. Sed huic noſtro amico id cum Auguſtino commune fuit, quod cauſam gratiæ quæ eſt cauſa Dei, ageret, contra inimicos veræ gratiæ, latentes ſub laudibus naturæ; & quod in illo certamine diem ſuum clauſerit. Quod ei cum adverſario lis fuerit admodum immodeſto, cumque non minus ſuperbè calcante,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

te, quàm is, qui jactabundus hæc profert proſtrato & jacenti adverſario pedibus non inſulto, quod tamen facere poſſem. *Quod facit cum negat ſe facere. Quod ſi noſter hic nactus ſit adverſarium doctum & diſertum; Is qui Auguſtinum ſuperbè calcabat & juveniliter ei inſultabat, ac probris omnibus onerabat, non vulgaris eloquentiæ atque ingenii acuminis, & promptitudinis laude, (ſi benè illam applicâſſet) commendandus ſuo merito fuiſſet. Nollem tamen in omnibus cum illo noſtrum Antagoniſtam conferre, quamvis in doctrinâ de peccato originali ejus argumenta recoquat, cum ſuis collegis: In alia enim* de gratia univerſali omnibus & ſingulis, etiam qui de Chriſto nihil audiêrunt, *ad ſalutem ſufficiente, quamvis naturam convertat in gratiam, & creaturarum prædicationi nimium tribuat; non tamen eo uſque proceſſit, ut* gratiam electionis *particularem rejiciat, vel eam directè obſcuret, ſed tantùm per periculoſas conſequentias: nec multum abeſt à Iuliani methodo, ſi criminationes, & convitia ſpectemus, ut ex ſcriptorum collatione cuivis patere poteſt. Illud prætereà obſervatione dignum eſt quod quantumvis noſtri hypothetici, ſe à Pelagianiſmo remotiſſimos affirment; id etiam faciant qui, noſtro tempore, inter Pontificios Pelagianiſmum renovant: quibus alii qui in contrariâ ſunt Auguſtini ſententiâ, rectè & appoſitè hoc regerunt:* tantam eſſe inter errores Pelagianos connexionem, ut ſi vel unica Pelagiani dogmatis tenuiſſima extremaque fibra, quam vix oculis aſſequaris lynceis, reſervetur, tota ſuperbiſſimi illius erroris moles, cum omnibus dogmatum peſtiferorum ramis, reviviſcat, *quod voluit Proſper cum diceret* totius illius hæreſeos ſummam ſub exigua parte tegi, *De ingratis Cap. VIII.*

De qua plena mali labes, renovetur, & omne
Commenti corpus per ſingula membra reſurgat.

Si enim Pelagio tantillum detur, danda ſunt omnia; uſque adeo, inquiebat Ianſenius, ut qui unicam anguis illius mortui palpitationem, quovis verborum præſtigio, vel erroris minus perſpecti fuco, deluſus, in ſinu foverit, omnem illam veram gratiam extinguere, veram pietatem interficere, peccatum originale tollere, ſcandalum crucis evacuare, Chriſtum ipſum abjicere, ſupremæque ſuperbiæ thronum, velit nolit, erigere convincatur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

De Grat. Chriſti c. 17. *Hîc maxima cautelâ eſt opus.* Poterat, *inquit Auguſtinus*, Pelagius ſe latebris obſcuritatis hujus involvere, ut etiam iis quæ à S. Ambroſio conſcripta poſuimus, conſentire ſe dicat, & ea ſe quoque ſentire proclamet, ſemperque ſenſiſſe: atque ita ſingula conetur exponere, ut etiam ejus ſententiæ convenire credantur; *Ita hodiè fit in verbis Calvini, Martyris, Buceri, & aliorum, ut niſi quis diligenter attendat, periculum eſt ne decipiatur. Id etiam experta eſt Eccleſia Chriſtiana, ab eo tempore quo controverſiæ illæ fuerunt à Pelagio motæ. Nam cum dogma illud tandem cum autore, qui ſæpius ſuos examinatores fefellerat, & abſolutus fuerat ab hæreſi, damnatum fuiſſet,* Corpus commenti reſurrexit *in illa parte quam Semipelagiani, aliis partibus rejectis, retinuerunt, illaque ipſa poſteà per varias Synodos, & in ipſa Eccleſia Romana per ipſius Epiſcopos rejecta, ſubinde tamen ſe erexit, à magnis etiam, ſuo ſeculo, viris ſuſcepta; quales fuerunt in Germaniâ Rabanus Maurus cum ſuis; & in Galliâ, ad octavum uſque ſeculum Hincmarus Rhemenſis Archiepiſcopus cum ſua Synodo. Adverſus quam Eccleſia Lugdunenſis cum Epiſcopo ſuo Remigio ſtare neceſſe habuit, & Synodos opponere Synodis in cauſa Goteſchalci Presbyteri, malè propter Auguſtini doctrinam mulctati, ut ex ejus Orthodoxa confeſſione patet, quam ex manuſcripto edidit, cum tota illa Hiſtoria, à ſe ſummo cum judicio collectâ, vir magnus Iacobus Vſſerius, ab hoſtibus gratiæ, & patriæ ſuæ, ejectus, & dignitate Archiepiſcopatus Armachani, in Hibernia, dejectus. Adeò tenax eſt pix illa, ut quem ſemel attigerit, vix unquam ſine inquinatione dimittat. Hoc etiam noſtro tempore teſtantur acerbæ contentiones in regno Pontificio, quæ ante multos annos exortæ, quantumvis habeant quem ſupremum controverſiarum judicem agnoſcunt, & ſummum in tota Eccleſia Monarcham, qui ſæpè dictis tumida æquora placare conatus eſt, & ſcriptis eriſticis modum imponere, nondum potuit impetrare, ut* Moliniſtæ, *quos vocant*; Ianſenianos, *qui alibi, ſed maximè in hoc vicino Belgio, in præcipuis Academiis & Norbertinorum cænobiis & Auguſtini, quos vocant, Eremitarum, conventibus, à doctrina Auguſtini quam ſuam eſſe profitentur, dejicerent, efficerentque ut ab eâ vel latum quidem unguem diſcederent; fruſtrà connitentibus Ieſuitis, adverſus Auguſtinum & ejus ſequaces. Libri enim etiamnum circumvolant, in quibus* Petavius *Ieſuita*,

Ieſuita, & perſonatus quidam Ricardus *in eos fœdè debacchantur; Hic quidem ſub aliena larvâ, Petavius autem aperto Marte, ille ipſe cui hactenus pepercit Amyraldus, ab eo provocatus, in ſuis fratribus perſequendis nimium occupatus. Is* Ianſenium *quantumvis olim Epiſcopum, mortuum lacerat, tanquam* hebetem, veternoſum, attonitum, ſtupidum, amentem, inſanum, noctuarum more cæcutientem, talpis cæciorem, minus quàm præditum ratione animans, ſine ſenſu communi & judicio, Calvini aſſeclam, Calvini germanum, cujus intolerandi errores, incredibilis inſcitia & ſtupor, cujus os durum, frons nulla, portenta errorum, opiniones portentificæ, canoræ nugæ, interpretationes malicioſæ, calumniæ inſidioſæ, ineptæ fabulæ, inſulſa novitas, peregrinæ merces peſtilenti halitu afflatæ. *Qui* verò eum ſequuntur, eidem, Manichæorum luto & peſte involuti ſunt, libertatis everſores, liberi arbitrii corruptores, homines ineptiſſimi, novæ libertatis architecti, amore novitatis excæcati, ſemicatholici, Calviniani graculi, imò Calvino deteriores & abſurdiores. Qui ut πελχῖνες & malo ſpiritu afflati ſomniant, à quibus mens, judicium communiſque ſenſus avolârunt. Quorum doctrina imperita, & profana novitas, indoctæ fabulæ, labes, & flagitia novæ doctrinæ, arcana inauditæ ab omni ſeculorum memoria ſapientiæ, abſurda & ridicula omnibus mortalibus, paulum ſupra pecudem ratione utentibus, quæ nemo niſi conſummatus Stoicus, poſſit abſque riſu & ſtomacho audire; Denique, quorum tam portentoſa de libertate ſententia, ut ex ea multiplicium errorum ſeges, ac fidei totius, imo naturæ humanæ pernicies, ac rerum omnium perturbatio ſequatur. *Hæc & ſimilia ex Petaviano de libero arbitrio libro, collegit qui ſub nomine* Vincentii Lenis, *egregiè Petavium & Ricardum dedolavit Lovanii, cui inter alia hæc repoſuit:* Quis te genius, mi pater, à mente tua ſic derepente alienavit? Quis in Reverendiſſimum illum Antiſtitem, & fideles Auguſtini diſcipulos ſic efferavit? Ira, ſine dubio, ira & ægritudo animi, idque ut ægros ſolemus, miſeratione potius quàm aſpera caſtigatione toto hoc libello tractabimus, ut duo pariter inſaniamus. Scio quid repoſiturus ſis, Epiſcopum illum incœpiſſe, & Molinas tuos, Suarez, Vaſquez, Valentias, Leſſios, alioſque veſtri or-

dinis Theologorum apices ab eo malè habitos eſſe, & ideo ne quid deberes par pari retuliſſe. *Nempe hoc Petavium coquebat, quod Ianſenius* Erroris Maſſilienſium, *& quorundam recentium, nempe ſupra memoratorum Ieſuitarum* Parallelum *confecerat, per quinque capita, & notas octoginta, quibus Moliniſtas reos fecit, omnium errorum, quibus olim Semipelagiani Orthodoxis negotium faceſſiverunt: quæ* NOTÆ *ſi conferantur cum pleriſque placitis, objectionibus, & annimadverſionibus Salmurienſium, & qui eorum doctrinam ſectantur, reperietur non ovum ovo ſimilius eſſe; & ex eodem fonte vel lacuna hauſiſſe utroſque; ut mirum non ſit eorum anteſignanum in nos irruere potius voluiſſe, quam in Petavium incurrere: cujus hæc ſunt verba libro de hæreſi Pelag. cap.* 10. Evidens eſſe, eos qui efficientiam gratiæ proximè in ſolam derivari intelligentiam, ac per eam in voluntatem trajici putant, procul à Pelagiani vel Semipelagiani, contagione erroris abeſſe. *Quæ ipſa eſt pura puta doctrina Salmurienſis, ut ex eorum ſcriptis apparet. Quid autem ad hæc Vincentius lenis?* Quid aliud, *inquit*, volebat Pelagius, dum ajebat, Doctore tantùm ad implendam legem, non adjutore opus eſſe, doctrina & luce intellectus, non inſpiratione dilectionis? Aut explicet Petavius, qua viâ efficientia illa gratiæ ab intellectu in voluntatem, ſine immediata charitatis inſpiratione trajiciatur. Niſi enim hoc ſecundùm doctrinam Eccleſiæ Orthodoxam faciat, omnium ferè quæ Auguſtinus libro de Gratia Chriſti in Pelagio damnat, approbator, & plurimorum dogmatum, quæ in Synodo Arauſicana adverſus Semipelagianos ſtabilit, everſor eſt manifeſtus. *Ricardus autem Ianſenianos appellat*, calumniarum Architectos, homines exhauſti pudoris, novam Libertinorum nationem, qui hæreticorum nugas & flagitia deoſculantur, qui rancidas & ſtramineas reſponſiones ab hæreticis mutuantur. Qui nihil volunt niſi quod hæreticorum ſit. Qui nihil de ſe proferunt, ſed hæreticorum latrociniis ſplendent &c. Quorum coriphæus plus Auguſtinum in Calvino, quàm in Auguſtino legit. Qui Deum crudelem, immanem, & perfidum facit &c. *Hæc ideo hîc deſcripſi, quia tales libri non ubique proſtant, ex quo eorum inhibitio facta eſt Romæ, inſtantibus Ieſuitis; ut ſimul oſtenderem, unde apud nos tam hîc, quàm poſteà in Galliâ, hæc contagio ſerpſerit, ſi qui ſint ex Pontificiis qui*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

noſtris malis inſultent, & vulnus noſtrum ungue exaſperent, noſcant ſe domi habere quod agant, nobiſque hoc nomine, moleſti non ſint: nec putent ex aliquorum intemperie vel novandi libidine, diſſidium illud ita in nervum erupturum, ut inde ſchiſma, quod Ithaci velint, oriatur & religionis quam in confeſſionibus Eccleſiarum noſtrarum Regibus noſtris exhibitis profeſſi ſumus, talis accidat mutatio, quâ non facile dignoſcantur ab aliis, qui ſub Edictorum Regiorum fide, inter nos Deo ſerviunt ex verbi Dei præſcripto, in omnibus reformatæ Religionis fundamentis. Invigilandum tamen vobis ne longius ſerpat hoc malum, & augeantur diſſidia; ac eorum audacia coërceatur, qui nullis hactenus repagulis retineri potuerunt, quominus fræna laxarent ſuæ curioſitati, & unà ex Academiis occupatâ diſcipulos, ſuarum opinionum tenaces poſt ſe abſtrahant. *Quantum verò in eo ſit periculi, & quales à talibus magiſtris ſperari poſſint, eventus jam in multis docet, quorum nonnulli, ut audio, ſuper defuncti optimi Dei ſervi foſsâ, inſolenter tripudiant, optandumque fuiſſe dicunt, ut ante triennium fatis conceſſiſſet, quod tamen eorum magiſtro nollem adſcribere. Sed hæc deinceps veſtræ curæ ſunt committenda, qui non ignoratis quid in his provinciis olim acciderit, poſtquam in ipſis Academiis in factiones itum eſt; & quàm difficulter malo, cui ab initio non ſatis fuit præcautum, ſalutaris poſtea medicina potuit adhiberi; iis non auditis, qui de horum noviſſimorum temporum periculis cavendis, ſapienter & opportunè monebant. Exiſtimârunt nonnulli talia, quæ in cultu publico ordinario nihil mutant, cum eis non obſiſtitur ſpontè effluxura, & amiſsâ novitatis gratia, facile ceſſatura, quamvis nemo ſe opponat, nec deſunt viri boni qui etiamnum ita judicent. Et fortè iis calculum noſtrum poſſemus adjicere; ſi in una aut altera Eccleſia, privati quidam talia molirentur. Sed alia eſt Academiarum ratio, in quibus tanquam in ſeminariis educantur juvenes, qui poſteà Eccleſiis commendari debent: ex quibus velut ex equo Trojano, (quod olim dictum de Iſocratis ludo) innumeri dicendi Principes exeunt; à quibus poſteà manant, ſi ſua abutantur facundia, & novis doctrinis imbuti ad docendum, publicè admoveantur, aquarum corruptarum fluenta, totas regiones inundantia. Inde querelæ mutuæ; inde diſſidiorum ampla ſeges, inde ſuſpiciones graves, inde nunquam finiendæ lites, dum ex una in aliam, contradicendi ſtudio, fit illapſus; donec tandem ad extrema deveniatur. Quarundam itaque apud vos Synodorum Provincialium non poſſum improbare ſollicitudinem, quæ ſuis ad Nationalem delegatis*

gatis in mandatis dederunt, ut procurarent eos qui eorum juriſdictioni ſubſunt, deinceps gravi cenſurâ notari, ſi ſcriptis eriſticis vel mutuò ſe provocent, vel aliis provocantibus etiam exteris, ſuper his quæſtionibus reſpondeant, omnibuſque ſilentium imponatur ſuper iis controverſiis de quibus hactenus litigatum eſt, etiam ab extraneis laceſſitis. *Viderunt enim viri prudentes, quo animo ii, quos tenebat ſcribendi cacoëthes, cum iis prohibitum fuiſſet ne quicquam ederent in poſterum in talibus; ſub Synodi finem per ſuos fautores tam enixè petierint, (qui videbant ſe claſſicum ceciniſſe, & exteros provocâſſe) ut liceret ſi quis ex illis eis reſponderet* injuriam propulſare *quam ſibi inſerendam putabant, ſi ii, quos publicè impetiverant, aliquid eis reponerent. Quod cum obtinuiſſent, ſub hac tamen conditione, ut Synodus Andegavenſis, cui Salmurienſis Academiæ inſpectio demandata erat, prius inquireret an id neceſſarium foret; deinde non prius editionem ſcriptorum permitteret, quàm ex ipſa Synodo ad id delegatis, commiſſum fuiſſet eorum examen & approbatio. Sed fruſtrà hæc omnia. Qui enim noverat paucos eſſe in illa provincia qui à ſe non penderent, quorum maxima pars ſub illius & collegarum diſciplina ſtuduerat, facilè obtinuit, ut negotium illud totum ipſis Salmurienſibus Collegis demandaretur, idem ſecum ſentientibus, proinde in ſua ipſorum cauſa judicibus & arbitris, in qua etiam ita ſe geſſerunt, ut non ſolùm approbaverint & laudaverint ea quæ ſpectabant ad quæſtionem juris, ſed etiam accuſationes, & criminationes quæ verſabantur in factis, de quibus nihil certi poterant habere. Sic eluſa Synodi cautelâ, prodiit in publicum ſcriptum illud* ςηλιτευτικὸν *ad vos directum, cum* ſpecimine animadverſionum, *ideſt, convitiorum omnis generis, & indignorum ſophiſmatum & paralogiſmorum, Sylloge. Sic renovatâ diſſidiorum materia & auctâ, virum doctiſſimum & optimum, tam malè habitum adegit ad juſtas* Vindicias *parandas, illo ipſo tempore quo non ſolùm ordinariis utriuſque, quo fungebatur muneris, erat vacandum, ſed etiam quo extraordinariis occupationibus diſtinebatur, & gravibus premebatur negotiis, quæ non poterat per eorum auctoritatem quibus erat obnoxius, vel detrectare, vel in aliud tempus differre. Facili tamen negotio horis ſuccißivis omnia paraverat ad id neceſſaria, & potiorem partem Typographo commiſerat excudendam, cum Deo viſum fuit eum, ex Synodo Eccleſiarum linguæ Gallicæ, Harlemo redeuntem, jam male affectum, lecto affigere, & ſenſum ei imprimere, quietis ab omnibus ſuis laboribus approperantis. Quomodo*

modo

modo autem ſe ad eam compoſuerit, quo animo, qua vi ſpiritus vocanti Deo paruerit, quâ fide & ſancta παῤῥησίᾳ *ad eum acceſſerit, quàm ardentibus precibus eum invocaverit, quàm animo quieto ſanctam animam Chriſto Redemptori commendaverit, quàm pacatè eam in manus ejus depoſuerit, in quo* vivere & mori lucrum *deputabat; teſtes fuerunt quotquot aderant collegæ & alii plures, inter quos Reverendus ſenex,* Samuel Leſcherperius Riverius, *popularis & amicus noſter, Eccleſiæ Gallicæ Delphenſis Paſtor, qui duobus ante obitum diebus ei continuò affuit, & beatæ ejus migrationis teſtis fuit oculatus, eumque ultimus precibus & votis, exſpirantem comitatus eſt. Quæ omnia, cum aliis, ad laudes defuncti pertinentibus, eleganter proſequutus eſt, vir Reverendus & Clariſſ.* Abrahamus Heydanus, *ejus in profeſſione Theologica Collega, in illa funebri oratione, quam in amplo totius Academiæ conſeſſu, non ſine lachrymis ſuis, & omnium auditorum, profuſis, pronunciavit; quæ cum in lucem emiſſa fuerit, plura de triſtiſſimo, & mihi privatim luctuoſiſſimo eventu, dicere ſuperſedeo. Tanti viri opus hoc, imperfectum quidem, ſi partes integrantes omnes ſpectemus, ſi neceſſarias, ſi doctrinam & eruditionem non vulgarem, ſi acumen, & ſummam ingenii vim, perfectiſſimum; mihi commiſſum, admodum Reverendi fratres, offero vobis, illius quam ad extremum uſque vitæ halitum fidei & ſententiæ* de vera, ſalutari & efficaci Chriſti gratiâ *profeſſus eſt & defendit*, ſummam, & monumentum, *quod veſtrûm omnium candido & libero judicio ipſe voluit expoſitum. In quo, ſi nonnullis in locis videatur vobis in adverſarii ſui criminationibus & ſarcaſmis retundendis acrior fuiſſe; id ipſius nomine à vobis peto, ut non dedignemini ea quæ fortè videbuntur nimio* ſale *reſperſa, cum* felle amariſſimo, *eorum quæ maximo cum contemptu, liberaliter nimis, auſim dicere atrociter, in eum fuerunt conjecta, conferre. Videbitis id eum tantum præſtitiſſe ad quod in Diſſertationum ſuarum præfatione ſe obſtrinxerat, antagoniſtæ;* ſive ξύστραν ipſi adhibere placeret, ſive κτένιον, uteretur arbitrio ſuo, ſe hîc eum ſibi obſequentem habiturum, & ſtylum ipſi exemplo ſuo, quod religioſè ſequeretur, formaturum. *An ulterius, an eo uſque proceſſerit, necne, annon etiam in iis graviter (non per ſcommata & ſarcaſmos) ut Theologum decuit, non intercedo quominus liberè ſententiam veſtram proferatis. De grammaticis tricis contentionem conſultò declinavit, &*

cur eam non exiſtimaverit, immiſcendam eſſe gravioribus Theologiæ materiis, ipſe rationem affert pag. 324. *Penſum id,* quod ab aliis occupatum *meminit, ſi hîc non damus totum, id in aliud tempus ne volumen nimium excreſceret, dilatum fuit, non ablatum: præſertim quia doctiſſimus juvenis, qui hoc in ſe ſuſceperat, & maximam partem ad eum miſerat, admiſcuit multas diſputationes Theologicas, & longius proceſſit dum quorundam primæ reformationis doctorum, Calvini, Martyris, Buceri &c. exiſtimationem, ab hypothetica, quàm nonnulli eis affingunt, labe, ſtrenuè vindicandam ſuſcepit. Sed ne diutius inſultet defuncti manibus, Grammaticus criticus, nec inultus noſter amicus hac in parte maneat,* Ezechielis Spanhemii; *adoleſcentis, pro ea ætate, docti & patre non indigni filii,* privatæ pro parente Vindiciæ, *appendicis loco ſubnectuntur, quas etiam, viris literatis cenſendas exponit & dijudicandas.*

De me nunc, ut aliquid ſubjiciam, priuſquam huic præfationi finem imponam, locus opportunus poſtulare videtur. Ætas grandis & inclinata, quam Deus ad annum uſque vitæ meæ LXXVIII *prorogare voluit, quamvis in corpore, per ejus benignitatem, ſatis vegeto, nec gravibus ſenectutis incommodis ad hoc uſque tempus, tentato, me tamen* vetat ſpes inchoare longas. *Mihi, ſi unquam, cogitandum ad finem uſque vitæ, de communi mortalium ſorte, ut ad diem illum decretorium paratus inveniar, & deinceps iis intentius vacem meditationibus, quæ me à terrenis planè avocent, & ad cæleſtia cogitanda provocent. Nihil magis expeto, quàm, dum ad pacem illam æternam aſpiro & tendo, videam totius Eccleſiæ, ſed Eccleſiæ patriæ nominatim, ſtabilitam, non externam tantùm, ſed internam & domeſticam præcipuè pacem; ad quam, maximo lucro deputarem ſi quod vitæ reliquum eſt, ſine veritatis diſpendio, poſſem impendere. Teſtis eſt mihi Deus* καρδιογνώςης, *quod me non immiſcuerim his litibus, vel privato aliquo affectu ductus, ſive odii in quemquam, ſive livoris; ſive nominis mei propagandi, aut famæ acquirendæ ſtudio; qui latere maluiſſem, quàm in hac acie ſtare, ſi mihi per conſcientiam, in hac ſpeculâ à Deo poſito in Eccleſia, licuiſſet in otio ſpectare, illius veritatis cujus ante annos quatuor & quinquaginta præco, per Dei gratiam, factus ſum, inclinationem vel imminutionem, aut corruptelas: neque me etiam abreptum fuiſſe inconſiderato Zelo, nec ſponte quæſitis occaſionibus; ſed aliorum potius, quorum judiciis & hortationibus plurimum debeo, rogatu, quàm pro-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

propria inclinatione, & ea feciſſe, quorum me, Deo gratiâ, non pœnitet; ſi rem ipſam in ſe ſpectemus: nam in agendi ratione, non præſumo me ſemper ab infirmitatibus fuiſſe vacuum, quas in me plurimas coram Deo agnoſco, & ut ignoſcat precor. Spero vos in meliorem partem interpretaturos, ſi affirmare non dubitem, me in veritatis defenſione ex conſcientiæ ſenſu, ſincerè verſatum fuiſſe, non ſolum contra τοὺς ἐξ ἐναντίας *à quibus ſeparati ſumus: ſed etiam adverſus eos qui omnibus Eccleſiis reformatis litem moverunt, in iis capitibus in quibus à centum annis concordes fueramus, idem dicentes & ſentientes, ne uno quidem ex adverſariis communibus renitentibus, quorum hactenus nullus fuerit, qui inter Calvinum & Bezam non benè in his capitibus conveniſſe, auſus fuerit objicere, inter quos dum unà vixerunt, tanquam inter parentem & filium concordes fuerunt animi, & unius & ejuſdem ſententiæ, Beza etiam vivo Calvino cauſam illius ſuſcipiente contra Caſtellionem, Bolſecum, Pighium, & alios Semipelagianiſmi recoctores, nec quiſquam repertus eſt ex paſtoribus & profeſſoribus Genevenſibus ab illo tempore, qui diſſenſum in eorum dictis vel ſcriptis notaverit. Vnde manifeſtum eſt illum, quem hypothetici doctores nuper rimati ſunt, omni carere fundamento, & confictum fuiſſe, ut detortis eorum, Calvini præſertim ſcriptis, incautis fucus fieret, & novæ hypotheſes, ſub tanto nomine obtruderentur. Eo uſque tamen bona cauſa triumphat, ut artes illæ quibus conati ſunt nonnulli, Genevenſes & Helveticos Doctores & paſtores inter ſe committere, aut ad nova ſua dogmata inflectere, neminem repererint qui iis moveretur, & Calvinum, Bezam, Bulingerum, Muſculum, Pellicanum, Vermilium &c. Genevæ, Bernæ, Tiguri, Baſileæ, & ut verbo dicam, in tota Helvetia, aut confiniis, conſenſerint aliter docuiſſe ſenſiſſe quàm illi nunc nobiſcum unanimiter docent; quod etiam ignotum non eſſe poteſt Salmurienſibus; neminemque inter eos eſſe qui non unà nobiſcum uſurpet verba Cœleſtini in cauſa Proſperi & Hilarii:* In talibus cauſis non caret ſuſpicione taciturnitas, quia occurreret veritas, ſi falſitas diſpliceret. Merito namque cauſa nos reſpicit, ſi cum ſilentio faveamus errori. Ergo corripiantur hujuſmodi, non ſit his liberum habere pro voluntate ſermonem. Deſinat inceſſere novitas vetuſtatem, deſinat Eccleſiarum quietem inquietudo turbare. *Hæc me conſideratio adegit, ut, occaſione datâ,* non tacerem, propter Sionem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

nem, *ſed liberè quod ſentiebam aſſererem, & confirmarem. Feci quod potui, & nunc etiam vobis, tanquàm per tabulas teſtamentarias declaro, me in ea doctrinâ, quam Eccleſiæ noſtræ ab ipſis reformationis initiis, nominatim in articulis*, de natura & gratiâ, de prædeſtinatione ſanctorum, de vocatione efficaci, de juſtificatione & ſanctificatione, *& aliis omnibus ad id ſpectantibus, prout etiam hactenus in ſcriptis meis eam expoſui, profeſſæ ſunt; & quam tot martyres fuſo ſuo ſanguine, tanquam ſigillo confirmârunt, me, inquam, immori velle quam certiſſimam & verbo Dei conformem credo & agnoſco. Me nihilominus, ſi quid impoſterum, contra moveatur apud vos, aliis melioribus, quorum plures habetis, lampadem tradere; & quod video à piis & doctis viris deſiderari, à litibus deinceps abſtinere velle, & aliis exercitiis vacare: iis ipſis qui hactenus mihi, ſine cauſa, infenſi fuerunt, vel me gratis oderunt, precibus apud Deum procurare, mentem ab omni odio defæcatam, ab omni errore purgatam, nec ſub precum velo, convitia in eos congerere velle; ſed maledicentibus benedicere, iiſque mentem ſanam in corpore ſano ex animo vovere. Nec tamen velim, quemquam ex iis ipſis qui in contrariâ, & à me adverſa fuerunt, aut ſunt, in nonnullis, ſententiâ quæ noſtrarum Eccleſiarum communem oppugnat, exiſtimare me ex iis ſenibus eſſe de quibus ſolent jocari*, quod quæ juvenes didicerunt, ſenes nolunt perdenda fateri. *Quinimo eorum unicuique libenter & ex animo illud oggero, quod Auguſtinus ſenex, juveni & petulanti Antagoniſtæ*, Si me poſſes docere quod neſcio, non ſolùm te verbis, ſed etiam pugnis cædentem, patientiſſimè ſuſtinere deberem. *Id potius ab omnium veſtrûm charitate ſum exſpectaturus, ut ſi quid mihi exciderit, in quo exiſtimetis me modum exceſſiſſe, vel hallucinatum fuiſſe, corrigi paratum, dum adhuc in vivis ſum admoneatis fraternè, & intereà me precibus veſtris ſanctis juvetis, mecum à Deo petentes*, ut eripiat me ab omni opere malo, ſervetque ſuo regno cæleſti. *Ego viciſſim ab eo petam ex intimo cordis mei*, ut ipſe Dominus ſemper det vobis pacem, omni modo ſitque cum omnibus vobis, AMEN. *Scripſi Bredæ Brabantorum*, XV *Cal. Septemb.* CIↃ IↃ XLIX.

Ad Vincent. Victorem. lib. 4. de orig. animæ Cap. 3.

2. Tim. 4. v. 18.

2 Theſſ. 3. v. 16.

Vobis in Chriſto addictiſſimus frater,

ANDREAS RIVETVS.

FRI-

FRIDERICI SPANHEMII

VINDICIARVM EXERCITATIONVM DE GRATIA VNIVERSALI

PARS PRIMA.

Exhibens Defenſionem Argumentorum oppoſitorum opinioni de *Gratia Vniverſali* in *Theſibus* Lugduni Batavorum de argumento iſto diſputatis.

CAPVT I.

An propoſitum miſerendi particulare, quod Scriptura Deo tribuit, Act. XIII. 48. Rom. IX, 11, 12, 13, 18, 21, 22, 23. 1 Theſſ. V, 9. Iud. 4. *& aliis id genus locis, evertat dogma de voluntate Dei univerſali miſerendi omnium & ſingulorum hominum ad ſalutem?*

BREVIARIVM Capitis primi.

ARgumentum noſtrum contra Gratiam Vniverſalem. Reſponſio Animadverſoris. Ejus confutatio. Defenſio Animadverſoris. Ejus Examen. Petitio τοῦ ἐν ἀρχῇ *notata, & Gratiæ ſubjectivæ corruptio. Abſurdum Animadverſori impactum. Status quæſtionis perverſus. Dogma* ἀθεόλογον *notatum, & novum abſurdum. An remiſſionis peccatorum præco ſit natura. Ordo obſervandus, ab Animadverſore inverſus. Sententiæ novæ abſurditas. Nodus de impetratione remiſſionis peccati incredulitatis. An fructus ſatisfactionis omnibus deſtinatus fuerit. Contradictio notata. Dilemma de impetratione fructus ſatisfactionis. Abſurda varia novæ Theologiæ. Velleitas Deo perperam adſcripta. Ejus abſurditas. An intentio conditionata univerſalis de omnium ſalute Deo adſcribenda. Repetitio novies iterata illius quod eſt* τὸ κρινόμενον. *Diſſimulatio reſponſionum noſtrarum ad loca Scripturæ objecta. Injuſta accuſatio. Examen duplicis œconomiæ Dei ab Animadverſore conſtitutæ. Particularis miſerendi voluntas evertit univerſalem. An promiſſio, omnem credentem ſalvandum, ponat voluntatem univerſalem conditionatam in Deo omnes ſalvandi. Dogma Remonſtrantium ab Animadverſore adoptatum. Dilectionis univerſalis conditionatæ examen. Loquutiones indignæ perfectione Dei. An Deo ſint tribuendi affectus magis vel minus definiti. Gloſſa de induratione*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

tione notata. Abſurda varia, ἀκυρολογία, & contradictio, notata. An Deus alios quàm vaſa miſericordiæ ſalvari voluerit. An inclinatus dici debeat in ſalutem omnium. Loquutio identica, notata. An Deus præparet tantùm ad gloriam. An ſalutem omnibus paratam eſſe voluerit ſub conditione. An Deus aliquos ex prævíſione fidei ad ſalutem conſtituerit. Dogma Remonſtrantium adoptatum denuo. Implicatio Theologiæ Animadverſoris. Vnde prævíſio incredulitatis in omnibus. Ejus fundamentum evertit Gratiam Vniverſalem. Inenarrabilis φιλανθρωπία conditionata, merum ludibrium. An detur cauſa beneplaciti divini. Prævíſionis inutilitas. An Deus addicat interitui ex prænotione obſtinationis adverſus Euangelium. Ejuſdem prænotio univerſalis evertit Gratiam Vniverſalem. An deſtinatio Dei ad vitam vel ad mortem dici debeat actus miſericordiæ & juſtitiæ. An in diſpenſatione Gratiæ Vniverſalis detur concurſus virtutum Dei. An ea conveniat ſapientiæ Dei.

I. SIne phaleris & morſu rem aggredior, Lector, non Aretalogum acturus vel Theonem, ſed Theologum, nec vel Ordinem noſtrum proſtituturus, vel argumentum. Nihil ineptius olim creditum, quàm ſaltare in toga, vel comœdum agere in tragœdia: Nihil indignius Theologo, quàm ſibi & Lectori ludos facere in re ſeria & ſancta. Emblemata itaque & ſchemata omnia contumeliarum & dicteriorum, quibus totum opus ſuum non tam diſtinxit vel perſperſit, quàm farſit Animadverſor, ipſi integra relinquam. Animadvertet verò Lector ex collatione ſcriptorum noſtrorum, quis cauſam Chriſti ſpiritu Chriſti, prout fieri debet, inter nos agat. Argumentum quæſtione Capiti primo præmiſſa propoſitum, affirmatum à nobis fuit *Theſi* VI. ex eo quod Scriptura teſtatur, *Deum aliquorum miſereri, aliorum non, alios amaſſe, odiſſe alios, alios ordinaſſe ad vitam æternam, alios conſtituiſſe ad iram, & præſcripſiſſe ad damnationem, alios feciſſe vaſa iræ, alios miſericordiæ.* Reſpondit Animadverſor in Diſſertatione Theſibus noſtris oppoſita; *Sanè particulare aliquod miſerendi propoſitum doceri in Scriptura locis à me allegatis, quatenus Deus fidem quibuſdam abſolutè indulgere voluit, ut ſervarentur certo. Ex eo verò non ſequi, nullam fuiſſe Dei voluntatem univerſalem, ut omnes ſervarentur, modò crederent. Hanc doceri* Ezech. XVIII, 23. Joh. III, 16. I Tim. II, 4. II Pet. III, 9.

II. Reſponſio iſta accuratè à nobis excuſſa, Exerc. Parte I. à pag. 112. ad p. 177. & inter plurima alia demonſtratum. 1. Particulare iſtud propoſitum miſerendi, quod nobis concedere cogitur Animadverſor, reverà evertere univerſalem iſtam voluntatem. 2. Talem haudquaquam doceri locis ab Animadverſore allegatis, ad quæ ſingula exactè reſponſum. 3. Ob id ipſum quod Deus fidem quibuſdam tantùm indulgere voluit *abſolutè*, ſalutem interea à fide ſuſpendit, quæ aliunde haberi non poteſt, eum haudquaquam voluiſſe, ut omnes ſervarentur. 4. Dici non

poſſe,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

poſſe, Deum fidem reliquis indulgere velle vel *abſolutè*, vel ſub *conditione*, quæ vel non abſurdè ponatur, vel non recurrat cum conditionato. 5. Voluntatem iſtam univerſalem omnes ſervandi, modò credant, vanam eſſe, quum ſciat Deus, omnes naturâ incredulos eſſe, nec fidem ullum, niſi ſe dante, habere poſſe, nec tamen ejus gratiam innumeris facere velit. Nec hoc ſine aperto ludibrio dici poſſe, ratione omnium illorum, quibus nihil unquam vel de Chriſto, vel de fide in eum revelatum fuit. Inde *noluntatem* potiùs tales ſervandi concludendam, quàm *voluntatem*, tum ob conditionis iſtius exactionem, tum ob negationem *gratiæ* illi præſtandæ neceſſariæ vel *objectivæ* & *ſubjectivæ* ſimul, vel *ſubjectivæ* ſaltem, reſpectu omnium eorum qui non credunt, quum nemo poſſit venire ad Chriſtum, adeoque vel credere vel ſalvari, niſi Pater traxerit eum. Ioh. VI, 44. 6. Oſtenſum locis Rom. IX, 11. Actor. XIII, 48. & aliis id genus, voluntatem iſtam univerſalem everti.

III. Quid ad hæc Animadverſor? Poſt magnifica promiſſa, & cavilla varia (qualia, quia Dei Servos parum decent, cauſam ſanctam minus, abſit ut reponam, ceſſurus ipſi facile τὸ περὶ τὰ σκώμματα εὔστοχον, ſine diſpendio veritatis) Repetit 1. pag. 119. Diſtinctionem gratiæ ſuæ *objectivæ* & *ſubjectivæ* ſine neceſſitate. 2. In utriuſque deſcriptione peccat: *Illam omnibus expoſitam* ſupponendo, quod novit eſſe τὸ ἀμφισβητούμενον: *Iſtam* partim frigidè deſcribendo per gratiam *mentem comparantem*, quo, ſecundùm ſuæ Theologiæ placita, *immediatam* Spiritus Dei in cor vel voluntatem illabentis operationem negat, partim enervando, dum id duntaxat ei tribuit, quod *mentem ita comparet, ut admittere & amplecti queat id quod offertur*, quaſi potentiam tantùm id præſtandi conferret, & non actum, quum tamen det τὸ velle & τὸ perficere, & ipſum *credere*. 3. Supponit, *gratiam objectivam* omnibus offerre id *quod eſt credendum*, quod vel Chriſtus non eſt, & ſatisfactio ejus, vel dicendum, iſta omnibus & ſingulis hominibus oblata eſſe per τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ. 4. Fatetur *gratiam ſubjectivam* paucis indulgeri, adeoque quum ſine ea ſalus obtineri nequeat, quibuscunque Deus eam denegatam voluit, eos haudquaquam ſalvatos voluit, nec enim is ſeriò finem alicui velle dici poteſt, qui illi non vult medium neceſſarium, ſine quo finem aſſequi non poteſt, ſi præſertim & ipſe medium iſtud conſtituerit, & nôrit, illud niſi ſe dante haberi non poſſe.

IV. In ſequentibus p. 120. 1. *Statum quæſtionis* pervertit, eum ſic formando: *An remiſſio peccatorum per unam verbi prædicationem offeratur: An verò Deus ſpem ejus aliquam oſtenderit omnibus nationibus, omni tempore in diſpenſatione providentiæ?* Mutatur enim *ſubjectum*, & aliud eſt, quærere, an *remiſſio* omnibus offeratur, vel non: Aliud, an *aliqua ejus omnibus oſtendatur*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

ſpes. Prius, peccata actu expiata docet, poſterius, ea expiari poſſe. De priore etiam quæſtio inter nos inſtituta, non de poſteriore. Et quum *objectivam gratiam* dicat conſiſtere in *remiſſione peccatorum*, vel iſta (quæ utique *actualis* eſt, *potentialis* enim non eſt remiſſio, ſed *remiſſibilitas*) omnibus per *diſpenſationem providentiæ* in ſphæra naturæ proponitur, adeoque Chriſtus & ejus ſatisfactio, in qua ſola fundatur, & ſine qua credi non poteſt, & vocatio ad eam ſub conditione fidei & reſipiſcentiæ, quæ omnia ἀϑεόλογα, ut quæ naturam faciunt præconem Euangelii, & beneficii illi proprii, vel *gratia objectiva* univerſalis non eſt. 2. Conditio *fidei* & *reſipiſcentiæ* addita oſtendit, remiſſionem iſtam iis tantùm à Deo volitam eſſe, quibus utriuſque gratiam largitur. Quibus enim offerri dicitur? Incredulis & impœnitentibus, & incorrigibiliter quidem talibus ex ſe. Sub qua lege? ut *credant* & *reſipiſcant*, hoc eſt, ut non ſint, quod ſunt, & non poſſunt non eſſe, & ut faciant, quod facere non poſſunt, impotentiâ iis invincibili, ipſomet fatente, cujuſcunque generis illa ſtatuatur. 3. Ambiguè *omnibus nationibus* ſpem iſtam propoſitam dicit, quippe quod intelligi poteſt vel de quibuſvis, vel de omnibus & ſingulis nationibus. Prior ſignificatio & inutilis eſt cauſæ Animadverſoris, & locum tantùm habet in œconomia N. Teſtamenti, nec affirmari poteſt de œconomia Teſtamenti Veteris. Poſterior & falſa eſt, & nodum non ſolvit, ut enim univerſalis gratia ſalva maneat, omnibus etiam omnium nationum individuis propoſita dici debet. Quî verò id aptari poſſit iis inter gentiles, qui in prima ætate extincti fuere, & quos Deus ex non fœderatis naſci voluit, & ſtatim exſtingui, docebit nos, quando volet, Animadverſor. 4. Adde remiſſionis peccatorum argumentum totum Euangelicum eſſe, adeoque non diſpenſatione providentiæ, quæ pertinet ad naturæ ſphæram, annuntiari, ſed verbo tantùm gratiæ.

V. Addit ibidem; Quæri deinde; *An omnibus hominibus Chriſtus per ſuam ſatisfactionem veniam illam impetrârit, ut per eum ſervari poſſint, ſi modò credant & convertantur. An verò fructum ſatisfactionis paucis electis ita deſtinârit, ut nulla fuerit in aliorum ſalutem animi inclinatione propenſus?* Iſtud à me, illud à ſe doceri. At 1. Iſta quæſtio præmitti debebat, ut fundamentum prioris, quum univerſalis vel particularis oblatio pendeat ab univerſali vel particulari ejus deſtinatione, & impetratione, non contra. 2. Statum quæſtionis circumducta oratione denuo vel mutat, vel nequicquam involvit aliis verbis. 3. Meritò poſterius à me cum Scriptura docetur. Quibus enim Chriſtum veniam per ſuam ſatisfactionem impetraſſe cenſemus? Hominibus in peccato mortuis, & corruptis immutabiliter per naturam, qui ne cogitare quidem poſſunt aliquid boni, adeoque nec

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

credere nec ſe convertere. Sub qua tamen conditione ea talibus impetrata ſtatuitur ab Animadverſore? *Si modò credant & convertantur*, hoc eſt, ſi modò non ſint mortui, nec prorſus corrupti, & actu cogitent aliquid boni, imò faciant. Et hoc eſt diſputare! 4. Si Chriſtus per ſuam ſatisfactionem veniam, hoc eſt, remiſſionem peccatorum impetravit omnibus, vel non omnium peccatorum remiſſionem iis impetravit, vel iis impetravit etiam remiſſionem peccati incredulitatis & impœnitentiæ, idque vel *abſolutè*, & ſic omnes credent & reſipiſcent, vel ſub *conditione*, modò credant & reſipiſcant, hoc eſt, modò non laborent iſto peccato. Iſta ſanè Seraphica ſunt, & tam ſublimi Theologiæ inſtauratore digniſſima! Exceptiones Animadverſoris ad hanc ἔνϛασιν diſcutientur infrà peculiari capite, ubi oſtendetur, vel ſanguinem Chriſti nos non *purgare ab omni peccato*, vel incredulitatem & impœnitentiam non eſſe peccata, vel dandam etiam eſſe purgationem à peccatis iſtis, in iis, pro quibus ſanguis iſte fuſus eſt. 5. Fructum ſatisfactionis non *paucis electis*, ſed omnibus electis deſtinatum à nobis credi novit, qui *per ſe* multi, *comparatè* tantùm pauci ſunt, & hîc odiosè duntaxat pauci dicuntur. 6. Vel ſolis Electis fructus ſatisfactionis Chriſti *deſtinatus*, vel non: ſi ſolis electis, ſtat ſententia noſtra: ſi non, datur *prædeſtinatio univerſalis conditionata*, quam tamen reſorbuit Animadverſor Alençonii. Si etiam reprobis fructus ſatisfactionis Chriſti deſtinatus fuerit ſub conditione fidei & reſipiſcentiæ, vel totus fructus ſatisfactionis Chriſti iis deſtinatus erit, ſub hac conditione, vel pars ejus, hoc eſt, ſalus. Si totus fructus, vel fides & reſipiſcentia iis deſtinata erunt, vel non erunt inter fructus ſatisfactionis Chriſti: Si pars iſtius fructus, nimirum ſalus, pars iis deſtinata erit ſub conditione, ut jam partem aliam habeant, quam tamen non magis habere poſſunt, quàm partem reliquam, quæ ſub iſta conditione iis deſtinari dicitur, vel quàm efficere, ne ſint reprobi. Et quum gratia credendi & reſipiſcendi à ſolius Dei efficientia pendeat, ſub hac conditione ſalutem iis deſtinat Deus, ut id habeant, quod novit eos non habere, nec niſi ſe dante habere poſſe, quod tamen illis haudquaquam dare conſtituit. Præterquam quod ſic Deus ſub conditione fructum ſatisfactionis deſtinaſſe cenſetur innumeris, quibus tamen nec ſatisfactionem, nec ejus fructum, nec conditionem eo potiundi, unquam revelare voluit. 7. Si fructus etiam ſatisfactionis ſit *actualis remiſſio* peccatorum, omnibus actu remittentur; Si *potentialis*, & aliqua ejus ſpes, eundem ſatisfactionis fructum ſtatuit Animadverſor, quem Remonſtrantes. 8. Abſurdè ſupponitur, Deum *aliqua* in aliorum (hoc eſt omnium *præteritorum*) ſalutem *animi inclinatione propenſum* fuiſſe. Inclinationes enim id genus partim eorum ſunt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

qui *imperfectè* volunt, quod volunt, & *velleitatem* potiùs habent, quàm voluntatem, partim eorum, qui cum infirmitate volunt, quod volunt, quatenus exequi nequeunt, quod volunt. Neutrum verò Deo adſcribi poteſt. Et ſi Deus *aliqua inclinatione* in eorum ſalutem propenſus fuit, quî factum quod eos ab æterno *odit*, quod Chriſtus eos *nunquam novit*, quod iſtam inclinationem vel non integram eſſe voluit, vel non parere effectus ſalutares? Cur voluit eos naſci peccatores, & extingui vel ſine notitia ullius gratiæ ſive *objectivæ*, ſive *ſubjectivæ*, vel ſaltem ſine dono gratiæ *ſubjectivæ?* Sine quo tamen novit haudquaquam eos à damnatione immunes eſſe poſſe. Quis propenſiones & inclinationes id genus illi tribuat inter homines qui ſapere aliqua ſaltem ratione cenſetur? Et tamen tales, ſi Animadverſorem audimus, Deo tribuendæ, qui omnia in manu habet, & cujus vel efficientiâ vel permiſſione & directione omnia fiunt, quæ fiunt.

VI. *Denique* quæri ait *de intentione Patris Chriſtum dantis ad mortem: An ſolùm electorum ſalutem intenderit ex abſoluta quadam miſericordia, an omnes alios ejus compotes eſſe voluerit modò credere & reſipiſcere non dedignentur?* At 1. De intentione & miſeratione Patris non ultima ſed prima formanda erat quæſtio, quod à me factum. 2. Eadem argumenta intentionem iſtam univerſalem & conditionatam Patris evertunt, quæ univerſalem & conditionatam ſatisfactionem Filii, quæ ex ſupradictis patent. Nec, quia *quinquaginta* ἐρωτήμασι pugnat Animadverſor, ego XVII duntaxat *Theſibus*, quod obſervat ſolicitè, ut apprimè obſervatu dignum, id quicquam ad rei ſummam facit. Nec enim numerus, ſed pondus rationum apud ſapientes rem decidit. Nec ignorat, quamvis diſſimulet, plura argumenta una Theſi ſæpe à me comprehendi, & plurima etiam alia in Exercitationibus paſſim adjecta eſſe, quæ nobilis Diſputator ne tangenda quidem cenſuit, quamvis nihil à ſe prætermiſſum glorietur. Iudicet Lector candidus de fide & conſcientia utriuſque noſtrum ex collatione ſcriptorum noſtrorum.

VII. Subjicit p. 120. *OEconomiam univerſam divinæ voluntatis circa hominum ſalutem ad duos actus revocari*, quorum primum, nimirum promiſſionem & donationem Redemptoris, qui *ſalutem omnibus acquireret, modò credant*. 1. Iterum ſupponit, ſine probatione. 2. Pluries aliis verbis tribus paginis continuis repetit, modò *categoricè* id affirmando, quod novit eſſe τὸ κρινόμενον, modò *hypotheticè*. 3. Locis Ezechielis, Iohannis & Petri actum illum probari denuo ſupponit, nec verbo amolitur à me objecta & reſponſa ad loca ſingula. 4. Argumentationem meam *extra rem* eſſe dicit, & pertinere tantùm ad actum de diſpenſanda gratia fidei,

ſed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

ſed dicit tantùm. Scilicet ſic illis Deus & procurare voluit & donare Redemptorem in tempore, qui iis ſalutem acquireret, modò credant, quibus conſtituit vel non revelare planè nec Redemptorem, nec acquiſitionem ſalutis, nec conditionem, vel revelare tantùm, utut cæcis & corruptis penitùs, adeoque ab iſtorum amplexatione incorrigibiliter ex ſe averſis! 5. Negat à me demonſtratum, particularem voluntatem evertere univerſalem. Adeat quæſo Lector Exerc. Part. 1. Sect.v. & mirabitur hominis fiduciam, cui ſatis, dicere, *me id viâ atque ratione aggreſſum non eſſe*. Pro ratione adfert κρινόμενον, œconomiam ſuperiorem quæ ad omnes pertinet, ſecundùm modum conſiderandi noſtrum, in Deo *præceſſiſſe*, poſteriorem *ſequutam* eſſe. At à nobis demonſtratum, ſuperiorem illam fingi, non dari: Nec præceſſit itaque, nec ſequuta eſt. 6. Oſtenſum à me, particularem voluntatem miſerendi evertere univerſalem. Invertit ille argumentum, & dictat aliquoties, univerſalem non evertere particularem. Nec quæſtio eſt, an voluntas univerſalis evertat quamvis particularem, ſed an non hanc evertat, quæ reſtringit & amorem Dei & deſtinationem ac procurationem redemptionis, ac ſalutis ad certam hominum claſſem? An ſi quis probaret, Principem certos tantùm ex ſubditis ſuis amare, alios verò odiſſe, nunquam noviſſe, nec velle illis conferre ea, ſine quibus non poſſint non eſſe miſerrimi, non eo ipſo everteret amorem ejus univerſalem erga omnes? 7. Communem φιλανθρωπίαν & voluntatem dandi omnibus ſalutem, ſub conditione denuo ſupponit in Deo. At ſi talis in Deo fuiſſet, vel Deus non decreviſſet, ut omnes in uno impotentiam conditionem præſtandi inſuperabilem, cujuſcunque illa ordinis ſtatuatur, contraherent, vel non ſuſpendiſſet ſalutem ab iſta conditione, vel conditionis gratiam feciſſet omnibus. 8. *Omnes credentes ſalutem conſequuturos*, extra controverſiam, ſed non magis inde ſequitur voluntas univerſalis conditionata omnes homines ſalvandi, quàm ex axiomate oppoſito, *omnes non credentes damnandos*, ſequitur voluntas univerſalis conditionata omnes damnandi. Et quia à Deo *ſemel conſtitutum, futurum eſſe, ut omnes qui crederent, ſervarentur*, & ii quidem ſoli, & ſimul ipſi conſtitutum fuit, ſolis electis fidei gratiam facere, conſtitutum etiam ipſi fuit, ut ſoli electi ſervarentur. Fac, Principem ſuſpendere beneficium aliquod à teſſera, & teſſeræ iſtius tum patefactionem, tum donum ab eo ſolo pendere, & eum neutrius gratiam facere velle innumeris, an ullus, cui ſanum ſinciput, credet, Principem iſtum ſeriò voluiſſe, omnes omnino beneficium iſtud conſequi? 9. *Deum omnes homines ita dilexiſſe, ut neminem eorum à ſalute participanda rejectum eſſe voluerit, modò Chriſtum ipſe non rejiciat*, & τὸ ἐν ἀρχῇ eſt, & nudè repetitum, & à nobis accuratè confu-

confutatum ad locum Joh. III, 16. Et quî illis applicabitur, quibus Chriſtus nunquam propoſitus fuit? An rejici poteſt, quod nec cognoſcitur nec offertur? Annon ſic ſalvandi erunt innumeri, qui Chriſtum non rejecere? An etiam rejectio ſola Chriſti damnat, & non ejus etiam mera ignoratio, *negativa* quoque, hominem in damnatione relinquit? Notet itidem Lector dogma iſtud Remonſtranticæ pulpæ, ſolam cauſam rejectionis hominum à ſalute eſſe rejectionem Chriſti vel Euangelii. Si Chriſtus etiam ab æterno omnes dilexit, neminem odit. Si odium ordine poſterius dicatur, præterquam quod id falsò dicitur, æternum ſemper erit, & anterius vocatione, quæ fit in tempore. At in iſta vocatione poſt illud odium, Deus adhuc ſupponitur illis ipſis quos odit ab æterno, ſalutem velle in tempore ſub conditione, adeoque eos ſub ea amare; Annon ibi amor & odium Dei ſimul ſtatuuntur, & reſpectu eorundem quidem? Si ſub conditione tales amare dicatur, tales haudquaquam ſeriò amabit, quippe quos novit conditione iſta deſtitutos eſſe, & non poſſe non eſſe deſtitutos, & ſemper fore tales, & tales quidem eſſe & fore ex decreto ſuo, quum eos conditione iſta deſtitutos naſci voluerit, nec eruere ex hoc ſtatu, quamvis ab ipſo ſolo erui poſſint. Satis ſcilicet erit, dicere, talem impotentiam *moralem* eſſe, utut invincibilem, quamvis Deus in tali impotentia morali eos naſci voluerit, & in ea relinquere. Iſta ſanè denuo ſublimia ſunt, & digna tanto ſupercilio! 10. Abſurdè Deo tribuit, *quod veniat ab uno affectu ad alterum vehementiorem & magis definitum.* Reverentius nobis de Deo loquendum & religioſius, quàm ut *vehementiores* vel *minus vehementes, minus definitos,* & *magis definitos* affectus ei tribuamus, & prioritatem ac poſterioritatem inter illos, ut *ab uno veniat ad alterum.* Emblemata ſunt iſta novæ Theologiæ, & multum inde vel Dei gloriæ, vel reproborum ſolatio accedet, quum nemo ſine *vehementiori* & *magis definito* illo affectu ſalvari poſſit, quod Deus illis communi dilectione ſalutem voluit, ſub conditione, quam novit in illis nec eſſe, nec eſſe poſſe, & qua deſtitutos naſci & mori voluit, nec magis hoc impedire poſſe, quàm ſuam nativitatem. 11. *Miſericordiam univerſalem conditionatam* repetit denuo homo tam impatientis ad repetitiones ſtomachi; ſed repetit tantùm. 12. Si actus miſericordiæ, qui largitur, ut credas, ſit abſolutus, ut ait, abſolutè datur, vel negatur. Et quum ex ejus datione vel negatione pendeat ſalus aut condemnatio, abſolutè decreta ſalus aliis, aliis condemnatio. 13. Gloſſema τὸ *indurare* eſſe *permittere* ut *indurentur homines*, quod hîc ponit, quorum ſit, notum Orthodoxis. 14. Supponit itidem denuo τὸ κελνόμϑυον aliis verbis, *Deum* φιλανθρωπίᾳ *ſuâ in eam partem inclinatum eſſe, ut gratiſſimum habuerit omnes facere ſalutis compotes, dum-*

modo

modò eam ſuperbè non adſpernarentur. Si id verum, quid obſtitit, quominus Deus vel inclinationem ſuam, vel id quod ipſi gratiſſimum erat, effectum daret, ſuperbiam illam & averſationem tollendo, quod & ſapientiſſimè facere poterat, & facillimè. Sin eam in innumeris tollere noluit, ut noluit, & tamen eos in ea naſci & perire voluit, annon ridicula redditur iſta inclinatio in rem nunquam futuram, & quæ fieri non poterat, & quæ talis eſt ex decreto uno illius qui iſtam inclinationem habere dicitur? Et qui ſunt illi, qui ſalute indigebant, quos Deus ejus compotes facere voluit? Annon homines ita corrupti, ut gratiam non potuerint non *ſuperbè adſpernari* ſine dono ſuo, quod innumeris tamen indultum noluit? Talium tamen ſalutem gratiſſimam habuiſſe dicitur, & ad eam *inclinatus* fuiſſe, modò non eſſent, quod erant, & quod per naturam non poterant non eſſe impotentiâ invictâ, cujuſcunque ordinis ſit. Et qui gratiam Euangelicam *ſuperbè adſpernati* fuere, quibus Euangelium nunquam propoſitum? Quî illi, qui ea ætate exſtincti, quâ ne gratiæ quidem ullius vel nomen, vel naturam, vel ſpeciem percipere poterant? Qui talia homini non planè inepto adſcriberet, eum ad agnatos & gentiles deducendum cenſeremus omnes. 14. Quid magis ἀκυρόλογον, quàm dicere, *Deum ubi ſe accinxit ad fidem indulgendam, aliquos in æterna deſignatione deſtinare vaſa miſericordiæ futura, quos efficaci vocatione ad gloriam præparare decrevit? Accingere enim ſe ad fidem indulgendam* (quod ipſum etiam religioſius efferri poterat) notat actum in tempore editum. Deſtinare verò vaſa miſericordiæ futura actum æternum. Adeoque poſtquam Deus in tempore aliquibus fidem indulſit, deſtinat eos in æterna deſignatione ut ſint vaſa miſericordiæ. Deſcendat quæſo è ſapientiæ ſuæ faſtigio Animadverſor, & hîc ipſe ſe caſtiget. Obſervetur etiam Animadverſoris vel ratiocinatio, vel eloquutio, *Deum in æterna deſignatione deſtinare vaſa miſericordiæ futura, quos ſancta & efficaci vocatione ad vitam & gloriam præparare decrevit.* Annon verò iſta identica? Quid enim aliud eſt in æterna deſignatione deſtinare vaſa miſericordiæ futura, quàm decernere tales Sancta & efficaci vocatione ad vitam & gloriam præparare? 15. Si etiam fidem vaſis miſericordiæ à ſe præparatis tantùm indulgere voluit, illa tantùm ſalvari voluit, non alios quos ob nativam corruptionem ad incredulitatem & interitum comparatos videbat, & quos in hoc ſtatu naſci volebat, & in eo relictos interire. Et quî videbat omnes in *nativa* iſta *corruptione* ante liberrimum ſuum decretum, ut omnes in uno peccarent, & propter unum illum rei fierent, vel corrupti ſaltem, ſecundùm novam Theologiam? Et an malè *nativa* iſta *corruptio* à me dicta *impotentia naturalis?* 16. An Deus etiam *præparat* tantùm efficaci vocatione ſua homi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

nes ad gloriam? Annon gratiam in illis efficaciter operatur, per quam certò ducantur ad gloriam? At poteſt Præceptor etiam *præparare* diſcipulum ad aliquid, & diſcipulus *præparari*, qui juvatur tantùm, qui cupit præparari, qui cauſa ſocia eſt ipſius actûs, & qui fruſtra præparatur & ſine effectu. Nec tantùm dicendum, *Deum vidiſſe aliquos comparatos ad interitum*, ſed & *præſcriptos* ac *poſitos* à ſe ipſo. Hic etiam denuò ab Animadverſore ſola incredulitas cum Remonſtrantibus conſtituitur cauſa & interitûs & præparationis ad interitum. 17. *Vniverſalem* φιλανθρωπίαν ejuſque effectum, quorum utrumque πρῶτον ψεῦδος eſt, adhuc repetit, ne Lector rei novies unâ vel alterâ pagellâ inculcatæ minus memor eſſet. Nec ſine ludibrio Dei & hominum dicit, *Deum ſalutem & liberationem ab interitu paratam eſſe voluiſſe omnibus, modò* ἀπολυτρώσεως *auctorem per fidem amplecterentur.* Applicetur id iis, qui nihil unquam vel de ἀπολυτρώσει illâ, vel de ejus auctore audivere, vel per ætatem etiam audire potuere, & in genere omnibus præteritis, qui non magis auctorem ἀπολυτρώσεως per fidem amplecti poterant, quàm non eſſe corrupti. Vel etiam τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ ἀπολύτρωσιν iſtam & ejus auctorem propoſuit omnibus & ſingulis mortalium, vel non. Si prius, natura fuit præco Chriſti & myſterii Euangelici: Si non, falſum, iſta omnibus fuiſſe propoſita, adeoque ſub hac conditione ſalutem omnibus oblatam. 18. Deum aliquos *ex certiſſima fidei prævisione* ad *ſalutem conſtituiſſe*, quod addit, & falſum eſt, & heterodoxorum dogma, quod magno mercabuntur Atridæ. Nec ſufficit addere, Deum dare iſtam fidem, ſic enim inanis redditur iſta prævisio, & ex ea electio ineptè ſuſpendetur. Nec actus proprios dicitur aliquis tam prævidere, quàm velle vel facere, alienos verò potius prævidere dicitur. Scilicet, Deus eligit hominem, quia prævidet eum crediturum: prævidet verò eum crediturum, quia decrevit ei fidem dare! Cur per tot ſpiras circumducimur? Annon ſic decretum etiam de medio erit in intentione prius decreto de fine *comparatè*, & homo in executione prius ſalvabitur, poſt credet, quod eſt egregium εὕρημα novæ Theologiæ? Annon præſtat dicere, Deum aliquem eligendo ad vitam æternam ex mero ſuo beneplacito, velle illi in tempore dare fidem, per quam ad eam ducatur? Si etiam datur *incredulitatis* & *certiſſima* quidem *prævisio* in omnibus illis quibus Deus fidem dare noluit, an talibus ſalutem ſeriò voluit, vel velle potuit, quibus tamen fidem haudquaquam largiri conſtituit? An incredulitatis etiam prævisio eſt ſola cauſa conſtitutionis ad iram? An etiam hoc non eſt in ira potius relinquere tales, quàm ad eam conſtituere? At plus hîc docet Scriptura. Vnde etiam prævisio iſtius incredulitatis in omnibus? Inquies, ex prævisione corruptionis naturalis omnium in Adamo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

Adamo. An non verò quæſtio redit, unde fiat, quod & omnes in uno homine corrupti naſcamur, adeóque increduli, & quod Deus hoc prævideat? Annon adſcendendum hîc tandem erit ad merum Dei beneplacitum. Et quum incredulitas iſta prævideatur ex æquo in omnibus, paria verò non faciant diſcrimen, quî datur conſtitutio ad iram ob prævisam incredulitatem in hoc potius quàm in alio? An ſapiens etiam prævisâ certâ & incorrigibili corruptione in aliquo eo fine ad beneficium aliquod illum vocat, ſub conditione ne ſit certò & incorrigibiliter corruptus? 19. *Amor* iſte *communis* (hoc eſt, univerſalis) conditionalis quem ponit, merus coccyſmus eſt: ſi conſideremus Deum omnes in uno labi voluiſſe, nec tamen omnes in uno & cum uno erigere, quos novit poſt lapſum non niſi ſe erigente erigi poſſe. Quî Deus etiam *proſpexit permultos non eſſe credituros*, niſi poſt decretum permittendi ut omnes in corruptionem iſtam naturalem, & per eam in incredulitatem invictam inciderent? Quî etiam potius proſpexit *permultos* non eſſe credituros, quàm omnes ex æquo, quum omnes eſſent ex æquo in maſſa peccati? Cùm etiam omnes actus Dei æterni ſint, immò reverâ unus & ſimpliciſſimus actus, an non ab æterno Deus proſpexit fruſtra ſe ferri communi iſto amore in incredulos ſub conditione ne ſint tales, quos tamen novit non poſſe non eſſe tales, & quos per unius lapſum voluit eſſe tales, nec quicquam inde ſequi poſſe præter damnationem talium, adeoque hunc affectum conditionatum odium potius eſſe reverâ quàm amorem? 20. *Omnium velle miſereri modò crederent, opus eſſe inſignis miſericordiæ & inenarrabilis* φιλανθρωπίας, & ſcire eos non magis ſine dono ſuo credere poſſe, quàm corruptionem reliquam exuere, ludibrium eſt, non dogma ad conſolationem faciens Eoque magis quòd ad innumeros referatur, quibus nunquam vel objectum credendum, vel conditio neceſſaria revelata fuêre, ſi quis inter homines miſericordiam & φιλανθρωπίαν ſimilem laudibus efferret, non effugeret, quin vel pro ludione haberetur, vel pro inſano. Veræ miſericordiæ laus Deo reverâ conſtat, ſed quæ efficax eſt, & ad bonum illud actu hominem ducit, quod illi velle dicitur, vel id ſine conditione dando, vel dando ipſam conditionem, quando illa aliunde haberi nequit. Conciliet etiam Lector *inſignem miſericordiam*, & *inenarrabilem* φιλανθρωπίαν, quam Deo tribuit Animadverſor erga *præteritos*, cum ſtatu in quo eos naſci vult, & relinqui, quum, ipſo fatente, *præteritionem incredulitas certò ſequutura* fuerit, *incredulitatem damnatio*, & *quàm certa* eſt *electorum ſalus, tam infallibile* ſit *præteritorum exitium atque damnatio*. An inenarrabilis φιλανθρωπία Deo erga tales, quos ipſi pro liberrimo beneplacito ſuo ita præterire placuit, vel voluntas vel inclinatio ulla eos ſer-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

vandi ſine ludibrio aperto adſcribi poſſunt? 21. Nec *alicujus* duntaxat *odii*, ſed graviſſimi, & quo majus dari nequit, opus eſt, denegare alicui id donum, ſine quo nec ſalus attingi poteſt, nec evitari damnatio. Deum etiam *liberrimi beneplaciti* ſui in danda vel deneganda fide *cauſas apud ſe reconditas habere*, ἀθεόλογον eſt, nec enim ulla beneplaciti Dei cauſa dari poteſt, quippe quod ipſum prima omnium cauſa eſt. 22. Dogma Heterodoxorum crudè repetit Animadverſor p. 123. *Deum eos quos per gratiam ſuam credituros eſſe prævidit, deſtinare ad gloriam.* Nec negabunt Heterodoxi, qui electionem *ex fide prævisa* aſtruunt, homines per gratiam Dei credere. Imò ne *Pelagius* quidem redivivus id abſolutè negaret. Falſum etiam, hanc præviſionem dari ante deſtinationem ad gloriam, ob cauſam ante dictam. Et cùm, ex ſententia Animadverſoris, omnis crediturus neceſſariò ſalvetur, præviſione illa fidei datâ, deſtinatio ad gloriam erit ſuperflua. Semel enim præviſa in aliquo fide à Deo, cujus præviſio falli nequit, gloriam ille conſequetur, nec opus deſtinatione nova conſequente. Adde, Deum multos deſtinare ad gloriam, quos tamen prævidit non credituros, ut infantes extinctos in fœdere. Vna verò & eadem cauſa deſtinationis ſingulorum ad gloriam, deſtinantis nimirum beneplacitum. 23. Deum eos addicere interitui *quorum obſtinationem invictam adverſus Euangelium certiſſimè prænovit*, καθόλȣ falſum eſt, nec enim id de iis dici poteſt qui id nunquam audivere. Et quum obſtinatio iſta in omnibus non potuerit non prævideri cauſa, eſſe non poteſt, ut hic potius addicatur interitui quàm alius. Communia enim non faciunt diſcrimen. An etiam Deus illos ſalvari voluit, quorum obſtinationem invictam adverſus Euangelium certiſſimè prænovit, nec tamen emendare voluit? Si Animadverſorem audimus, dicendum erit, Deum obſtinatione iſta invicta laborantes ſalvari voluiſſe, ſub conditione, ne eâ laborent. 24. An deſtinationes iſtiuſmodi dici poſſint actio Dei, tum *miſericordis*, tum *juſti* hîc non diſputabimus. Si tamen negaretur Animadverſori ab aliquo, deſtinationem ad vitam magis actum miſericordiæ dici debere, vel deſtinationem ad exitium magis actum juſtitiæ quàm deſtinationem creandi mundum; debere vocari actum omnipotentiæ divinæ, hæreret dubio procul in nodo iſto expediendo. Si enim voluntas demonſtrandi potentiam non dici debet actus potentiæ, nec voluntas demonſtrandi miſericordiam vel juſtitiam, actus miſericordiæ vel juſtitiæ dici debebunt, ſed actus beneplaciti potius divini. 25. Et quia Deus *non credentibus voluit exitium obtingere* ab æterno, & voluit plurimos in incredulitate & naſci & mori, noluit omnes & ſingulos ſalvari. 26. *Intempeſtivè quæri* ait, *quomodo poſſit ea diſpenſatio, cum Dei ſapientia conſentire, quum in ea tot tantæque virtutes occurrant.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

currant. At & diſpenſatio iſta πρῶτον ψεῦδος eſt, & hic concurſus imaginarius. Nec quamvis cum Dei ſapientia conſiſtere poſſet, ſine ſcriptura ſtatuenda foret. Sic, an quia ad majorem vel ſapientiæ vel bonitatis divinæ commendationem facere videtur, ruinam non permittere, quàm eam inſtaurare, & ex parte tantùm, ut &, peccatum vel planè non permittere, vel uni duntaxat peccanti imputare, quàm omnibus talia ſtatuenda ſunt? Non intempeſtivè ergo quæritur, quî cum ſapientia Dei conſiſtere poſſit, tot abſurda ſecum trahens diſpenſatio? Nec ulla Animadverſoris vel præfidentia vel grandiloquentia nodos à nobis nexos unquam expediet. Nec quicquam cauſæ, cur fingatur *Sapientia exercitium reliquarum Dei virtutum intercipere*, ſi negetur Vniverſalis gratia. Haudquaquam enim fingendum exercitium virtutum Dei, indignum ſapientiâ Dei, inter quam quippe & reliquas, quas in Deo concipimus virtutes ſumma datur conſpiratio. Legitimum verò & Dei perfectioni conformem in œconomia gratiæ univerſalis virtutum Dei uſum dari, ſplendidè ſupponitur. Obteſtor hîc ſeriò Lectoris fidem, ut dicta noſtra mutua conferat, & judicet, an à nobis oppoſita, ab Animadverſore oppugnata fuerint, nedum everſa, & an projecta illa diſputandi ratio, per meras digreſſiones & repetitiones ἐν ἀρχῇ, tam magnificè, tot dicteriis ingeri debuerit. Dictum aliquando de aliquo, eum à themate ſuo non receſſiſſe, nec malè, nec enim ad id ullo modo acceſſerat. Idem de Animadverſore noſtro hîc & paſſim alibi, verè dici poteſt.

CAPVT II.

An *prima promiſſio* Geneſ. III, 15. *particularis* fuerit an *Vniverſalis?*

BREVIARIVM Capitis ſecundi.

ARgumentum noſtrum. Reſponſio Animadverſoris in Diſſertatione. Ejus Examen. Abſurda varia impacta Animadverſori. Calvinus *fruſtra allegatus.* *Ἀπαγωγὴ Animadverſoris. An ab averſione à ſerpentibus inferri debeat averſio à Dæmonibus. An univerſalitas promiſſionum neceſſaria ſit ad ſolatium. An fiducia omnibus concipienda victoria de Serpentibus. An omnes à dominatu Diaboli liberati dici poſſint. Contradictio notata. Alia obſervata. Diſtinguenda promiſſiones de mediis & de fine. An odium Diaboli reperiatur in omnibus. An & quî odium Diaboli ſit ingenitum.* An abſoluta & actualis *contritio capitis Serpentis indicetur, an verò* conditionata & potentialis. *Quid* הוא *deſignet. Gloſſema Animadverſoris confutatum. An per unos homines ſtet, quod fructum victoriæ Chriſti non conſequantur. Abſurda varia notata. An victoriâ excidant homines, eò quod credere dedignantur. Quid per* ſemen Serpen-

tis *intelligendum. Animadverſoris expoſitio confutata. Quæ ſimilitudo inter homines & Dæmones*, naturalis an moralis. Quid *per* Serpentem *intelligatur. Quî hiſtoria tentationis ſit intelligenda. An naturale odium inter homines & ſerpentes fuerit ante lapſum. Contradictio notata. Querela injuſta Animadverſoris. Erroris imaginarii abſterſio. Exempla ab iride & Serpente diſcuſſa. Serpens homini non adverſus ante lapſum. Philoſophia inutilis de veneno Serpentis, & propenſione ad morſum Gryphi Animadverſoris. Contradictio ejuſdem. Sententia noſtra truncata. Ejus probatio. Defenſio Animadverſoris de impiis & reprobis retuſa. Contradictio nova ejuſdem. Diſſimulata ab Animadverſore neceſſaria, occupata non neceſſaria. Digreſſio inutilis de hominis & ſerpentum odio. An odium hominum in Dæmonem ſit univerſale. Et unde illud. Digreſſio alia inutilis. Inſignis error Animadverſoris de anguibus. Cauſa cur calcaneum ſerpens dicatur petere. Aſſertio jocularis de victoria à ſerpentibus reportata. An Chriſtus omnium vas fuerit. An veniæ ſpem Deus fecerit omnibus. An omnibus ſe præbuerit placabilem, & an hoc ſufficiat. An facilis ſit hominibus victoria de Diabolo.* Ἀδολεσχία *notata & retuſa. Alia notàta. An omnes excellentis Dei vocationis participes fuerint. Qualis detur reſpectu innumerorum. An Diabolus etiam plagam tantùm faciat in inferioribus animæ partibus. An in mente ſit ſedes vitæ ſpiritualis. Corruptionis & ſanctificationis noſtræ extenuatio. Inania Animadverſoris effata. Petitio,* τοῦ ἐν ἀρχῇ. *An victoria nullo negotio ſit parabilis omnibus ſub conditione.* Ἀδολεσ-χία *alia notata. Digreſſio inutilis. An invidia Diabolorum in homines cauſa ſit imperium hominibus conceſſum in res aſpectabiles. Falſa aſſertio notata. Quî* φιλανθρωπία *Dei dicatur ferri in naturam humanam. Alia aſſertio falſa. Abſurda & falſa alia. An aliquis ſponte perire velit. Conditionis inanis propoſitio.*

I. A*Rgumentum* noſtrum *ſecundum*, quo voluntatem univerſalem miſerendi ad ſalutem omnium & ſingulòrum hominum deſtructum ivimus Theſi VI. ductum fuit ex Cap. Gen. III, 15. In quo diximus primam promiſſionem miſericordiæ, omnium aliarum radicem, contineri, eam verò particularem conſtitui, non univerſalem, illis quippe duntaxat deſtinatam, qui *ſemen mulieris* ſunt, contradiſtinctum *ſemini Serpentis, pro quibus, in quibus* & *à quibus* caput ſerpentis poſt caput ſuum, & illius virtute, vel contritum eſt, vel conterendum.

II. Reſpondit Diſſertator in Diſſertatione ſua duas in paucis verbis meis hallucinationes eſſe 1. Quod ſemen ſerpentis homines eſſe cenſuerim, quum tamen eo non homines deſignentur, ſed Dæmones, qui Diaboli Ducis ſui rebellionem ſunt æmulati. Hanc Calvini mentem fuiſſe. Et ſanè ut ſerpens qui mulierem decepit, non homo fuit, ſed Diabolus, vel ejus inſtrumentum: ſic ſemen ſerpentis in quod odii materia propagata eſt, debere eſſe vel Diabolos, vel ſerpentes. Alias ſemen non eſſe ejuſdem generis, cum eo ex quo profluxit. Impios ſanè appellari Diaboli filios, ſed oppoſitè Dei filiis, non ſemini mulieris. Si per ſerpentes etiam deſignarentur homines, reciprocum eſſe debere odium inter fide-

les

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

les & infideles, quod abhorret ab ingenio Chriſtianorum, & à Chriſti mandato. *Semen mulieris* etiam non denotare fideles, nec *quà fideles* ſunt, cum Evæ fides nuſquam proponatur ad imitandum, nec ea fidelium vocetur mater. Nec *quâ* ſunt *homines*, ſic enim omnes comprehendendos, nec aliquos vocandos ſemen ſerpentis. 2. Quod promiſſionem iſtam fecerim particularem, victoriæ verò Chriſti de Diabolo fructum talem non eſſe, nec maximam hominum partem à ſe repellere, quod hîc de Chriſto dicitur. Secundùm Calvinum, promitti hominibus in commune & indiſcriminatim, ſemen mulieris contriturum caput Serpentis, ne quis putaret ſe arceri à miſericordia Dei & ſpe veniæ. Hanc promiſſionem debuiſſe Adamum poſteris ſuis communicare. Hoc verò eſſe eam facere univerſalem. Promiſſionis illius oblivionem hominum culpæ imputandam & incredulitati, quod maxima pars nullum ex victoria illa fructum referat. Pleroſque à Diabolo ſuperatos, quod in caſtra victoris ſe recipere noluerint. Dato etiam, ſemine ſerpentis infideles ſignificari, Deum ita loquutum, quia prævidit fore, ut multi credere dedignarentur; Non ſequi tamen, ſi credere voluiſſent, quin naturam Serpentis exuerent, & pro ſemine mulieris haberentur.

III. Regeſſi inter plurima alia Exerc. part. 1. à pag. 183. ad p. 267. Ad 1. *Hallucinationem* illam vel mihi imputandam non eſſe, vel juxta mecum omnibus Theologis noſtris, qui per ſemen ſerpentis intellexêre homines: Dæmones quidem etiam intelligendos, à me diſertè dictum, ſed non ſolos. Vtroſque ita vocari, oppoſitos ſemini mulieris, quia in utriſque eſt virus ſerpentis, & is in iis exerit caput. Reprobos ſanè tales ſemen Serpentis eſſe & dici variis Scripturæ locis. Et ut fideles dicuntur *ſemen Abrahæ*, quia fidem ejus imitantur, ſic reprobos æquè ac Dæmones venenum & rebellionem Dæmonum & imitari & repræſentare. 2. Calvini verba à me vindicata. 3. Demonſtratum, illos non poſſe per ſemen mulieris intelligi, *pro quibus, in quibus* & *à quibus* caput Satanæ nec contritum fuit, nec conterendum. Imò in quibus id exerit, & per quos inimicitias cum ſemine mulieris gerit, obſervat & lædit calcaneum ejus, ac venenum ſuum diffundit. 4. Non ſequi, ſi ſerpens decipiens, Diabolus fuerit, ſemen ejus homines eſſe non poſſe, quum *figuratè* tantùm ſemen tribuatur Dæmonibus, adeoque ſpectanda ſit non *ſpeciei*, ſed malitiæ & maledictionis conformitas. Impios meritò hîc opponi ſemini mulieris, quia per iſtud intelliguntur illi ſoli quibus intercedit odium cum dæmonibus, qui conterunt caput ſerpentis in capite ſuo, & cum eo, & quorum calcaneum tantùm lædere poteſt. 6. Odium Filiorum Dei in ſemen ſerpentis non recedere, nec à Chriſti mandato, nec ab officio Chriſtianorum;

ferri

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

ferri enim non in perſonas, ſed in venenum earum, adeoque de jure illis incumbere. 7. *Semen mulieris* hîc denotare homines *quà fideles* ſunt, quippe quod inimicitias exercet cum ſemine Serpentis, quod caput ejus conterit & cujus tantùm calcaneum ſerpens lædit. Quæ nonniſi fidelium ſunt, fide promiſſionem cum muliere excipientium. 8. Chriſtum ipſum vocari ſemen mulieris, nec tamen ei fidem Evæ ad imitandum proponi. Hanc ergo denominationis cauſam ſolam non eſſe. Satis eſſe, fideles & ex illa muliere natos eſſe, & promiſſionem eandem excepiſſe, cum ipſa, & ejuſdem victoriæ & effectuum ejus eſſe hæredes. Ad 11, *Hallucinationem* inter alia plurima reſponſum, 1. Promiſſionem illam nec *abſolutè* univerſalem cenſeri poſſe, nec *ſub conditione*, tum quia nulla in textu, tum quia fruſtra facta foret illis, qui ex ſe nec conditionem ſcire poſſunt, nec ponere, quibus tamen Deo eam vel revelare non placuit, vel ejus gratiam non facere. 2. Victoriæ fructum ad eos tantùm pertinere, qui in capite ſuo conterunt caput ſerpentis, in reliquis ſerpentem caput exerere, & eorum capita conterere, *pro* nullo etiam Chriſtum fregiſſe Sathanæ caput, *in quo* id non fregerit. Victoriam verò Chiſti à maxima hominum parte ſemper ignoratam, multis revelatam, ſed gratiam non datam, ſine qua tamen nemo eâ potiri poteſt, quæ ipſa etiam gratia inter beneficia ipsâ victoriâ parta eſt. 3. *Tò repellere* vel *non repellere* de illis dici non poſſe, quibus aliquid nunquam propoſitum. 4. Calvini verba vindicata à p. 233. ad p. 243. 5. Promiſſionis communiter & indiſcriminatim propoſitæ oſtenſa ratio, & inconſequentia ad univerſalitatem ejus. 6. Diſpenſatione Dei multos planè privari omni cognitione & fructu miſericordiæ Dei in Chriſto demonſtratum. 7. Officium Adami ignorantis diſtinctionem filiorum ſuorum à Deo factam, non inferre univerſalitatem promiſſionis. Communicationem etiam externam promiſſionis ſine gratiæ internæ eâ potiundi collatione ſalutarem eſſe non poſſe. Ex œconomia etiam Dei judicium faciendum de latitudine promiſſionis, Deum verò ita omnia diſpenſâſſe, ne omnibus communicaretur. 8. Quia promiſſionis iſtius memoria intercidit apud multos, *gratiam objectivam* non eſſe univerſalem. Et cùm maximæ hominum parti nec victoria Chriſti, nec conditio ad ejus fructum neceſſaria propoſita fuerit, incredulitati illius non eſſe imputandam privationem fructûs iſtius. Imò ſi Chriſtus ſerpentis caput *pro* talibus contriviſſet, futurum fuiſſe ut id *in iis* etiam contereret, cùm conditionis iſtius fructus ſit gratia & juſtificans & ſanctificans, adeoque contritionem capitis iſtius ſub conditione non præſtabili inaniter ſtatui, quum incredulitatis ſublatio ſit ex potiſſimis fructibus iſtius victoriæ. 9. Omnes à Diabolo ſuperatos fuiſſe jam ante pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

promiſſionem, non ergo ſuperatos, quod ſe in caſtra illa recipere noluerint. Id etiam de iis dici non poſſe, quibus nec de victore, nec de victoria, nec de caſtris ejus, nec de modo in ea ſe recipiendi quicquam unquam innotuit. Imò *pro quibus* Chriſtus victoriam reportat, *in iis* etiam eum efficere, ut ſe in caſtra ſua recipiant. Conditionis enim gratiam partem fructus victoriæ eſſe, & ſine illa iſtam eſſe inutilem. 10. Prævisionem incredulitatis inniti decreto de permittendo omnium lapſu, & de non communicanda fide. Et quum prævisio illa non potuerit non eſſe æqualis reſpectu omnium, Deum noluiſſe eorum miſereri, quibus gratiam ex ea emergendi & non dedignandi victoriam largiri noluit. 11. Dicere, *ſi credere voluiſſent, futurum fuiſſe ut naturam ſerpentis exuerent*, idem eſſe, ac dicere, ſi naturam ſerpentis exuiſſent ex parte, futurum fuiſſe, ut eam exuerent. Nec enim credere vult, qui eam ex parte non exuit. Adde, τὸ credere non eſſe conditionem exuendi naturam ſerpentis, ſed ſalutis. Nec dici poſſe, Deum voluiſſe vel *abſolutè* vel *ſub conditione*, ut omnes crederent, vel ſerpentis naturam exuerent, ſine gravibus abſurdis.

IV. Quid ad iſta & plurima alia idgenus repoſita in Exercitationibus replicat Animadverſor? Variis locis & ſeparatis quidem confuſè admodum hoc argumentum attingit, ſed nullibi ad præcipua objecta reſpondet. 1. A pag. 19. Part. 1. quinque paginis fermè integris Calvini commentationem in hunc locum ſibi favere anxiè & prolixè contendit, nec ullibi tantum operæ in Scriptura vindicanda ponit. Iſta omnia retexere inutile foret. Nec enim humana Authoritate, quæcunque illa ſit, hoc argumentum decidendum. Vnde de ea in hoc opere, compendii unius cauſa, ſoliciti non erimus. Ne communi quidem Theologorum noſtrorum conſenſu hic urgebimus Animadverſorem. Conferat etiam Lector repoſita à nobis pro Calvino & è Calvino in Exercitationibus pag. 192. & p. 233, &c. & judicet cui noſtrûm Eximius ille Interpres faveat. Expendat etiam, Animadverſorem non nos Calvini verbis, ſed gloſſis ſuis urgere, nec ullibi dicere Calvinum, vel per ſemen mulieris omnes & ſingulos homines intelligendos, vel per ſemen ſerpentis tantùm dæmones, quæ hîc à me negata. 11. Probat Animadverſor, diſſidium inter homines & ſerpentes univerſale eſſe. Quid id ad rem? An ob id univerſale eſt inter homines & dæmones? An in illis locum habet, quos Chriſtus *Diaboli filios* vocat, & quos *facere opera* & *cupiditates patris* ſui docet Ioh. VIII, 41, 44? An ut à natura odium inſitum eſt generi humano adverſus ſerpentes, ſic & odium adverſus Diabolum? At hoc merum gratiæ donum eſt, & illorum tantùm, qui odio habent cupiditates & virus ejus. Sine veneno ſerpentum naſcuntur omnes, at cum veneno Diaboli naſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

cuntur omnes. An etiam ab averſione naturali à ſerpentibus inferenda averſio *moralis* à Diabolo? 3. An ſi principatum aliquem Deus homini reſiduum facit in ſerpentes, ſecundùm Calvinum, ille vel univerſalis eſt, & non plurimi etiam, cauti cæteroquin, interimuntur à ſerpentibus, vel ſi is univerſalis foret, an ſequeretur gratiæ principatum in Diabolum etiam univerſalem eſſe? An etiam, quia Calvinus dicit, in eo *hominum* habitam fuiſſe rationem, omnes & ſingulos mortales intelligit? An denique ex *Anagoge* ſequitur eadem latitudo doni naturæ & gratiæ, magis quàm quia Iſraelitæ boni & mali omnes educti actu ex Ægypto litterali, ſequitur eoſdem omnes actu eductos eſſe ex Ægypto ſpirituali, & quia omnes & ſinguli bibêre ex petra typica, omnes & ſingulos bibiſſe ex petra myſtica? *Multò maximam* etiam *hominum partem* à Deo *contemptam*, hoc eſt, præteritam, pro abſurdo ab Animadverſore haberi non debet, quum idem admittere cogatur in collatione electorum & reproborum. 4. Quaſi verò etiam homines miſeriæ ſuæ ſolatium in verbis illis habere non potuiſſent, niſi illa ad ſingulos pertinerent! An nullum ſolatium adferunt promiſſiones quæ non ſunt univerſales, verbi gratiâ, *legem meam inſcribam cordibus eorum, peccatorum eorum non recordabor amplius*, & alia id genus? Imò an ſolida conſolatio datur, ab iis quæ ſunt communia electis & reprobis, ſalvandis & damnandis? 5. ſupponit Animadverſor, non probat, omnes & ſingulos mortalium ex oraculo iſto fiduciam concipere debuiſſe, odium ſerpentum ſibi non nociturum. Et ubi fiduciæ iſtius in verbis illis fundamentum, & quale illud? Cur etiam *fiduciam* victoriæ de ſerpentibus omnibus, *ſpem* verò ejus tantùm de Diabolo omnibus propoſitam innuit? An iſta æquipollent? An *Calvinus* etiam quicquam aliud urget, niſi non ad literam de odio & ejus ſequelâ inter homines & ſerpentes tantùm ſermonem eſſe, ſed *anagogen* dari de victoria obtinenda adverſus Sathanam, & id præcipuè Deum ſpectaſſe? An verò hoc à nobis negatum? 6. Cur ſupponit etiam, Deum vitæ corporeæ omnium iſto oraculo adverſus vulnera ſerpentum proſpexiſſe? An abſurdum, paucos ex Diaboli dominatu liberatos eſſe per Chriſti redemptionem? Annon ipſemet *abſolutè* hoc tantùm ad electos pertinere docet? Sin ſub *conditione* liberatos alios intelligit, nec *abſolutè* id efferendum erat, nec id locum habet reſpectu innumerorum, quibus Deus conditionem ne revelari quidem voluit, nedum largiri; Et quum incredulitatis relictio in homine ſit pars dominatûs Diaboli in homines, homines liberabuntur à Diaboli dominatu, ſi ſe prius ipſi ex parte ab eo liberent. Quod tamen non magis præſtare poſſunt, quàm integram ſui liberationem. 8. *Calvinum* per *homines naturam humanam*, hoc eſt, omnes & ſingulos ibi intel-

intellexiſſe *collectivè*, eſt τὸ κερνόμϑυον. Ita verò homines ibi intelligit, prout opponuntur ſemini ſerpentis, hoc eſt, dæmonibus, nec eorum vel *ſimulachra* ſunt, vel *inſtrumenta* vel *mancipia*, & prout conterunt actu capita eorum in capite ſuo & cum eo, & prout calcaneum tantùm ab iis læſum habent. An verò iſta communia omnibus & *ſingulis* hominibus? An monendus denuo erit tam ſublimis Doctor, *in materia contingente, indefinitam propoſitionem non æquipollere univerſali?* Annon *Calvinus* diſertè ſubjungit, *non omnes animis diſſidere* à Sathana, quamvis univerſale ſit Dæmonum in homines odium, ut ipſe notat Animadverſor & tamen ibidem diſertè Calvino contradicit mira oſcitantia, paucis poſt lineis, inquiens, *omnes homines odium inexpiabile adverſus eum* (Sathanam) *ſinu fovere.* Quod longè durius illis, quæ Calvinus ibidem habet, & quæ vexanda non ſunt, obnoxia alioqui contradictioni. Scilicet odium tale in iis reperitur qui Sathanæ ingenium habent, cum eo tota vita colludunt, & Deum ac homines alios qui Dei imaginem referunt, odio habent! Prioribus itaque verbis promiſſionis, Deum omnes omninò homines comprehendere ex Calvini ſententia, falſum, adeoque nec id facit in poſterioribus. Et quid abſurdius, quam contritionem capitis ſerpentis ad innumeros referre, & quidem *actu* ac *abſolutè*, prout verba illa efferuntur, quorum tamen capita conteruntur à ſerpente? Nec hîc ſermo *de officio*, ſed *de eventu* ut patet, ne rimam hîc quærat Animadverſor, *promiſſio* quippe hîc datur, non *hortatio*. Nec promiſſio conditionalis, hîc fingi poteſt, quin fiat ridicula. Et quum ſit promiſſio *de medio*, conditionalis cenſeri non debet, quamvis eæ quæ *de fine* fiunt, conditionaliter in Scriptura proponantur. 9. Horror etiam & fuga Sathanæ, quæ *ingenita à natura* dicit Calvinus, & odium adverſus eum non niſi de *pœna* Sathanæ intelligi poſſunt, haudquaquam verò de ejus *culpa*, quum iſtam & imitentur multi ſumma cum delectatione, & propagare omni modo annitantur. Nec Calvino alia mens, quàm ſemper & ubique futurum odium, inter ſemen mulieris & Sathanam, ubicunque nimirum illud ſemen ſit futurum, nec id odium futurum *unius ſeculi*, ut diſertè habet. Niſi enim verba ſequentia *quam latè* ſcilicet *propagabitur genus humanum*, ita intelligamus, non cohærebunt. Id ſanè univerſale non eſſe præter Scripturam, omnium ſeculorum experientia docet, quum de *actuali* & *abſoluta* capitis ſerpentis contritione, loquatur Spiritus S. quàm univerſalem facere, paulò minus eſt quàm inſanire. *Potentialem* verò & *conditionalem* ſubſtituere, eſt Scripturæ ſua verba affingere, & petere τὸ ἐν ἀρχῇ. Iudicet jam Lector, quis noſtrûm verba Scripturæ ſervet integra, qualia ponuntur. Convitiis & ſupercilio cauſam iſtam agere, noſtrum non eſt, nec debet eſſe hominis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

Theologi. 10. Grammaticatione ſuper הוא etiam opus non erat, nec enim *pronomen* iſtud aliud quid indicare dicimus præter *nomen ſubſtantivum*, quod præceſſit. Immò pronomen ipſum retorquemus, quippe quod oſtendit, illud tantum ſemen mulieris intelligendum eſſe, quod conterit caput Sathanæ actù, quod an univerſale ſit, docebit nos Animadverſor.

V. Quî verò ex iſtis omnibus ſe extricat? *Calvinum non cenſuiſſe*, inquit, *univerſum genus humanum*, *de Diabolo reverâ triumphaſſe, ſed promiſſionem illi factam eventum ſuum ita ſortitam eſſe, ut tamen ex ſemine mulieris unus homo exſtiterit, qui ſerpentis caput contrivit, reliquis omnibus ita victoria parata ſit, ut per eos unos ſtet, ſi fructum illius non conſequantur. Credentes factos fuiſſe victoriæ compotes, eam ſortem Chriſtianis omnibus communem futuram fuiſſe & æquabilem, ſi reliqui non eſſent credere dedignati. Hanc verò culpam nec oraculo, nec Dei miſericordiæ quicquam detrahere debere*? Conſcientiam hîc tuam & Lectoris interpello, Animadverſor! Expende gloſſema tuum. An hic promiſſionis *abſolutæ* ſenſus ab homine non ægro, vel non Scripturam ultrò torquere volente, ut evadat, fingi poteſt? Annon τὸ *conteret* in promiſſione *actum* notat & eventum ſequuturum in omnibus illis, qui ſemen mulieris vocantur? An *actualis* contritio de uno intelligitur individuo, de aliis *potentialis* tantùm. Quis iſtâ interpretandi licentiâ unquam uſus? Semen mulieris, hoc eſt, univerſum genus humanum conteret caput ſerpentis, hoc eſt, paratam habet victoriam, ut per id unum ſtet, ſi fructum illius non conſequatur. Sic, quod de eodem ſemine dicitur, futurum ut ſerpens ei calcaneum lædat (tantùm ſcilicet) ut patet ex *antitheſi*, & applicatione ad ſemen mulieris ἐξόχως ſic dictum, ad illos etiam pertinebit, quibus Sathan actu conteret caput. Si unus etiam homo ſerpentis caput actu contrivit, vel id actu contrivit *pro* omnibus & ſingulis, vel non. Si prius, actu omnes liberavit à potentia Sathanæ, quod contra Animadverſorem eſt, & id actu contrivit vel conteret *in* omnibus, adeoque id actu etiam *ab* omnibus & ſingulis conteritur vel conteretur. Si poſterius promiſſio iſta univerſalis non eſt. Adde, nihil abſurdius dici, quàm *victoriam illis paratam eſſe & per eos unos ſtare, ſi fructum illius non conſequantur*, qui nec de victore, nec de victoria, nec de ejus fructu, nec de modo ejus potiundi quicquam unquam audivere, imò ne audire quidem per ætatem potuere. Quid etiam eſt *victoriam paratam eſſe* illis ſub conditione, ſi credant nimirum, ſi ipſi ex parte jam vincant Sathanam, victoriam habebunt paratam, quod tamen non magis in eorum poteſtate eſt, quàm integram victoriam de eo reportare? Si *per unos* etiam *homines ſtat*, quod fructum iſtum non conſequuntur, qui per illos ſtat qui in

corru-

corruptione naſcuntur, & exſtinguuntur in prima ætate? An per eos unos ſtat, ne ex infidelibus parentibus nati fuerint, vel ne adoleverint? Si per illos unos etiam id ſtat, annon falſum, *neminem poſſe venire ad Chriſtum, niſi Pater eum trahat?* Nec quæſtio, an qui credidere, facti ſint fructus victoriæ compotes, ſed an ſi promiſſio iſta ad omnes & ſingulos pertinuiſſet, & illis facta fuiſſet; non omnes & ſinguli credituri fuerint, ut fierent ejus compotes? Et quia ſoli credentes ejus compotes eſſe poſſunt, & τὸ credere ſolius Dei donum eſt: Vtique vel omnibus fides deſtinata, vel victoria non deſtinata. Quid magis etiam abſurdum verbis iſtis? *Quam ſortem Chriſtus omnibus communem feciſſet & æquabilem, ſi reliqui non eſſent credere dedignati*, hoc eſt, victoriam reportaſſent, ſi eam reportaſſent, habuiſſent à Chriſto facultatem conculcandi caput ſerpentis, ſi id jam conculcaſſent. Non *dedignari* enim *credere* eſt jam credere, & caput ſerpentis conculcare ex parte. An etiam credere dedignati ſunt illi, quibus nunquam Chriſtus vel Euangelium propoſita? Immò quibus ne proponi quidem potuere? Tales utique, ſecundum hanc gloſſam omnes ſalvandi erunt, quia credere non ſunt dedignati. Confundit tandem Animadverſor cautionem à ſerpentibus, quæ prudentiæ humanæ opus, & cautionem à Dæmonum inſidiis, quæ meræ & particularis gratiæ opus. Illa externa, interna iſta. Hominum culpam nec oraculo, nec Deo quicquam detrahere, ἐξαγώνιον, ſed ſi caput ſerpentis *pro* omnibus & ſingulis fuiſſet contritum, haudquaquam futurus erat iſti culpæ locus. Videat jam Lector, an egregio iſto ſyrmate conſequentiarum Animadverſoris *vinci* debeam, & judicium ferat ex hoc ſpecimine de integro *ſpecimine*.

VI. Quid verò p. 25. addit in hunc locum? *Per ſemen mulieris homines, per ſemen ſerpentis dæmones intelligendos ex ſimilitudine naturæ, quæ inter ſemen, & id cujus ſemen eſt intercedere debet, ut inimicitiæ iſtæ ſint propagatæ à muliere in homines, à ſerpente in ſerpentes. Serpentem deceptorem non hominem, ſed vel Diabolum fuiſſe, vel ſerpentem ejus organum. Sic ſemen ſerpentis, in quod odium iſtud propagatum, debere eſſe vel reliquos Diabolos, vel ſerpentes, in quibus ſint ſimulachra quædam Diabolorum. Et ut abſurdum ſit, Diabolos vel ſerpentes appellare ſemen mulieris, quum mulier parere non potuerit niſi homines: Sic abſurdum eſſe, homines appellare ſemen ſerpentis; quia ex ſerpente nihil niſi ſerpentes procreantur.* At præterquam quod multa merè repetuntur, fruſtra iſta omnia. 1. Homines per ſemen mulieris, dæmones per ſemen ſerpentis intelligendos, non negatum, omnes homines intelligendos ſub priori, dæmones tantùm ſub poſteriori, negatum, quia non omnes homines conterunt caput ſerpentis, imò multis ex iſtis id à Diabolo conteritur. 2. Similitudo ſanè utrobique ſpectanda, an verò *phyſica* tantùm naturæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

ex alio procreatæ? At ſic dæmones reliqui non ſunt ſemen dæmonis deceptoris, nec enim ex eo ſunt procreati. Sin ſimilitudo *moralis* ingenii vel indolis intelligenda, ſanè nec omnes homines ſunt ſemen mulieris conterens caput ſerpentis, nec impii non ſunt ſemen ſerpentis, quippe cujus indolem referunt, & venenum habent ac exerunt. *Moralem* verò ſimilitudinem hîc intelligendam, patet & ex natura promiſſionis, & ex applicatione ejus ad dæmonem, qui & *moraliter* tantùm ſerpens vocatur, & *moraliter* tantùm ſemen habet. Illi etiam per ſemen mulieris, ſecundùm ipſum Animadverſorem, ſunt intelligendi, in quos inimicitiæ illæ actu ſunt propagatæ. Adeoque qui conterunt actu caput ſerpentis cum ſemine mulieris, cohærent enim prædicata iſta, & de eodem ſubjecto efferuntur. 3. *Disjunctiva* Animadverſoris in *copulativam* convertenda, ſerpentem deceptionis *auctorem* h. e. Diabolum intelligi, & ſimul ſerpentem animal ejus *organum*. Sin ſemen ſerpentis, hoc eſt, Diaboli, ſint reliqui Diaboli, in quibus ſunt *ſimulachra quædam Diabolorum*, annon ſic reprobi omnes ſunt ejus ſemen? 4. Abſurdum ſanè, Diabolos vel ſerpentes appellare ſemen mulieris fide excipientis promiſſionem, quum nec *phyſicam* nec *moralem* cum ea habeant ſimilitudinem, & illa cum ſemine ſuo iſtis opponatur. At abſurdum non eſt, homines impios appellari ſemen ſerpentis, ob ſimilitudinem illam *moralem*. Aliàs abſurdè ex eodem fundamento tales ita à Chriſto vocati fuere, quippe qui docet, ex *Patre Diabolo* eſſe. Et quare? *quia cupiditates Patris ſui volunt facere* Ioh. VIII, 44. Vel malè itaque, quod blaſphemum foret, Chriſtus loquutus, & argumentatus, vel nos bene cum illo & poſt illum.

VII. Subjicit 1. Iſtam hiſtoriam duobus modis explicari poſſe; vel enim eſſe narrationem *merè allegoricam*, ut unus Diabolus intelligatur per ſerpentem, vel negotium illud eſſe ἀλληγορέμενον, ut ſerpens etiam animal organum tentationis intelligatur. Super priore interpretatione, quæ abſurda, fruſtra argutatur, quam ſcire debet falſam eſſe, nec quæ de *reptatu ſuper ventrem* & *comeſtione pulveris* adduntur in maledictione, niſi violenter, non ſubſtrato ſenſu literali, ad dæmonem referri poſſe.

VIII. Addit. *Si præferatur interpretatio poſterior, non modò locutiones illas allegoricas ex eo naturali odio* (inter homines & ſerpentes nimirum,) *deſumptas eſſe, ſed diſertè notare odii illius initium, in eo quod Deus olim hæc verba pronuntiavit, dum ſerpentem alloqueretur*. At 1. Supponitur ſine probatione, *naturale odium* inter homines & ſerpentes ante lapſum, quod non magis fuit in ſerpentibus erga hominem integrum, quàm in reliquis animalibus. 2. Si illius odii initium fuit in verborum illorum pronuntiatione, quî verba iſta ex naturali illo odio deſumpta ſunt? Annon vertigo hic

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

hic evidens? An enim loquutiones illæ aliud quid ſunt quàm verba quæ pronuntiavit Deus ſerpentem alloquendo? Annon ſic & odium anterius ſtatuitur illis locutionibus, & illæ tamen ſimul ſtatuuntur initium illius odii. II. Inquit, *ut ſerpens in ſerpentes à ſe genitos odium in homines tranſmiſit, ſic Diabolus in tentatione princeps eaſdem inimicitias, quibus fertur ad exitium generis humani, in alios Diabolos exemplo ſuo propagavit.* An verò id in controverſia? Annon potius illud, num in homines multos eaſdem etiam non propagarit? Et quum propagatio hîc *moralis* reſpectu Diabolorum intelligatur, cur illa abſurda ſtatuitur reſpectu hominum? III. Conatur Animadverſor ſe à reprehenſione mea vindicare. Iure verò eum à me reprehenſum, ſola verborum noſtrorum collatio docet, ex qua Lectori conſtabit, verba ipſius ita à me accepta, ut accipi debebant. Sin aliter accipienda fuiſſent, aliter etiam fuiſſent efferenda. Et falſum ſemper manet, *odium inter ſerpentes & homines interceſſiſſe naturaliter.* Nec de ortu odii iſtius ambigere debebat, nec verè dicitur, odium iſtud occaſionem Spiritui S. dediſſe & Moſi, cur ſic Deum loquentem introducerent, ſed ideò eum ſic loquentem introduxere, quia revera iſta loquutus fuit. Nec enim verba à Deo non prolata, ſed ab eo prolata ei tribuuntur à Moſe. Nequicquam etiam queritur, injuſtè ſibi à me tributum, tanquam *affirmativè* dictum, id in quo *alternativam* poſuerit. Annon verò qui dicit, vel hoc modo aliquid eſſe, vel alio, ille cenſet, utrumque ſine abſurditate ſic intelligi poſſe. Convitia quæ addit, de lubrica mea diſputandi ratione, non moror. Lector æquus ex collatione ſcriptorum noſtrorum de utriuſque noſtrum ingenio judicabit, videbit etiam, an hoc ſit reſponſiones meas antecapere, abſurdum quod à me impugnatur, nudè aſſerere & repetere.

IX. Dicit, me *in eo errare*, quod ex illo verbo, *Inimicitias ponam*, argumenter *odium illud tum primum exſtare cœpiſſe, quum Deus ita loquutus eſt.* Itidem etiam dici poni à Deo, Gen. IX. quum tamen naſcatur ex cauſis merè naturalibus, quæ talem *arcum in cœlo ſinuarint*, antequam Deus iſta verba pronuntiaret. Sic *ſuper pectus gradi* ſerpentibus naturale eſſe, etſi tum cœperit eſſe pœnale. Quamvis itaque verum eſſet, nullas ante exſtitiſſe inimicitias inter homines & ſerpentes, id tamen ex vi verborum illorum non probari. At I. Iridem ante diluvium fuiſſe, ex cauſis ejus naturalibus patet, inimicitias illas fuiſſe, haudquaquam patet, ſed oppoſitum potius. Iridi *formale* novum, vel *relatio* nova accedere potuit, iſtis non item. Idem dici poteſt de reptatu ſerpentis, qui ſanè poſt maledictionem demum cœpit eſſe moleſtus & pœnalis, & opponitur erectioni ſerpentis in homine decipiendo, prout loquelæ ejus opponitur oppletio

oris

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

oris pulvere. Conſtat etiam hanc ſerpenti naturam inditam fuiſſe, ut reptaret. Probet verò Animadverſor, vel naturale fuiſſe ſerpenti ante lapſum, ut odio haberet hominem, vel homini, ut odio haberet ſerpentem. At ſerpens æquè dominationi hominis ante lapſum obnoxius erat, ac animalia alia, & inclinatio omnium animalium ad obſequium hominis patuit ex ultroneo illorum ad hominem acceſſu, ut nomen ab eo conſequerentur. Nec homini innocenti creatura ulla ſe opponebat, ſed ſubjiciebat potius, & id inter hominis pœnas fuit, quod imagine Dei maximam partem amiſſa, bruta animalia cæpere in hominem inſurgere. Et ſanè τὸ *ponam inimicitias*, &c. opponitur familiaritati illi, & velut amicitiæ, quæ prius fuerat inter mulierem & ſerpentem, ita familiariter inter ſe colloquentes. Ex verbo itaque אשית *ponam* verè *initium* odii iſtius poteſt probari, quum erga integrum hominem odium in nullo animali dari potuerit. *Dei* itaque, ut inquit, *providentiam, in ſerpentibus iræ impetum & nocendi ſtudium prohibuiſſe*, dicitur ſine probatione. Repugnaſſet ſanè id pleno hominis in animalia dominio, cui debebat reſpondere plena in iis ſubjectio. Fruſtra etiam philoſophatur, an venenum ante in ſerpentibus fuerit, an propenſio naturalis ad morſum. Id enim tantùm in quæſtione, an ſerpens in hominem integrum venenum ſuum effundere, & eum morſu appetere cupiverit, quod non magis veriſimile, quàm reliqua animalia, cornua, dentes, & rabiem ſuam in hominem exerere cupiiſſe, ſed tantùm cohibita fuiſſe vi externa. An enim iſta conveniunt cum conceſſo homini imperio in animalia, & ultronea ac plena eorum ſubjectione? Et an *malo phyſico* potuit obnoxius eſſe homo expers *mali omnis moralis?* Egregiè tandem addit, *nihil me in verbis ejus animadvertere potuiſſe, ex quo colligerem* ea de re quid *ſentiret*. Gryphos ergo nobis dedit, non verba, & dicta ab ipſo *ſenſum* non habent, ſed *ſonum* tantùm. Iudicet Lector, annon ſententiam ſuam ſatis expoſuerit, dicendo: *Certè illud*, inimicitias ponam, &c. *vel ortum eſt ex eo, quod naturaliter diſſidium inter homines & ſerpentes exiſtit*, &c. Immò ſententiæ iſti ſua ſuperſtruit argumenta, quæ eâ concidente & ipſa concidunt. Si etiam hoc non ſuppoſuit, ut *rem quæ in cujuſquam mentem cadere poſſet*, cur ſic loquutus eſt, & annon verba ſua abſurda, & conceptus ſuos ἀκαταλήπτους ipſe fatetur? Si argumentationis etiam ipſius vis nullam talem ſuppoſitionem poſtulabat, cur verba iſta adhibuit? Vertiginem verò etiam Theologi miretur Lector, qui pag. 124. diſertè fatetur, *peccato admiſſo inimicitias exortas fuiſſe, & à quo tempore decepta fuit Eva, odium utrinque exarſiſſe*, inter ſerpentem & mulierem nimirum. Et hoc non eſt ſplendidè ſibi contradicere, idem negare & affirmare, ſi conferantur cum iis, quæ habet in eadem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

dem Diatriba. Revera ſi Lector vel ex hoc uno ſpecimine, de cætera Animadverſoris *tolutiloquentia* judicium facere velit, habebit unde tantam in diſputando felicitatem gratuletur Heroi noſtro, idem proferenti & reſorbenti, nec tangenti ea, quæ maximè controverſa.

X. Pag. 62. Denuo recurrit ad locum Gen. III, 15. Et 1. Sententiam meam truncat, validiorem cæteroquin, quàm quæ expugnari poſſit, etſi enim per ſemen ſerpentis incredulos intelligendos eſſe cenſuerim, id tamen non *excluſivè* à me dictum in ordine ad dæmones, immò & illos comprehendendos diſertè à me notatum. Integra verò mea ſententia proferenda erat. Sin per ſemen ſerpentis ſolos Diabolos intelligendos cenſet, cur rationes meas non confutavit? Sin fateri cogitur, incredulos etiam iſta nomenclatione deſignari, quid litigat? 2. Objeceram, illum *impios* diſtinguere non debuiſſe à *reprobis*, quum iidem ſint impii, qui filii Diaboli vocantur in Scriptura & reprobi. Quæſiveram etiam, cur impios præponeret reprobis, quum illi in tempore demum tales ſint, iſti ab æterno? Excipit: *ſe non diſtinxiſſe impios à reprobis niſi ratione, quia quatenus impii ſunt, habent qualitatem illam inhærentem in ſe, quum reprobatio nihil tale deſignet. Impios ſe præpoſuiſſe reprobis, quia prioris poſterius debuit eſſe* ἐξηγητικὸν *ut id intelligeretur de iis, qui in impietate perſeverant, quia ſunt reprobi. Si etiam conjunxiſſet utroſque, nihil cauſæ futurum fuiſſe, cur me hic tam laborioſè torquerem.* At iſta obiter tantum à me notata, verè tamen, & quidem homini accurationem à me efflagitanti in reſpondendo. An etiam hæc tanti non ſunt, ad ἀκρίβειαν Theologicam, ac pædagogicæ quiſquiliæ, quibus duas priores partes ſui ſpeciminis opplevit? An ob diſtinctionem vocum minus idem ſubjectum deſignatur, & unum nomen ſufficere non poterat Viro adeò verborum parco? Quid joculare etiam magis, quàm nomen reproborum, quippe quod longè obſcurius, à ſe poſitum dicere, ut ἐξηγητικὸν prioris, quod multò clarius? At aliquem eſſe *impium*, patet, *reprobum* eſſe, latet. Quid opus etiam fuiſſet iſta ἐξηγήσει, ſi ſolos reprobos deſignaſſet? Obſervet etiam Lector verba Animadverſoris: *Alios in impietate perſeverare, quia ſunt reprobi.* At alibi homines in incredulitate adeòque in impietate perſtantes præſtruit reprobationi, quando dicit, *Deum homines ex certiſſima incredulitatis præviſione ad iram conſtituere.* Conſtruat jam iſta Lector, *homines in impietate perſeverant quia ſunt reprobi, &* tamen *ex impietatis* (qualis non poteſt non eſſe incredulitas perſeverans) *præviſione demum reprobantur.* Annon idem ſic erit prius ſimul & poſterius? Et ſi homines in impietate perſeverant, quia ſunt reprobi, qui Deus voluntatem habuit tales ſervandi, quos ab æterno reprobare voluit?

D XI. Pag.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

XI. Pag. 123. Redit ad verba Geneſ. III, 15. & ita toties eundem locum tractando, oſtendit, à ſe nec ſibi nec Lectori prioribus Diſſertationibus ſatisfactum. 1. Inquit, me promiſſionem ibi propoſitam particularem facere, & per ſemen mulieris intelligere ſolos electos, *pro* quibus, *in* quibus, & *à* quibus caput ſerpentis fuerit contritum, poſt caput ſuum & illius virtute. Quod verum & immotum. 2. *Calvini* judicium tangit, de quo ſupra actum. 3. *Integra verba ſic ſe habent*, inquit, *Inimicitias ponam inter ſemen tuum & ſemen ejus, &c.* At hæc non ſunt integra, ſed truncata, priora enim omiſſa, *inter te & mulierem*. 4. Repetit inutiliter, quid per mulierem, quid per ſerpentem ſit intelligendum. Nec homini vel à ſerpente vel à Dæmone ante lapſum quicquam fuiſſe metuendum. An verò iſta in quæſtione? An hoc eſt reſpondere ad ea, quæ à me propoſita? An etiam integrâ paginâ rhetoricandum propemodum fuit de hominum & ſerpentum diſſidio, iſtorum inſidiis, illorum horrore & ejus cauſa? An hoc præcipuè intendit Spiritus Sanctus? Annon hoc eſt urgere Iudæorum gloſſema, qui de iſta applicatione ad ſerpentem animal locum illum vel ſolùm, vel præcipuè ſaltem intelligendum cenſent? An negatum etiam erat, inter Diabolos & homines implacabiles eſſe ſimultates? Probandum verò fuerat, inter Diabolos & omnes homines eas intercedere. Annon multi ex hominibus Diaboli ingenium & inſtinctum ſequuntur, & implacabiles, ut ejus organa, cum ſemine mulieris exercent ſimultates? 6. Nec de cauſa, cur horreamus Dæmonem, philoſophandum erat, de qua nulla quæſtio. Nec dicendum erat, *ſi qui ſint inter homines qui odium illud adverſus Diabolum depoſuere.* Tales enim plurimos reipſa eſſe, notum, omnes nimirum, qui Spiritu Dei non aguntur, qui poſſidentur & reguntur & impelluntur à Diabolo, & ductu iſto gaudent. Cur verò non omnes tales, niſi quia quod naturale vitium omnium eſt, placuit Deo emendare in filiis ſuis? An ullus etiam ſe à dæmonis ductu & ſocietate avertere naturaliter poteſt, ſine efficaci Dei vocatione? Nec ſocietas cum Diabolo reſtringenda duntaxat ad eos qui pactum directum ineunt cum Sathana. Nec omnes qui cum Sathana colludunt, à reliquis mortalibus promiſcuè, minus univerſaliter, ſed à Filiis Dei tantùm execratione digni habentur. Alii ſæpè illis ut felicibus adblandiuntur. 7. Quid opus erat, quoad *eventum* inimicitiarum iſtarum integrâ fermè paginâ philoſophari de hominum & ſerpentum pugna, & prætermittere à me objecta quæ jugulum cauſæ feriunt. Quid priora faciunt ad gratiam univerſalem? Annon & iſtius digreſſionis ſine ulla cauſa captatio, & diſſimulatio eorum quæ à me objecta, arguunt, aquam hîc hæſiſſe ſupercilioſo iſti Diſputatori? Annon falſum etiam aſſerit,

angues

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

angues altius ſe attollere non poſſe, quàm ut hominis calcaneum petant, quaſi hinc fiat, quod calcaneum hominis petere dicantur? Si rerum naturalium, Africæ etiam & Americæ Scriptores, immò & experientiam Europæorum hominum conſuluiſſet, didiciſſet melius de ſerpentibus philoſophari, & agnoviſſet, eos longè altius ſe attollere poſſe, & id ordinariè facere. Ideò verò calcaneum ſerpens hîc petere dicitur, quia dum eo conculcatur, ſe altius attollere non poteſt, & partem iſtam capiti ſuo imminentem lædere morſu ſuo conatur. Homines etiam promiſcuè & ſuperiores eſſe ſerpentibus, & victoriam *ſine periculo* reportare à ſerpentibus, *niſi vel non ſatis cautè incidant in anguium inſidias, vel præter naturæ inſtitutum ſe ad terram ita incurvent*, fingitur, non probatur. Immò & cautiſſimi ſæpè ab anguibus perimunrur multis in locis, ubi latent, & victoria ſæpè cum gravi periculo reportatur. Ioculare etiam, eos ab anguibus victoriam non reportare, *qui cœlum non intuentur erecto vultu.* Tales enim qui cœlum intuentur maximè patent anguibus, ut Philoſophus ille foveæ & lapſui; ii demum minus qui ad terram deſpectando angues & eorum inſidias ac technas cavent. Et quid quæſo tota hæc diſſertatio facit ad gratiam univerſalem? 8. Chriſtum *omnium vadem* fuiſſe, & *omnes repræſentaſſe* videtur Animadverſori, non nobis, nec orthodoxis aliis. An verò id ipſum non eſt in quæſtione? An etiam illos repræſentavit quos dicit ſe *nunquam noviſſe*, pro quibus *orare non vult*, quibus nunquam voluit revelare vadimonium ſuum, & quos Deus *odiſſe* indicatur, *antequam quicquam feciſſent boni vel mali?* 9. *Veniæ ſpem Deum omnibus feciſſe*, ſano ſenſu, ἐξαγώνιον, hoc eſt, quibuſvis, omnibus & ſingulis, falſum. An ſatis etiam, Deum ſe *placabilem* oſtendiſſe? Annon opus erat, Deum ſe oſtendere *placatum*, & docere modum ac medium iſtius placationis actualis? An quandiu hoc non revelatum, homo ſolutus eſſe poteſt eo metu, qui à juſtitia Dei impendet? An qui Principem aliquem placabilem ſcit, nec tamen novit quî placari poſſit, vel novit lytro opus eſſe ſuas vires excedente, metu ſolutus eſt? 10. Abſurdè dicit, *certamen cum uno Diabolo reſtare*, quaſi hoc unum non maximum foret, niſi eum debellatum ſciamus à Chriſto! *Facilem* hîc hominibus *victoriam* eſſe, aliquibus, nimirum, Dei Filiis, verum; omnibus, falſum. Immò reliqui omnes ab eo vincuntur, quia ſciunt Deum tantùm placabilem eſſe, non placatum, immò placamentum iſtud nec nôrunt, nec ſibi applicare poſſunt. Adde regenitos ipſos ſæpè maximè æſtuare in iſto certamine cum Paulo, Rom. VII, 14, &c. Nec pudere debet Animadverſorem, hîc recedere ab hominum infauſtorum, locum iſtum apertè, poſt Pelagii ſcholam veterem, depravantium gurguſtio, & argutationes ſuas confutanti ſolidiſſimo

 Theo-

Theologo, *Gulielmo Riveto*, vel Deo potiùs & veritati in aperta luce conſtitutæ, obſequi. Subtile etiam iſtud eſt, & tanto novæ Theologiæ architecto dignum, *victoriam iſtam hominibus facilem eſſe, ſi pugnam animosè capeßant, nec à rebus cœleſtibus ad quas vocantur, ad res terreſtres ſe turpiter & flagitiosè provolvant*, hoc eſt, facilem fore victoriam hominibus, ſi eam obtineant. Quid enim hoc aliud, quàm vincere? Vnde etiam & facultas & voluntas pugnandi, & animosè quidem, & averſio à rebus terrenis, niſi à Dei ſpiritu? An facile omnibus & ſingulis eum habere? An alii, præterquam electi, eum vel habent vel habere poſſunt, ad victoriam ipſam obtinendam? Annon ſine Chriſto nihil poſſumus facere, & ſpiritus ille ſpirat ubi vult, non ubi nos volumus? Cur etiam *indefinitè* dicit, nos vocari *ad res cœleſtes*? Annon hîc intelligenda gratia Euangelica in Chriſto propoſita, ſive actualis Dei per eum placatio, & ſalutaris cognitio talium? An verò omnes & ſinguli ad res iſtas vocantur? 11. Si etiam *ſic abjectos* Sathan vulnerare poteſt ἐν τοῖς καιρίοις, & naturaliter nemo non ſine tractione Patris *ſic abjectus* ſit, & hanc operationem Deus ſolis electis peculiarem eſſe voluerit, utique haudquaquam voluit reliquos ab iſto vulnere immunes eſſe. 12. Egregium etiam! *ſi excellentis illius vocationis, prout decet, meminerunt, Sathanam habent ſub pedibus*, hoc eſt, ſi Sathanam ſub pedibus habent, eum ſub pedibus habent. Quid enim eſt excellentis illius vocationis meminiſſe, prout decet, quàm illam & admittere, & ei parere, adeòque credere! Annon verò *fides noſtra victoria noſtra eſt*, & qui credunt, Sathanam ſub pedibus jam habent? Quî etiam innumeri, qui *excellentis illius vocationis* nec participes fuere, nec per ætatem eſſe potuere, *ejus meminiſſe potuere, prout decet?* Næ iſta ſublimem ſpiritum decet Theologia! Vel enim per *excellentem* illam *vocationem* intelligitur, vocatio *per verbum* ad gratiam in Chriſto revelatam, & ſatisfactionem ab eo præſtitam, & notum, eam univerſalem nunquam fuiſſe, vel intelligitur vocatio *per naturam*, & ſola quidem, & iſta nunquam ulli ſalutaris fuit, vel eſſe potuit, quum non ſit *miniſterium ſpiritus*, ut ipſe Animadverſor fatetur, nec in genere objecti eum revelet, extra quem nulla ſalus, & cujus diſtincta notitia, in N. Teſtamento ſaltem, ut fateturipſe, omnibus neceſſaria eſt. Adde, neminem qui per naturam tantùm vocatur, vocationis illius *meminiſſe poſſe, ut decet*, ſine ſpeciali Dei dono, & interno quidem, quod nunquam fuit univerſale. 13. An *Diabolus* etiam *plagam* tantùm *facit in inferioribus animæ partibus?* Id ne in Dei quidem filiis verum, quorum menti & cordi ſæpe plagas infligit, etſi non lethales. An venenum Diaboli non pervenit ad mentem Davidis, Petri, aliorum? Dilutum etiam & ἀθεόλογον, in *mente vitæ ſpiritualis ſedem eſſe*; At *cordi*,

hoc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

hoc eſt, voluntati hoc à Scriptura paſſim tribui, notum. Scilicet, ſecundùm Animadverſoris Theologiam, & corruptionis & regenerationis immediatum tantùm ſubjectum mens eſt, quæ poſt ſe trahat ad malum vel bonum reliquas facultates. Sic ad ſanctificationem hominis ſufficit mentem potenter illuminari. Reliqua naturali ſequela ſequuntur. Scilicet opus erat ſcripturam tot emphaticis vocibus, iiſque aggeratis, nobis deſcribere regenerationem per *creationem*, *vivificationem* & *cordis carnei ex lapideo formationem*, & alia id genus, cum illuminationis vox ſola ſuffeciſſet abundè, ſed de his infrà diſpiciendum. 13. Lepidum etiam, addere, *vi fidei & pœnitentiæ animam facilè convaleſcere:* vel enim id de Filiis Dei intelligit, & id nihil facit ad Gratiam Vniverſalem : vel de omnibus & ſingulis, & quî per fidem & pœnitentiam facilè convaleſcere poſſunt, qui eam nec habent, nec habere poſſunt, ut quæ ſpecialis gratiæ effectus ſunt? Immò quum iſta ſint dona electis ſolis propria, nemo niſi electus convaleſcere poteſt. Nec ſalutaris eſſe poteſt ulla vocatio ad res cœleſtes, ſine iſto dono. 14. An ſeriò etiam addit Animadverſor, *Chriſtum reliquis*, hoc eſt, omnibus & ſingulis (id enim intelligendum ex mente ejus) *victoriam reddidiſſe nullo negotio parabilem, ſi ad tantum Redemptorem ſeſe cum fide recipiant, ut ejus præſidio freti cum hoſte jam profligato prælientur?* Annon iſta omnia in quæſtione, an Chriſtus victoriam omnibus & ſingulis reddiderit parabilem? An dici etiam poteſt, illam victoriam *nullo negotio parabilem* eſſe omnibus & ſingulis, quum nec victoria iſta, nec conditio, ſub qua duntaxat utilis eſſe poteſt, innumeris unquam innotuerint? Quid joculare magis, quàm dicere *Chriſtum omnibus hominibus victoriam parabilem reddidiſſe, ſub conditione, ſi ad eum cum fide ſe recipiant.* At quî ad eum ſe recipere poſſunt illi, qui de eo nihil unquam audivere, nec potuere audire, χωρὶς κηρύσσοντος Rom. x, 14? Annon etiam cum fide ſe ad tantum Redemptorem recipere, eſt ſpeciale Dei donum, & innumeris nec deſtinatum, nec indultum, & quod ſolorum electorum eſt? An etiam ſe ad tantum Redemptorem recipere cum fide, non jam eſt victoriam habere? victoria ergo illis parabilis erit, ſi eam jam habeant! Hæc verè mira ſunt & ſolo hoc Diſputatore digna, qui de aliorum in diſputando ἀπαιδευσίᾳ tam magnificè gloriatur, & eos locum iſtum non ſatis accuratè perpendere cenſet! 15. Cui bono denuo digreſſio inutilis ad argumentum de duobus gradibus creaturarum intelligentium, quamvis Angelos propriè & ἐξόχως vocari nôrit ob id *intelligentes*, & *intelligentias*, homines *rationales*. Nec bene conſtituti Scholarum termini hîc temerè refigendi. Ad quid etiam conducit τοῦ ἀγαθοῦ, τοῦ μακαρίου, καὶ τοῦ αὐτοκρατορικοῦ in Deo repræſentatio? 16. Vnde probabit, Angelos *invidiâ incenſos erga homines*,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

quod Deus iſtis imperium aſſignârit in res omnes adſpectabiles? Vbi id Scriptura docet? Et annon imperio omni in res ſublunares potior erat natura Angelorum ſpiritualis, & continua eorum coram Deo in cælis comparitio? Annon præſtat cauſam invidentiæ iſtius referre ad *ſanctitatem & felicitatem* hominis, vel ad conjunctionem ejus cum Deo ſuo in gratia, quam ipſi invidebat Sathan? Imperium ſanè in creaturas Diabolus facile hodie adhuc concedit homini, immò offert, modo eum ſanctitate & felicitate ſua evertat. 17. Falſum etiam, *Deum ſignificare apertè, nihil à tentatore promotum* reſpectu ullius mortalium. Immò omnes erant everſi à Sathana in primis parentibus. Solum verò ſemen mulieris, ſumptum pro fidelibus reſtitutum potius eſſe, quàm non dejectum de gradu vel fateri debebat, vel rationes à me in Exercitationibus adductas confutare. Semen verò ſerpentis, hoc eſt, Diaboli filii plenè in tentatoris poteſtatem redacti, ſub ea permanent in perpetuum. φιλανθρωπίαν univerſalem in naturam humanam, adeoque in omnes & ſingulos, Deo attingere, eſt petere τὸ ἐν ἀρχῇ. In *naturam humanam* cæteroquin ferri tantùm dici poteſt κατὰ λόγον συγκρίσεως, quia non fertur in Angelicam, & quia homines plures reſtituti, Angelorum nemo. Quamvis propriè loquendo feratur in *perſonas* potius quam in *naturam*. 18. Diabolum *hoc unum profeciſſe, quod odium hominum acerrimum in ſe concitârit*, falſum, nam & hominum odium concitavit in Deum, nec odium ſui excitavit, niſi in iis qui caput ipſius virtute capitis ſui proterunt. Nec odium in Sathanam univerſale dici poteſt ſine aperta falſitate. Scilicet tale in illis reperitur, qui *ex Diabolo ſunt*, qui *cupiditates ejus facere* volunt, & iis toto animo delectantur? 19. Chriſtum *imperii ſui* omnes & ſingulos homines *participes facere* velle, *niſi ſponte perire vellent, & victoriæ ductum & auſpicia ſequi dedignarentur*, partim falſum, ἀμφισβητούμενον ſaltem inter nos, partim abſurdum, cùm innumeris nec victoriam ſuam, nec conditionem ejus conſequendæ, vel ductum & auſpicia ſua patefacta voluerit. Annon etiam hîc denuò conditio recurrit cum conditionato? Nec verum, ullum *ſponte perire* velle, id enim nemo à ſe impetrare poteſt, etſi id ſponte facere poſſit, unde ſequitur perditio. Et qui ſponte perire volunt, qui ne ætatem quidem attigere inter gentiles, quicquam volendi, vel de ſalute aut exitio ſuo cogitandi? Et ſub qua conditione tales voluit Deus eſſe *participes* iſtius *imperii*? ſcilicet ſi caverent, ne naſcerentur ex parentibus infidelibus, vel ſi impedirent mortem ſuam, vel ſi adulti exuerent naturalem malitiam, quam tamen non magis exuere poſſunt, quàm non eſſe, quod ſunt! Et ſic concludit Animadverſor, *plus ſatis* de hoc argumento à ſe actum. Si rhetoricationes id genus oppoſuiſſem Animadverſori, cauſæ nihil fuiſſet, cur
me

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

me non meritò omnibus iſtis contumeliis obrueret, quas velut è plauſtro in me conjecit è faſtigio ſuo. Fidem & candorem Lectoris interpello, ut conferat noſtra, & judicium ferat de utriuſque conſcientia & diſputandi ratione!

CAPVT III.

An Scriptura promiſſionis primæ complementum particulare fecerit in *Adami, Noachi,* & *Abrahæ* familia, & tota gratiæ œconomia?

BREVIARIVM Capitis tertii.

Confutatorum inanis repetitio impacta Animadverſori. Suppoſitio falſa notata. Oppoſitum in appoſito adjectum Ἀδολεσχία *& contradictio. Cauſa diſcriminationis hominum. An promiſſio ſub conditione ad omnes pertineat. Animadverſoris abſurda de liberis Abrahæ locutio. An Deus omnes & ſingulos ſalvari voluerit. Contradictio Animadverſoris. An univerſis ſpes remiſſionis oblata. An iſta oblatio ſufficiat. Repetitio illius quod eſt* τὸ κρινόμενον. *Voluntas particularis de ſalvandis hominibus ex Animadverſoris verbis evicta. An invitatio ad fidem & pœnitentiam univerſalis dici poſſit. Subminiſtratio particularis virtutis interioris evertit gratiam univerſalem, & intentionem Dei circa ſalutem hominum manifeſtat. An ex promiſſione Adamo & Evæ facta inferri debeat ejus univerſalitas. An Deus voluerit eam actu omnibus eorum poſteris communicari. An mortem præſentem homini fuerit interminatus. An omnes incredibili benignitate invitârit ad remiſſionem peccatorum. Benignitatis iſtius examen. An odor placamenti, fœdus de natura conſervanda, & ejus ſacramentum Noacho miſericordiam univerſalem portenderint. An fœderis gratiæ, & fœderis de natura conſervanda eadem ſit latitudo. Fuga Animadverſoris, & objectorum declinatio. An in Abrahæ familia demum cœperit divinæ diſpenſationis mutatio. Æqualis* φιλανθρωπίας *everſio à poſteriori. An Deus verbo ſpem remiſſionis oſtenderit, & non fiduciam potius. Diſcrimen utriuſque. An providentiæ adminiſtratio ſit præco Euangelii. OEconomia verbi particularis gratiam objectivam particularem arguit. An hominum negligentiæ tantùm revelationis obliteratio ſit adſcribenda. Iſtius obliterationis confeſſio evertit gratiam univerſalem. Quî prædicatio verbi latior ſit gratiâ ſubjectivâ. Bonitatis divinæ manifeſtatio alia* ἐν τῷ γνωστῷ, *alia in promiſſione gratiæ. An* τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ *miſericordiam Dei annuntiet peccatori. Ejus ex Scriptura explicatio. Fœderis legalis perverſa explicatio & applicatio. Promiſſionis gratiæ revelatio univerſalis everſa, adeoque & gratiæ objectivæ. Quî ſe Deus non reliquerit* ἀμάρτυρον. *Quî homines ad ſe Deus vocârit voce creaturarum. Gratiæ univerſalis revelatio everſa, ſpei remiſſionis oblatio univerſalis. An ſpes remiſſionis potuerit concipi extra revelationem de Meſſia. An* τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ *ſit ejus præco. An gradu tantùm differant, an re, revelatio naturæ, & verbi. An ſemen Abrahæ ſecundùm ſpiritum demum exortum fuerit ſub N. Teſtamento. An fœderis gratiæ naturæ præconio annuntiatum dici poſſit. Vniverſalitas illius præconii everſa. Animadverſoris confeſſio. Gratia objectiva quî univerſalis dici*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

poſſit ſub N. Teſtamento. An Deus trinunus revelatus fuerit per τὸ γνωστόν. An gentes crediderint ſe poſſe pœnitentiam agere, vel non. Quale ſpei remiſſionis fundamentum habere potuerint: Qualem notitiam cultus divini. An Deus nos velit facem Euangelii circumferre per totum orbem. An τοῦ γνωστοῦ revelatio ſufficiens ſit in genere cauſæ objectivæ. An ad veram reſipiſcentiam ſufficienter præeat lumen naturæ. An aliquis reſipiſcere poſſit ſine revelatione & cognitione Chriſti, & placationis Dei per eum. Digreſſio Animadverſoris inutilis de ſerpentibus. Diſparitas cautelæ à ſerpentibus, & à Diabolo. An promiſſio de obtritione Diaboli ſit conditionata, & univerſalis. Abſurda iſtius aſſertionis. Ἀδολεσχία & contradictio notata. Dilemma oppoſitum. Falſa ſuppoſitio Animadverſoris. An ſecurè impiorum ſalus tantùm evertatur. An multi maneant à Diaboli tentationibus intacti. An incredulitas & impœnitentia cauſa dici debeant interverſæ multis ſalutis. Abſurda iſtius opinionis. Elenchus parium à præſervatione à ſerpentibus ad præſervationem à Diabolo. Quæ vocatio nos elevet ad cœleſtia. Quæ res cœleſtes nobis ſint contemplandæ. Ἀδολεσχία & contradictio nova ſuper uſu facultatum. Abſurda varia Animadverſori impacta. Contritio capitis Sathanæ an poſſibilis non electis. An omnibus conceſſum ſit, ut membra Chriſti fiant. Animadverſor confundit conditionem & conditionatum. Conceſſio jocularis. Electis tantùm conceſſum, ut fiant membra Chriſti. Ejus rei probationes. An omnes invitati fuerint, & invitentur ad inſertionem in Chriſtum. An ſublatio peccatorum per agnum, & miſſio ac paſſio Chriſti ſint actus conditionales. An Chriſtus conditionaliter mortem guſtârit pro omnibus. An Chriſtus non tollat inter alia peccatum incredulitatis. An ejus ſublatio ſtatui poſſit conditionalis. Contritio univerſalis capitis ſerpentis conditionata, abſurda. Perverſa promiſſionis primæ & contradictoria explicatio. Conditionem in rei natura deliteſcere fruſtra dicitur. Quid inde ſequatur.

I. AFfirmativa quæſtionis pars à me adſtructa Theſi VI. Reſponſum etiam Diſſertatoris accuratè confutatum Exercitationum Parte prima à p. 272. ad p. 384. & plurima ac graviſſima abſurda ei impacta, quæ ibidem videri poſſunt.

II. Quid ad iſta Animadverſor in Specim. Animadv. à p. 127? I. Nudè repetit quæ de triplici complemento iſtius promiſſionis fuerat commentatus in Diſſertatione, quamvis & à me jam confutata fuerint, & demonſtratum, *in quo* revera id conſiſteret, & *in quibus* reperiretur. Id nimirum conſiſtere in inimicitia actuali inter mulieris & ſerpentis ſemen, & in deſtructione imperii Sathanæ *pro illis* & *in illis* qui ſub ſemine mulieris cenſentur. Id verò non reperiri niſi in Dei filiis, adeòque particulare eſſe æquè ac promiſſionem. II. Supponit denuo, quod negatum, & confutatum, *complementum iſtius promiſſionis etiam in eo conſiſtere, quod facultas omnibus conceſſa fuerit, virtute victoriæ Chriſti Diabolum ſuperandi.* Parum etiam prudenter ita enuntiat iſtam partem, *ut complementum in eo ſpectetur, quod facultas omnibus conceſſa fuit, vel non fuit, virtute illius victoriæ inimicum ſuperandi. Oppoſitum* enim in *appoſito*, & quibus facultas iſta *conceſſa non fuit*, in illis ſanè complementum promiſſionis locum non habuit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

III. Quæritur, inquit, *qua ratione, quo animo Chriſtus id præſtiterit, num ut victoriæ fructus ad unos electos perveniret, quos ſervare abſolutè voluit, an verò ut ſub conditione fructus ad omnes homines ex communi quadam* φιλανθρωπίᾳ *redundaret?* Atqui victoriæ fructum velle ad non electos venire ſub conditione fidei, eſt eum ad eos velle venire, ſi eum jam habeant, ſecundum partem ſaltem, niſi neget Animadverſor vel fidem victoriam noſtram eſſe, vel victoriæ Chriſti fructum, utrumque contra Scripturam. Et hoc egregium, Chriſtum velle victoriæ fructum venire ad incredulos, & incorrigibiliter per naturam tales, ſub conditione, ſi non ſint incorrigibiliter increduli! Hoc ſcilicet docendi eramus! IV. Quæ cauſa diſcriminis, quod Abel ſuperior fuit in certamine cum Sathana, ſuccubuit Cain, Cham ſe Sathanæ mancipavit, fratres ejus non item? Annon quia Cain & Cham à Deo relicti in ſua corruptione, reliqui virtute iſtius promiſſionis inſtaurati & roborati? Ad illos itaque pertinet promiſſio, qui complementum illud ſenſêre & Dei donum in ſe, ad reliquos non item. Nec dici poteſt, pertinuiſſe ad reliquos etiam ſub conditione, quum promiſſio *abſoluta* ſit, & conditio iſta neceſſariò ſit pars fructûs ipſius promiſſionis. Vnde etiam delectus in domo Abrahæ, niſi ab eadem cauſa, quod quidam eſſent ſemen mulieris fide promiſſionem excipientis, adeoque filii promiſſionis, alii ſemen ſerpentis, in quibus maneret virus ſerpentis? An dicere etiam debuit Animadverſor, *forte cæteros Abrahami liberos victoriæ fructum non ſenſiſſe?* An enim de hoc ambigendum erat Theologo, qui orthodoxus videri vult? An diffitebitur, Iſmalem ut παράδειγμα vel *exemplum* reprobationis proponi ad Rom. IX. non *typum* tantum? Annon fœdus gratiæ ad ſolum Iſaacum reſtrictum, & in ejus rei Symbolum è Ketura etiam Abrahamo nati domo ejecti poſt Iſmaelem? V. Fatetur in œconomia N. Teſtamenti, *exiguum* etiam *præ aliis talium numerum eſſe.* Qui ergo omnes & ſinguli ſemen mulieris, quibus facta promiſſio, quum plerorumque tamen capita contrita fuerint à ſerpente? *Conditionatam* eam non fuiſſe, oſtenſum. Imò ne conditionata quidem fingi poteſt, quin reddatur ridicula, & conditio, ac conditionatum recurrant. Si Deus etiam omnes & ſingulos ſalvari voluit, cur tam exiguus eſt credentium & ſalvandorum numerus? ſcilicet media illi deerant, id ad effectum deducendi, quod volebat! vel id voluit, quod novit nec futurum nec fieri poſſe per decretum ſuum! Si etiam promiſſio illa ad omnes pertinuiſſet, vim ſuam in omnibus exercuiſſet, & caput ſerpentis *in* omnibus & *ab* omnibus fuiſſet contritum, ut quæ beneficia pars ſunt rerum promiſſarum. Quî etiam fide cum Diabolo congredi potuêre illi, quibus nihil unquam de fide revelatum? An ad τὸ γνωστὸν recurrendum erit? Annon

verò fateri coactus fuit, id quod ex eo hauritur; *cognitionem* potius vocari debere quàm *fidem?*

III. Excipit: *Victoriam & contritionem capitis ſerpentis pendere.* I. *Ex ſpe remiſſionis; quæ à Deo extrinſecus hominibus objicitur;* II. *Ex ſpei illius apprehenſione firma, quæ mentem & affectus in hominibus mutet. Poſterius hoc non præſtari quàm ex vi Spiritus Dei, quæ ſuppeditetur paucis. At non inde ſequi, ſpem ipſam remiſſionis multò pluribus, & univerſis extrinſecus non offerri. Manare enim externam remiſſionis propoſitionem ex communi Dei* φιλανθρωπίᾳ, *vim interiorem ſpiritus ex abſoluta & particulari miſericordia. Poſteriorem partem hujus œconomiæ eſſe particularem, priorem verò, quæ ſpectat ad objectum repræſentatum, qua homines ad fidem & pœnitentiam invitantur, eſſe univerſalem.* At 1. Si victoria pendet ex duobus, & illa duo neceſſaria ſint ad eam obtinendam; utique Deus qui duo iſta neceſſaria eſſe voluit, & tamen unum duntaxat hominibus largiri vult, non alterum, ſine quo victoria obtineri nequit, haudquaquam illos ſalvatos voluit; quibus denegavit alterum, quod tamen, ut ipſe ait, *pendet ex vi Spiritus Dei,* qui *ſuppeditatur paucis, & datur ex abſoluta & particulari miſericordia.* 2 Vniverſis *ſpem remiſſionis* oblatam, falſum. Nec *ſpei remiſſionis,* quæ beneficium Euangelicum eſt, præco eſt natura, nec illis eſſe potuit, quibus nullum unquam objectum per ætatem offerri potuit, nec naturæ, nec gratiæ. Nec ſufficit, *ſpem remiſſionis* offerri, vel placabilitatem Dei! Opus erat, fundamentum iſtius ſpei revelari, & placamentum actuale Deo exhibitum in Filio, ſine quo ſpes vel nulla, vel evanida ſaltem concipi poteſt. An ſatis, remiſſionis ſpem offerri reo, & Principem eſſe placabilem? Immò vel *remiſſio* ipſa & ejus fundamentum univerſaliter proponi debuêre, vel non omnibus volita fuêre. 3. Quid attinet dicere, id *multò pluribus atque adeò univerſis* extrinſecus offerri? Poſterius enim complectitur prius, & prius inutiliter dicitur. 4. Oblatio univerſalis & fundamentum ejus, φιλανθρωπία communis, ſunt ipſum κρινόμενον. Si etiam iſta communis fuiſſet, ejus effectus quoque fuiſſet communis: cum communia non faciant diſcrimen, adeoque omnibus ex æquo fuiſſet beneficium remiſſionis peccatorum revelatum. 5. Quia *vis interior Spiritus* ex *abſoluta & particulari miſericordia* ſuppeditatur, & ſine illa nemo ſalvari poteſt, neminem Deus ſalvari voluit, cui non illam largiri voluit. Et quia iſta œconomiæ pars ſola ſalutaris eſt, voluntas de ſalvandis hominibus, neceſſariò particularis ſtatui debet. 6. *Objecti repræſentationem, quâ homines ad fidem & pœnitentiam invitentur, univerſalem non eſſe,* nemo qui non prorſus depuduit, negare poteſt. Quod enim eſt objectum quo homines invitantur ad fidem, præterquam doctrina gratiæ Dei in Chriſto, in verbo propoſita? vel homines

mines *ad fidem* etiam invitati per præconium naturæ, vel non: ſi prius, id ἀντίγραφον, ἀθεόλογον, ἄλογον: ſi poſterius, non fuit iſta invitatio univerſalis.

IV. Addit, *duo conſideranda* eſſe: 1. *An repræſentatio illa objecti potuerit eſſe univerſalis in familia Adami, Noachi & Abrahami*, & *in œconomia gratiæ tam ſtrictiori quàm latiori, tametſi virtutis interioris ſubminiſtratio particularis fuerit.* Vniverſalem verò fuiſſe primam oraculi propoſitionem probat ex eo, *quod quicquid erat tum hominum id audiverit*, & *cum liberis ſuis vel revera communicârit, vel communicare ſaltem debuerit.* At 1. Quæſtio non eſt, an repræſentatio illa objecti *potuerit* eſſe univerſalis, ſed an fuerit, & an Deus talem eam eſſe voluerit. 2. Diſſociatio illorum duorum, ut unum, nimirum propoſitio objecti ſtatuatur univerſale, alterum ſcilicet ſubminiſtratio virtutis interioris, particulare, ſatis docet, prius non ea intentione à Deo multis proponi, ut iſta virtute, quippe neceſſariò ad ſalutem, ex ſua ordinatione, requiſita, deſtituti ſalvarentur. 3. Illatio inconſequens eſt. Si quicquid hominum fuit tempore Adami, audivit promiſſionem, eam ad omnes pertinuiſſe poſt futuros. At alia ratio Adami & Evæ tum ſolùm exiſtentium, quippe qui è lapſu actu erecti, & vi iſta ſpiritus particulari affecti, utpote quibus tantùm temporaria à Deo denuntiata maledictio, ſublata ſpirituali per promiſſionem: Alia ratio multorum ex poſteris illorum. Nec magis inde ſequitur objectum extrinſecus propoſitum fuiſſe omnibus eorum poſteris, quia id illis propoſitum fuit, quam vi ſpiritus omnibus eorum poſteris indultam, quia illis indulta fuit, qui tum erant totum genus humanum. Quod itaque Adami & Evæ fuit, non ob id fuit omnibus omninò hominibus commune. Illorum capita nec conterenda fuere à Sathana, nec contrita: Aliorum plurimorum è poſteris eorum fuere. 4. Cum omnibus poſteris ſuis poſteros omnes Adæ promiſſionem illam communicâſſe actu, probari nequit. Nec quæſtio, an *debuerint* eam *communicare*, nec enim illis compertum eſſe poterat, qui pertinerent ad ſemen mulieris, cui promiſſio facta, vel non. At quia eam *actu non communicârunt*, nec id ſine Dei providentia, adeòque directione & voluntate factum, nec Deus voluit efficere, ut communicaretur omnibus & ſingulis, eo ipſo objecti iſtius repræſentationem noluit eſſe univerſalem, adeòque neutrum ex iis, ex quibus victoriam & contritionem capitis ſerpentis pendere dicit Animadverſor. Sive jam ob neglectum officium id non factum dicatur, ſive aliis de cauſis, ſatis primam cauſam iſtis defectibus intercedere noluiſſe, adeòque repræſentationem iſtam promiſſionis primæ ex voluntate ejus non fuiſſe univerſalem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

V. Subjicit: *Pronuntiationi oraculi conſenſiſſe Dei lenitatem & φιλανθρωπίαν, qui cum antea mortem præſentem homini, ſi peccaret, interminatus eſſet, ſupplicium diſtulit, & peccatores incredibili benignitate proſequutus, eos ad pœnitentiam, & per eam ad peccatorum remiſſionem invitavit, idque univerſale fuiſſe ad diluvium uſque.* At 1. *Mortem præſentem* Deum homini interminatum fuiſſe, ſi peccaret falſum eſt, & vel Deus non impleviſſet interminationem ſuam, vel mutaſſet decretum ſuum. Nec ex denuntiatione Dei, *morte morieris*, magis hoc ſequitur, quam ex denuntiatione Magiſtratus, morte plectendos hos vel illos tranſgreſſores legis alicujus, nec interminationi illi quicquam decedit, quamvis non in ipſo criminis admiſſi momento in furcam agantur. Nihil itaque aliud iſta interminatione deſignatum, quam hominem futurum *filium mortis* & morti obnoxium, quamprimum peccaturus eſſet. 2. Deum peccatores *incredibili benignitate* proſequutum, ad pœnitentiam & per eam ad remiſſionem peccatorum invitaſſe, verum: omnes & ſingulos, falſum, quod probandum erat Animadverſori id ſupponendum duntaxat. Quî enim non ad illos referetur, quos in peccato naſci & mori voluit extra fœdus gratiæ, priuſquam vel pœnitentiæ vel remiſſionis ſolam nomenclationem, nedum vim & naturam percipere poſſent? Si Animadverſorem etiam audimus, *incredibilis* eſt iſta *benignitas*, invitare ad pœnitentiam, & per eam ad remiſſionem peccatorum homines pœnitere neſcios ſub conditione, ne ſint tales, quamvis ſciret Deus illos pœnitentiam ſine ſuo ſpiritu nec habere poſſe, nec exercere. Si quis incredibilem iſtiuſmodi benignitatem tribueret Principi alieni ſub conditione id genus ſuavitudinis dici poſſet, ſerius non item. 3. Omnes etiam & ſingulos ad pœnitentiam, & per eam ad remiſſionem peccatorum, in Caini præſertim poſteritate, vocatos fuiſſe, ad diluvium uſque, dicitur, non docetur.

VI. Addit 1. *In Noachi familia perinde eſſe*, quod verum, ſed non Animadverſoris ſenſu, verùm eo qui à nobis expoſitus. II. *Odorem placamenti, fœdus de natura conſervanda cum Noacho contractum, fœderis ſacramentum, quo ſibi promiſſionem factam in memoriam revocatum iri teſtatur, & quicquid rebus illis ad ſpem remiſſionis & immortalitatis pertinere, vel obvelabatur, vel adumbrabatur, potuiſſe ad omnes & tum exiſtentes, & olim futuros, adeoque declarationem φιλανθρωπίας & miſericordiæ.* At iſta perperam huc trahuntur, quum nec odor ille placamenti Deum erga omnes & ſingulos placatum fuiſſe teſtetur, ut patet ex maledictione Chami (nec enim Deus revocat gratiam ſemel datam) ſed tantùm oſtendat, Deum gratum habuiſſe Noachi ſacrificium, nec agatur ibi de fœdere gratiæ, ſed de fœdere vel pacto, aut promiſſo potius non exſcindendi amplius orbem per dilu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

diluvium, vel, ut ipſe inquit, *de natura conſervanda*, quod de re terrena eſt, & pertinet non tantùm ad quoſvis homines, etiam impios, verùm *ad omnem* quoque *animam viventem in omni carne*. Gen. IX, 15. ut oſtenſum Exerc. p. 328. 329. An verò, quod ad bruta etiam pertinebat, *obvelabat vel adumbrabat ſpem remiſſionis & immortalitatis?* Fœdus gratiæ interea cum Noacho continuatum, nec Chamum attingebat, nec Chanaanem, vel poſteros ejus, quippe quibus maledictio oppoſita benedictioni fratrum deſtinata. Vnde etiam probabit Animadverſor, eandem eſſe latitudinem primæ promiſſionis, & pacti de non exſcindenda terra diluvio? Conferat interea Lector à me oppoſita Animadverſori, à p. 324. ad 339. & videbit, quàm *magna malæ* hîc *ſuperſit audacia cauſæ*, dum magnificè pro reſponſo omni dictata ſua repetit, nec ullo modo à me objectis ſatisfacit.

VII. Addit: *In Abrahami familia cœpiſſe aliquam in ea diſpenſatione fieri mutationem. Hactenus enim Deum conjunxiſſe duo quibus ſpem remiſſionis oſtendebat, verbum, & ἀνοχὴν μακροθυμίαν καὶ χρηστότητα, quæ providentiæ adminiſtrationem comitabantur.* At 1. Quid clarius prævaricatione iſta? Annon diu ante Abrahamum in Caini & Sethi, Semi & Chami poſteris cœpit fieri mutatio ingens? 2. Duo iſta Deum ſemper conjunxiſſe, vocem nimirum naturæ & verbi, apud omnes, falſum. 3. Si æqualis Dei fuiſſet φιλανθρωπία quoad *gratiam objectivam*, æqualiter ſe Deus & voluntatem ſuam verbo omnibus revelaſſet. Æqualia enim, ut dictum, non faciunt diſcrimen. At iſta φιλανθρωπία æqualis ab Animadverſore ſtatuitur. 4. An Deus verbo *ſpem remiſſionis*, tantùm oſtendit? Imò fiduciam ejus concipi voluit, fundamento ejus indicato, ſemine nimirum mulieris contrituro caput ſerpentis. Et vel prima promiſſio ſpem tantùm aliquam remiſſionis oſtendit, vel non. Si prius, id & contra verba promiſſionis eſt, quæ fiduciam exigunt in rem certò futuram, nimirum conterendum eſſe caput ſerpentis à ſemine mulieris, & eo ipſo falſum ſupponit. Si poſterius, promiſſionis iſtius revelatio non fuit continuata reſpectu omnium. Aliud enim longè, aliquam ſpem facere rei alicujus alicui, aliud, ei fiduciæ argumentum dare. Illud *poſſibilitatem* rei ſupponit, hoc *futuritionem*. 5. Nec providentiæ, ut ſuo loco videbitur, adminiſtratio, nec ἀνοχὴ, vel μακροθυμία vel χρηστότης fuere præcones Euangelii de ſemine mulieris, de quo quæſtio. Doceat Animadverſor, iſtam promiſſionem omnibus & ſingulis revelatam, vel fateatur eam omnibus & ſingulis haudquaquam deſtinatam fuiſſe. Immò quibus Deus denegavit verbum, quod ſolum fatetur eſſe *miniſterium ſpiritûs*, illis denegavit *gratiam objectivam*, neceſſariam, adeoque & pleriſque extra Abrahami poſterita-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

tem tunc viventibus. Nec verbum tantùm hæſit in domo Abrahami, ſed & fœdus gratiæ, niſi tota Scriptura evertatur, imò ne in integra quidem Abrahami familia hæſit. Sed in ſolo Iſaaco, & ejus ſemine fideli. Et fruſtra hominum *ſocordiæ* & *negligentiæ* revelationis obliterationem adſcribit Animadverſor, tum quia ſi Deus eam univerſalem voluiſſet, ei negligentiæ interceſſiſſet, tum quia eo ipſo fatetur, iſtam revelationem non fuiſſe univerſalem; Immò eam pleriſque multis ſeculis denegatam fuiſſe. Tales verò ſalvari non potuere, nec lumen objectivum ſufficiens ad ſalutem habuere. 6. ἐξαγώνιον, latiorem ſemper fuiſſe prædicationem verbi *gratia ſubjectiva*, quum illa reſpectu multorum tantùm *exactiva* fuerit officii, & illis obtigerit propter alios gratia ſalutari donandos, in quorum communione vivebant, & ob cauſas alias à nobis alibi indicatas. 7. Confundit etiam Animadverſor, communis cujuſdem bonitatis divinæ, quoad externa, manifeſtationem, quæ eſt ἐν τῷ γνωστῷ, cum manifeſtatione bonitatis iſtius ſpecialis quoad beneficium contritionis capitis ſerpentis, quod in eo nunquam manifeſtatum, nec natura unquam reddita fuit annuntiatrix & præco iſtius gratiæ. Et ſanè τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ idem eſt ante & poſt lapſum, nec magis miſericordiam Dei erga creaturam peccatricem annuntiat poſt lapſum quàm eam prædicebat ante eum, nec enim quicquam illi acceſſit poſt hominis peccatum. Vtrobique verò oſtendit tantùm *divinitatem* & *potentiam* Dei, ut docet Apoſtolus, non ſpem remiſſionis, non φιλανθρωπίαν univerſalem ad ſalutem, quam Apoſtolus haudquaquam prætermittere debuiſſet, ut præcipuum, quod in τῷ γνωστῷ nobis obſervandum eſſet, ſi id in eo repræſentaretur. Quis verò adeò iſti Dictatori ſe mancipârit, ut cenſeat id ἐν τῷ γνωστῷ repræſentatum eſſe, quod Apoſtolus haudquaquam commemorat! Et quis, qui ſuæ ſpontis eſt, non malit ejus fructum Apoſtoli verbis explicare quàm Animadverſoris?

VIII. Pergit Animadverſor, & ſemen Abrahæ duplex facit, *unum ex carne, alterum ex ſpiritu. Ad id fœdus legale pertinuiſſe, ad hoc fœdus Euangelicum. Ab illius communione reliquas gentes excluſas fuiſſe, nec præceptorum legalium, nec oraculorum de Meſſia, nec cæterorum documentorum notitiam ullam habuiſſe. Deum tamen reſpectu talium non ſe reliquiſſe ἀμάρτυρον, & voce creaturarum ac providentiæ omnes homines promiſcuè ad ſe vocâſſe. Et cum voce illa ſpem remiſſionis reſipiſcentibus oſtenderit, gratiam objectivam fuiſſe eatenus univerſalem.* Hoc verò ludere eſt in re ſeria. Nam 1. Non *fœdus legale*, quod vocat, tantùm ad ſemen Abrahæ naturali generatione, ut loquitur, *creatum* pertinuit, ſed & ad ſemen ejus ex ſpiritu. Non debuit itaque diſtinctio iſta ita nudè proponi, nec enim ſemen Abrahæ *ex ſpiritu* excluſum

fuit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

fuit à præceptorum legalium, vel oraculorum de Meſſia communione, inſtar reliquarum gentium. 2. Fœdus legale malè collocatur in præceptorum legalium, & oraculorum de Meſſia, & cæterorum documentorum in revelatione illa ſparſorum notitia, contra communem Orthodoxorum ſententiam, qui fœdus legale in eo collocant, quod Deus olim imperavit, *Hoc fac & vives*, exigendo obſequium plenum ſub promiſſione vitæ, & inobedientiæ nec *intenſivè* plenæ, nec *extenſivè* interminando mortem. An etiam oracula de Meſſia pertinuere ad fœdus legale oppoſitum Euangelico? Quid abſurdius? 3. Immò, quia reliquæ gentes nullam habuere notitiam, ut fatetur, oraculorum de Meſſia, promiſſionis iſtius revelatio non fuit univerſalis, quod volumus. Imò ne præceptorum quidem legalium omnium notitiam talem fuiſſe fatetur. An verò ſalvari potuere gentes ſine notitia ulla oraculorum de Meſſia? Et vel ſine ea habuere *gratiam* ſufficientem *objectivam*, vel non. Si prius, datur illa extra ullam oraculorum de Meſſia notitiam, quod ἀθεόλογον & ἀντίγραφον. Vel non, & ſic falſa eſt Animadverſoris aſſertio. 4. Quî ſe Deus ἀμάρτυρον non reliquerit reſpectu reliquarum gentium, docet Apoſtolus, quia nimirum *benefecit illis*. Et qua in re? plurimis illis *dando tempeſtates opportunas, & corda eorum replendo cibo & gaudio*? Act. XIV, 16. An hoc eſt vel promiſſionis primæ revelationem illis continuare, vel *gratiam objectivam* ſufficientem ad ſalutem iis proponere? Conſcientiam Animadverſor & Lector excutiant ſuam, & videant, an iſta univerſalitatem gratiæ objectivæ probent, de qua quæſtio! Annon dicitur Deus ſiviſſe gentes *ſuis* ipſarum *viis incedere*, & tempora illa ob id vocantur *tempora ignorantiæ & iræ?* Annon ob id *ſine Deo* fuiſſe dicuntur, & *ſine ſpe?* 5. Voce ſanè creaturarum & providentiæ præconio Deus homines vocavit ad ſe, ut creatorem, ſed non ut Redemptorem, ad *divinitatem* & *potentiam* ſuam agnoſcendam, non verò ad agnoſcendam gratiam ſuam in ſemine benedicto hominibus deſtinatam. Et vel voce iſta Deus omnes vocavit ad gratiam Euangelicam, & promiſſionem de ſemine mulieris iis propoſitam, vel non. Si prius, Euangelium non fuit σεσιγημένον, & τὸ γνωστὸν docet promiſſionem de ſemine mulieris, & Euangelium gentibus omnibus fuit propoſitum; vel non, & ſic cadit promiſſionis illus propoſitio univerſalis. 6. Nec ſpei etiam remiſſionis oblatio univerſalis dici poteſt, reſpectu innumerorum, qui ne per ætatem quidem ejus capaces eſſe potuere, nec iſtud præconium eſt gratiæ Euangelicæ, vel promiſſionis de ſemine mulieris revelatio. Nec τὸ γνωστὸν magis ingerebat ſpem remiſſionis, quàm iram Dei & ſeveritatem peccatoribus. Nec ſpes illa poterat concipi extra revelationem de Meſſia. Et ſanè quum τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ. Deum æquè repræſen-

præſentet juſtum ac miſericordem, non poterat magis ſpes inde oboriri remiſſionis, quàm metus punitionis peccatoribus. Imò cum exercitium juſtitiæ neceſſarium ſit in Deo & naturale, miſericordiæ arbitrarium planè, illud *per ſe* ſequatur peccatum, iſtud *per accidens*, prius ἐν τῷ γνωστῷ concipi potius poterat quàm poſterius. Et ſanè ſi gentes gratiæ ſigna videre, videre etiam plurima ſigna horrendæ iræ Dei. Et tamen hoc uno fermè tibicine nititur Animadverſoris Theologia, quaſi ſpes remiſſionis, reſipiſcentibus oſtenſa fuerit univerſaliter ἐν τῷ γνωστῷ τοῦ Θεοῦ, & quaſi τοῦ γνωστοῦ manifeſtatio propoſita in natura ſit idem quod fiducia remiſſionis peccatorum in ſemine benedicto concipienda, propoſita in verbo. Iſta verò vel conveniunt iſta *quoad rem* vel non. Si prius, & *gradu* tantùm differunt, & ejuſdem gratiæ Euangelicæ natura eſt, præco, cujus eſt verbum Euangelii, quod ἀθεόλογον, & Socinianum, & Chriſtianæ Religionis neceſſitatem convellit. Si poſterius, gratia objectiva non fuit univerſalis, quæ neceſſaria eſt ad ſalutem. 7. Supponit perperam, *ſemen Abrahæ ſecundùm Spiritum* demum exoriri debuiſſe ſub N. Teſtamento in vocatione gentium. At tale inde ab ipſo Iſaaco ſemper datum inter Iudæos. Et nulli ex Abrahæ poſteris ſervati, qui non eſſent etiam ſemen ejus *ſecundùm ſpiritum.* Et cur non prius ſemen ſecundùm ſpiritum exortum? Cur limites etiam fixi prædicationi verbi? Cur fœdus gratiæ non omni creaturæ prius annuntiatum? An ſine talibus adultus ullus poterat ſalvari? 8. Vel etiam omni creaturæ fœdus gratiæ prius præconio naturæ fuit annuntiatum, vel non. Si prius, differunt naturæ vox & verbi *gradu* tantùm, non *ſpecie* præconii. Si poſterius, illius fœderis annuntiatio univerſalis non fuit multis ſeculis, adeoque nec fœdus ipſum univerſale fuit. Sin ad omnes pertinuiſſet, omnibus revera fuiſſet annuntiandum, & Deus ejus præcones ubique & apud omnes excitaſſet. Immò ne ab Apoſtolis quidem id omnibus annuntiatum, ut fateri cogitur, dùm dicit, hoc præſtitum fuiſſe, *quantum tum fieri potuit.* At illi diu coërciti intra unam gentem, & prohibiti ire in loca quædam. Et innumeræ gentes haudquaquam participes redditæ præconii illius, ne hodie quidem poſt tot ſecula. Et ſi Deus præconium illud voluiſſet eſſe univerſale, media ei non deerant ejus in Veteri & Novo Teſtamento ubique & apud omnes diffundendi. Ipſe verò in Defenſione Calvini fatetur, id non potuiſſe ad omnes diu diffundi. Nec id ſine providentiæ Dei directione factum. 9. Gratiam objectivam in N. Teſtamento eatenus univerſalem eſſe, quatenus nullam nationem excludit ſigillatim, extra controverſiam eſt, & ſic redditur tantùm univerſalis *quoad genera ſingulorum*, non verò *quoad ſingula generum.* An verò de eo quæſtio inter nos? Vel ita etiam univerſalis fuit ſub

V. Teſta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

V. Teſtamento, vel non: ſi prius, diſtinguere iſta non debuit Animadverſor: ſi poſterius, gratia illa objectiva multis ſeculis univerſalis non fuit. 10. Immò an Deum Trinunum potuere cognoſcere gentes ex natura, & agnoſcere talem ἐν τῷ γνωςῷ, vel non? Si prius, natura eſt præco S. Trinitatis: ſi poſterius, non verum Deum potuere cognoſcere ſufficienter ex natura, qualis agnoſci debuit, vel non fuit gentibus neceſſarium, credere Deum Trinunum. An verò non agnoſcere & credere Deum Trinunum, non eſt idolum agnoſcere, non verum Deum? Vel etiam credebant gentes iſtæ, ſe poſſe pœnitentiam agere; ut oportet, vel non. Si prius, falſum credebant, nec enim id ἐν τῷ γνωςῷ revelatum. Si poſterius, fruſtra ſpes iſta remiſſionis iis propoſita. Et vel agnovere fundamentum aliquod iſtius ſpei, vel non. Si nullum agnovere, non magis vera ſpes talis dari poterat, quàm ædificium ſine fundamento. Sin agnovere aliquod, aut agnovere falſum fundamentum, aut verum, ſi falſum, ſpes iſta vera eſſe non potuit: Si verum: Ergo agnovere placationem actualem Dei in Chriſto, quod abſurdum. Vel etiam gentes illæ in natura potuere ἐν τῷ γνωςῷ intelligere veram rationem cultus divini, vel non. Si potuere, extra verbum aliquis noſſe poteſt ſufficienter ad ſalutem, quî Deus colendus ſit, & hodie idem poteſt ſcire Tapujas. Si non, gratia ſufficiens objectiva non fuit univerſalis. Niſi non ſit neceſſarium ad ſalutem, ſcire veram rationem colendi Deum. 11. Nec nobis, ut ſupponit Animadverſor, imperatum, *ut facem Euangelii circumferamus per totum orbem*, nec enim munus noſtrum ejuſdem cum Apoſtolis latitudinis eſt, nec ſi id eſſet, Animadverſor bene faceret, qui ſe Salmurienſi affigeret glebæ, & non ad Americanos iter moliretur. Nec ſi iſta Dei voluntas eſſet, difficile ipſi foret præcones ubique excitare. At, inquit, *in iis locis, ad quæ nulla dum manavit Euangelicæ præparationis auditio, perſiſtit τῦ γνωςῦ revelatio.* Illa verò aut ſufficiens eſt ad ſalutem in genere etiam *cauſæ objectivæ*, ut loquitur, aut non. Si prius, falſum eſt, quod ipſe aſſerit, in N. Teſtamento *diſtinctam Chriſti cognitionem* eſſe neceſſariam ad ſalutem, aut illa traditur gentibus illis, ἐν τῷ γνωςῷ τῦ Θεῦ, & Dei Trinunius revelatio. Si non, gratia objectiva ſufficiens ne hodie quidem innumeris traditur, adeòque univerſalis non eſt. 12. Ἐξαγώνιον, nexum eſſe certum inter reſipiſcentiam, veram nimirum, & remiſſionem peccatorum. Vbi illa datur, ibi iſta datur, ſed falſum, ad illam ſufficienter præire lumen naturæ. Iſta enim dari nequit ſine revelatione gratiæ Dei in Chriſto, cujus præco natura non eſt, adeòque nec præco gratiæ univerſalis neceſſariæ. Et vel aliquis reſipiſcere poteſt, ut oportet, ſine Chriſti revelatione, & placationis Dei per illum cognitione, vel non. Si prius,

cognitio Chriſti neceſſaria non eſt ad ſalutem. Vbi enim datur vera reſipiſcentia, ibi datur remiſſio peccatorum, ubi iſta, ibi ſalus. Et reſipiſcentia vera poteſt dari ſine fide. Si poſterius, gratia objectiva ad reſipiſcentiam neceſſaria denuò non eſt univerſalis.

IX. Quærit Animadverſor, an ſi repræſentatio illa objecti, ſcilicet in natura, fuerit univerſalis, id ſatis ſit, ut oraculum, *ſemen mulieris conteret caput ſerpentis*, complementum ſuum ſortitum eſſe dicatur. pag. 128. Et reſpondet p. 130. & 131. 1. *Promiſſionem de felici ſucceſſu certaminis cum ſerpentibus, univerſalem quidem fuiſſe, ſed ſub conditione, ſi homines diligenter ſibi caverent.* Atqui 1. Non reſpondet Animadverſor ad quæſtionem; An enim, quamvis promiſſio de felici ſucceſſu certaminis cum ſerpentibus univerſalis eſſet ſub conditione, ſequeretur, repræſentationem objecti in natura propoſiti, etiam univerſalem, ſatis eſſe, ut oraculum de ſemine mulieris contrituro caput ſerpentis, dicatur complementum ſuum ſortitum? At in natura altum ſilentium & de ſemine illo mulieris, & de contritione capitis ſerpentis per illud, cujus nuntii ſolum Dei verbum præco eſt. 2. Inaniter planè regreditur Animadverſor ad promiſſionem de felici ſucceſſu certaminis cum ſerpentibus. Quaſi verò de eo multùm ſolicitus fuerit Spiritus Sanctus in iſta promiſſione! Quaſi verò etiam promiſſionem univerſalem conditionatam talem Deus unquam feciſſet! At qui maximè etiam ſibi cavent, ſæpe in Libya, Braſilia & alibi, nihilominus ſæpe ſic pereunt. Incauti contrà multi non pereunt. Adde, id promitti potuiſſe ſub iſta conditione, quia conditionis præſtatio pendet ab arbitrio noſtro, & illud ad id ſufficit: At idem locum non habet in certamine cum Diabolo, ad quod nec lumen naturæ nec arbitrium noſtrum ſufficit, nec id quod ſufficit, innumeris datur. II. Inquit, promiſſionem de Diaboli obtritione univerſalem tantùm eſſe ſub pari conditione operæ ab hominibus adhibitæ, *ne ſe patiantur Diaboli tentationibus & fraudulentis artibus illaqueari.* At 1. Promiſſio illa *abſoluta* eſt, non *conditionata.* 2. Vniverſalis non eſt, ut oſtenſum, quia non ſemini ſerpentis facta, quippe quo deſignari filios Diaboli, demonſtratum re verò negata, negantur omnes modi rei. 3. Conditio illa inepta eſt, coincidit enim cum re conditionata. Operam enim adhibere, ne ita illaqueemur à Sathana, eſt jam ex parte conterere caput ſerpentis. *Pro quibus* etiam, & *in quibus* non eſt contritum caput ſerpentis, illi Diaboli & tentatione & fraudulentis artibus delectantur, illas ipſi imitantur, & ſic ſeducere ipſi conantur alios. 4. Adde, vel conditionem illam actu præſtari poſſe ſine *gratia ſubjectiva*, vel non. Si prius, gratia iſta non neceſſaria eſt, & homines ſine ea ſibi cavere ſatis poſſunt à Diabolo. Si poſterius, fruſtra & per

ludi-

ludibrium talis promiſſio facta omnibus ſub iſta conditione, ne ſint quod non poſſunt non eſſe, & habeant quod non poſſunt habere, & ut faciant quod non poſſunt facere. Impotentiæ hîc diſtinctio inutilis eſt, ſatis, ex æquo utramque eſſe invictam. Quot Anachoretæ etiam omnem operam poſuere, ne illaquearentur; qui tamen illaqueati fuere? Noti ſatis ſunt Hieronymi in deſerto planctus. III. Addit Animadverſor, ſi *ſecurè dormiant, vel induant ſe ultrò in laqueos, ad eos ſpem victoriæ non pertinere, iis ſolis deſtinatam, qui clementiæ & placabilitati, divinâ fiduciâ freti ſuæ ſaluti diligenter invigilabunt.* Scilicet, ſi tam nobilem Diſputatorem audimus, ſpes victoriæ pertinet ad homines, ſi victoriam habeant, & ejus beneficia agant? An enim ullus *fiduciâ clementiæ Dei fretus* dici poteſt, niſi qui vera fide proditus eſt? An verò qui talis, non jam victoriam habet? Et egregiè ſpes victoriæ ad eos pertinet, qui ejus fiduciâ jam nituntur. Vel etiam conditionem iſtam præſtare poſſunt, *gratiâ ſubjectivâ* non donati, vel non. Si prius, ſaluti ſuæ diligenter aliquis incumbere poteſt ſine ea, & clementiæ divinæ fiduciâ niti. Si poſterius, objectum iſtud à Deo proponi non poteſt, ea intentione ut homo per id ſalvetur. IV. Addit, *impiam ſecuritatem eorum, quoram Diabolus ſalutem intervertit, non prohibere complementum iſtius oraculi.* At de eo non eſt quæſtio. Nec enim *pro impiè ſecuris* caput ſerpentis à Chriſto contritum, aliàs tales non eſſent, & id *in illis* etiam contritum eſſet. *Securè impii*, pertinaciter nimirum tales, ut probatum, pertinent ad ſemen ſerpentis, non mulieris, illi verò nihil promiſſum. Adde non *ſecurè impiorum* tantùm ſalutem Diabolum intervertere, ſed & multorum qui nec tales ſunt, nec tales per ætatem eſſe poſſunt. Quot Gentiles etiam & Mahumetani alii variis modis in ſalutem ſuam seriò incubuere, ſed fruſtra, quia alia ratione in illam incubuere, quàm quâ oportebat, nec novere, quî in eam incumbendum foret! V. Addit, *multos manere à Diaboli tentationibus intactos*, quod falſum, etiam reſpectu ſanctiſsimorum. Nec verius, quod multos Diabolus ſpe ſalutis evertit, *in eo eos nihil accuſare poſſe, præter ſuam incredulitatem & impœnitentiam.* An enim id de infantibus Gentilium ulla probabilitatis ſpecie dici poteſt? An incredulitas exitii illorum cauſa eſſe poteſt, qui ad fidem nunquam vocati fuere? At quî credent niſi audiverint, quî verò audient ſine præcone? Adde, incredulitatem & impœnitentiam è potiſsimis malis eſſe, per quæ dominatur ſerpens, & quorum remedium promittitur, in iſto oraculo. Ergone nihil obſtat, quominus tales beneficium iſtud obtineant, niſi quia illud non habent! Quam diluta talia! Et an qui promiſsionem illam propoſuit, & novit omnes incredulos futuros & im-

pœnitentes ſine ſuo dono, & invictè quidem, ille tales ſalvatos voluit, modò ne eſſent, quod ſunt, & quod non poterant non eſſe ſine *gratia ſubjectiva*, quam tamen illis denegatam abſolutè voluit. Accuſationi cæteroquin locus nullus, quamvis Deus nullos prorſus voluiſſet ſalvatos.

X. Egregia verò eſt quam addit Animadverſor concluſio! Si præſtare poſſimus ut nihil ſerpentes nobis noceant, ſi rectè utamur ſtaturâ, perſpicaciâ & membris noſtris; *ſic vocationem cœleſtem, quæ nos ad ſuperna elevat, & intellectum ac voluntatem, facultates à Deo nobis conceſſas, hoc efficere poſſe, ſi eis pariter, prout decet uteremur, ut nihil nobis eſſet à Diabolo extimeſcendum.* Quàm cruda iſta! ſi homo ab externo inſultu animalis ſibi poſſit cavere, quamvis ne hoc quidem ſemper poſſit, eum etiam poſſe ſibi cavere ab inſultu vel externo vel interno Diaboli! 2. Si etiam *vocatio cœleſtis* nos ad ſuperna elevat, vel intelligitur ea quæ fit *per verbum*, at ea nec univerſalis eſt, ut ipſe fateri cogitur nec hoc præſtat, niſi in genere *cauſæ objectivæ*, ut loquitur, adeòque ſola non ſufficit, vel quæ fit per *naturam*, at iſta nos nec elevat ad Chriſtum, nec ad eum elevare poteſt, ſine cujus cognitione tamen ſalus nobis obtingere non poteſt. Nec ſufficit *res cœleſtes* in genere contemplari in operibus providentiæ, opus ad ſalutem, noſſe Deum Trinunum, & Chriſtum Redemptorem ac placamentum in ſanguine ejus, *ſaltem* in *Novo Teſtamento*, idque *diſtinctè*, ut fateri ipſe cogitur. 3. Scilicet vocatio ſola per τὸ γνωστὸν & intellectus ac voluntas, quæ ſunt in homine naturali, hoc efficere poſſunt, ut nihil illi ſit à Diabolo extimeſcendum, etiam *ſine gratia ſubjectiva*, quippe quam univerſalem non eſſe, notum eſt! 4. Egregium etiam εὕρημα, id futurum, *ſi facultatibus iſtis pariter prout decet uteremur*, hoc eſt, ſi contereremus caput ſerpentis, & eum vinceremus, nihil nobis ab eo eſſet metuendum! Quid enim eſt facultatibus illis, prout, decet, uti, niſi & intellectu & voluntate in Deum ut placatum, & in eum quem miſit Chriſtum, ferri, & eum amplecti, ut Servatorem? Qui verò id faciunt, illi jam victores ſunt. At annon iſtius conditionis præſtatio & facultas eam præſtandi ſunt ex beneficiis iſta promiſſione contentis? Et jocalariter Deum iſtam promiſſionem & ejus fructum nobis deſtinare docet Animadverſor, modò utrumque jam habeamus. Et Deus qui novit nos non magis iſtis facultatibus *bene uti* ſine *gratia ſubjectiva* poſſe, quàm filia Iairi mortua membris ſuis: tamen ſub hac conditione victoriam nobis deſtinat, *ſi iis prout decet, utamur.* Vnde vero fit, quod iis bene uti non poſſimus, niſi à morſu ſerpentis? Modo ergo ſerpens nos non læſerit, nec ſimus peccatores, vel corrupti, hoc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

hoc beneficium nobis obtinget, in beato vero ſtatu illo erimus, ſi intellectu & voluntate noſtra bene utamur, & ſic nihil habebimus extimeſcendum. Scilicet ſi è gentilibus nati benè utantur ſuis facultatibus & vocatione cœleſti, quamvis denaſcantur, priuſquam vel intelligere vel velle quicquam poſſint, nihil illis erit extimeſcendum! Hypochondriacam iſtam Animadverſoris Theologiam dicerem, ſi cum minus ſublimi Theologici orbis præſide mihi res eſſet.

XI. Subjicit, hinc patere, malè à me citatum locum Calvini p. 193. Exercit. At ſola collatio à me ibi dictorum cum iis quæ apponit futilitatem iſtius accuſationis proſcribit. Ipſe cogitur fateri, ad *ſola Chriſti membra* pertinere, *actualem* capitis Sathanæ *contritionem*. At talem ſemini mulieris pollicetur Deus in prima promiſſione. Nec ſupponendum, alios, caput Sathanæ poſſe conterere, nec enim vires ſpirituales ad id neceſſarias habent, quippe qui aliàs corrupti non forent. Qui verò viribus ſunt deſtituti ad actum aliquem edendum, ii eum nunquam edere poſſunt.

XII. *Excipit*, id ad ſola quidem Chriſti membra pertinere, *at ut membra Chriſti fiant, id omnibus conceſſum eſſe, ſi modò eum per fidem amplectantur. Fide enim nos inſeri in Chriſti corpus, ad quam omnes invitentur.* At 1. Falſum, ullis præter electos conceſſum eſſe, ut membra Chriſti fiant, nec id probari poteſt vel *à priori* ex deſtinatione Dei, vel *à poſteriori*, ex ejus manifeſtatione. 2. Ἀδολεσχεῖ denuo Animadverſor, & confundit *conditionem* & *conditionatum*, idem enim eſt ac ſi diceret, modo aliqui ſe faciant membra Chriſti vel talia fiant, iis conceſſum eſſe, ut fiant membra Chriſti. Quid enim eſt amplecti Chriſtum per fidem, quam eum pro capite habere, adeoque ſe ejus membrum agnoſcere & profiteri? 3. Egregia etiam iſta conceſſio! *Modò Chriſtum per fidem amplectantur iis conceſſum eſſe, ut fiant membra Chriſti*, hoc eſt, modò filius viduæ Naimiticæ ſe erigat è ſandapila, hoc vel illud illi conceſſum fore. Nec enim magis vincibilis ab homine animali eſt impotentia *moralis*, quam *naturalis* ab homine mortuo, natione cujus ſolius comparatio inſtituitur, ne Animadverſor rimam iterum quærat in diſtinctione impotentiæ. Imò quum Deus fidem ſolis electis deſtinarit, & tamen inſitionem in Chriſtum à fide ſuſpenderit, utique ſane non niſi illis membra Chriſti eſſe conceſſit, quos fide donare voluit. Annon etiam diſertè dictum, *multos non potuiſſe credere?* Quamvis etiam Scriptura dicat, *neminem poſſe venire ad Chriſtum, niſi pater eum trahat*, omnibus tamen id conceſſum eſt, ſi Animadverſorem audimus, modò ipſi veniant. Et qua conſcientia dici poteſt, vel in Novo etiam Teſtamento, minus in veteri, omnibus, nullo excepto, conceſſum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

eſſe, ut membra Chriſti fiant, ſi modò eum per fidem amplectantur, quum innumeris nec de Chriſto, nec de fide, nec de inſertione in Chriſtum per fidem quicquam fuerit revelatum, immò ne per ætatem quidem revelari potuerit? Fide cæteroquin nos inſeri in corpus Chriſti ἐξαγώνιον, quia verò non niſi fide ullus inſeri poteſt, nemo qui fidem ex ſe habere non poteſt, quæ impotentia univerſalis eſt in omnibus, vel cui fidem Deus largiri non vult, inſeri in corpus Chriſti poteſt. Dicere; Omnes indiſcriminatim ad iſtam inſertionem invitari, eſt petere τὸ ἐν ἀρχῇ, ſi intelligatur ſyncategorema *collectivè*. Sin intelligatur *diſtributivè*, nihil concludit. Tuam fidem, Lector! An omnes in V. Teſtamento ad hoc invitati fuere? An hodieque omnes indiſcriminatim Anmericani, vel Auſtralis terræ incolæ? An etiam per τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ omnes indiſcriminatim incitantur ad fidem, per quam inſerantur Chriſto, vel non? ſi prius, natura denuo eſt præco fidei & inſertionis in Chriſtum: ſi poſterius, iſta invitatio univerſalis non eſt.

XIII. Tandem inquit, loquutiones illas: *Hic eſt agnus Dei qui tollit peccata mundi*; *Item, guſtavit mortem pro omnibus, & ſimiles tacitam conditionem includere, etſi nullam exprimant. Sic & oraculum de ſemine mulieris contrituro caput ſerpentis, cum ad genus humanum univerſum extendatur conditionem pariter continere, in rei ipſius natura deliteſcentem.* At 1. Falſum, conditionem includi, in verbis, *hic eſt agnus Dei*, &c. quam non ſimul efficiat ipſe Agnus, *pro quibus* enim tollit peccatum, *in iis* etiam id tollit, & *ab iis*. Nec ulla Iudæorum incredulitas obſtare potuit, quominus id peccatum tolleret iſte Dei agnus, cui tollendo miſſus eſt. Nec vel miſſiò vel paſſio Chriſti ſunt conditionales, ſed tantùm applicatio utriuſque, ipſa verò conditionis ad applicationem neceſſariæ impetratio habetur à paſſione Chriſti. Nec magis Chriſtus conditionaliter *guſtavit mortem pro omnibus*. Docendum verò illud erat, non dicendum tantùm. Imo ridicula eſſet conditio appoſita verbis Iohannis de agno Dei tollente peccata mundi, & everteret promiſſionem vel declarationem Scripturæ. Conditionis enim impetratio, ut beneficium gratiæ, neceſſariò iſta ſublatione continetur. Qui enim tollit peccatum mundi, tollit etiam peccatum incredulitatis mundi. Nec dici poteſt, id fieri niſi ſit perſeverans, eo ipſo enim quo tolli debet ex promiſſione non fit perſeverans. Et niſi tollatur, ſemper perſeverans eſt, & neceſſaria quidem: Adde, illos, quorum peccata Chriſtus tollit, & *pro* quibus mortem guſtavit, cenſeri conditione illa carere, & eam ex ſe habere non poſſe, non itaque ſub iſta conditione vel mortem pro iis guſtat, vel tollit peccata mundi. 2. Sic, ſi promiſſio de ſemine mulieris contrituro caput ſerpentis conditionem contineat, huc

ejus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

ejus ſenſus redibit; Chriſtum contriturum caput ſerpentis pro univerſo genere humano modò id ipſum primo conterere incipiat caput iſtud, & ſanè qui fidem habet & quà illam habet, eo ipſo jam conterit caput ſerpentis. Promiſſionem etiam iſtam ad univerſum genus humanum extendendam eſſe, eſt ipſum ἀμφισβητούμενον. Notet etiam Lector egregium hoc gloſſema! Quando promiſſio iſta refertur ad electos, eam *abſolutè* intelligendam eſſe, quando ad alios, intelligendam tantum eſſe *conditionatè*. Et ubi hoc diſcrimen in verbis promiſſionis? Quid etiam intereſt inter conterere caput pro aliquo, ſub conditione fidei, qui fidem ex ſe habere non poteſt, & quem conterens novit eum habere non poſſe, & inter non conterere? Præterquam quod innumeris nunquam revelata fuit nec promiſſio illa, nec conditio. 3. Conditionem hic *in rei natura deliteſcere* fruſtra dicitur, quum promiſſio iſta iis fiat, quos novit Deus conditionem nec habere, nec habere ex ſe poſſe. Id tantum inde ſequitur, quia conditio in ea deliteſcit, & neceſſario ad ejus applicationem exigitur, Deum illos ſalvari nolle, quos novit iſta conditione & gratia eam præſtandi deſtitutos eſſe, & quibus eam, utut à ſe ſolo pendentem, largiri non vult, adeoque nolle eum ſalvari ullum non electum.

CAPVT IV.

An locis Ioh. III, 16. & X, 26, 29. *probetur particularis, an verò Univerſalis Redemptionis deſtinatio?*

BREVIARIVM Capitis quarti.

DEſultorius ordo Animadverſoris. Injuſta ejus accuſatio. Repetitio τοῦ ἐν ἀρχῇ. *Querela ejus iniqua. Cauſa* ἐξηγήσεως *accuratæ loci* Ioh. III, 16. *Convitia & dicteria oppoſita. Aſſertio Animadverſoris retorta. Ejus* βραχυλογία. *An opinionem ſuam confutatam repetere, ſit reſpondere. An redemptio ab Animadverſore proponi debuerit alia ut* abſoluta, *alia ut* affecta conditione. *Defenſio Animadverſoris confutata. Redemptionis* conditionatæ *ex ſententia ejus probatio.* Abſolutæ *&* conditionatæ *redemptionis perverſa explicatio notata. Diſſenſus Diſſertatoris & Animadverſoris.* Conditionatæ *redemptionis explicatio. Redemptionem,* abſolutam *eſſe probatur, & quo ſenſu. Legati abſoluti & conditionati diſtinctio. Applicatio redemptionis conditionata eſt, non redemptio. Petitio* τοῦ ἐν ἀρχῇ. *An redemptio univerſalis omnibus propoſita dici poſſit. Redemptionis abſolutæ defenſio. Simile Animadverſoris retuſum. Coccyſmus perpetuus notatur. Cavilla & dicteria Animadverſoris. Locutiones crudæ Redemptionis univerſalis oblatio, everſa. Ad Calvini & Muſculi authoritates reſponſum. Verba Calvini vindicata. An ex precibus pro omnibus ſequatur univerſalis redemptio. Qui generale ponatur pro univerſali, & contra. Excuſationem omnem præcidi incredulis ex ſententia noſtra, oſtenſum. Falſum, omnes ad vitæ participationem vocatos. An Deus ſe propitium*

oſten-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

oſtenderit omnibus ad ſalutem. An propitiationem deſtinarit omnibus. Totum mundum pro electis ſumi, oſtenſum. Veterum ſuffragia. Simile Animadverſoris retuſum. Calvinus expoſitus & vindicatus. Abſurditas ſententiæ, Deum ſe omnibus propitium oſtendere. Quæſtio de prævisione culpæ diſcuſſa. Suſpenſio vitæ à fide confundit ſententiam de Gratia Vniverſali. Calvini verba vindicata. Subtilitatis affectatio cui noſtrûm imputari poſſit. Dicterium de grandibus voluminibus expenſum. Secundum Calvinum promiſſiones Euangelicæ non pertinent ad omnes. An ſpem tantùm oſtendant. An Deus ſe oſtendat impotentibus propitium ſub conditione. Prædicationis verbi particularitas arguit gratiam particularem. Phraſis Pellicani expenſa, de facili aditu dato ad ſalutem. *Pellicanus excuſatur. Origo iſtius loquutionis oſtenſa. Excuſatio Animadverſoris abſterſa.* Andreas Rivetus *laudatus. Grammaticatio inanis ſuper pronomine* quiſque. *An nemo non habeat facilem aditum ad ſalutem. Pellicani verba alia expoſita. An primi Reformatores faveant Animadverſori. An ex verbis truncatis judicandum. Dogmata Animadverſoris incognita retro noſtris. Querela ejus injuſta. Loca Scripturæ, eorumque expoſitio, intacta Animadverſori. Verborum* Iohannis III, 16. *expoſitio vindicata. Conſenſus diſtinctionum Animadverſoris cum diſtinctione de voluntate antecedente & conſequente. Vocabuli Mundi expoſitio defenſa. An repugnantiam involvat. Quî gens Iudaica ſæpe ſumatur. Denominationem ſæpe ſumi à meliori. Quî Dei filii è mundo diſtinguantur à gente Iudaica. Iſraelem ſæpe reſtringi ad electos. An abſurda ſit iſta nomenclatio. An mundus non deſignet electos. An minima pars non ſæpe ad ſe trahat nomenclationem totius.* Κόσμου *diverſæ ſignificationes. Quî Mundus ſignificet præteritos, quî electos. Abſurda novæ Theologiæ. An abſurdum ſit partem ſecretam & turbam, ex qua ſecreta eſt, eodem nomine appellare. An abſurdum ſit, idem nomen ſumere* κατ' εὐφημισμὸν & διασυρτικῶς. *An Chriſtus deſinat habere curam ſalutis aliquorum. Quî* φιλανθρωπία *univerſalis conſiſtere poſſit cum declaratione Chriſti, quod multos nunquam novit. An earundem vocum diverſa ſignificatio conturbet cogitationes noſtras. Exempla oppoſita Scripturæ. verba Chriſti* Ioh. III, 16. *expoſita & vindicata. Fuga animadverſoris & diſſimulatio jam confutatorum. An ſyncategorema* πᾶς *hic relinquat aliquid in ſuſpenſo. Quæ prima Mundi ſignificatio. Duplex denominationis fundamentum, unum* intenſivum, *alterum* extenſivum. *Electi antecedenter etiam ſunt Mundus. Argumentatio* ἀνακόλουθος. *Loquutiones univerſaliores ſolos electos deſignantes. Exceptio Animadverſoris retorta. An abſurdè Mundus de toto dicatur, & de partibus totius. An minor numerus electorum obſtet iſti denominationi. An electorum numerus penè contemnendus vocari debeat. An electi minus Mundus, quam omnis caro, totus mundus &c. vocari poſſint. An id quod ſubit mutationem priori nominè deſignari non poſſit. An Chriſtus non poſſit dici* ὁ ἐν τῷ κόσμῳ. *An Chriſtus non poſſit vocari* ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου. *An Chriſtus viam omnibus aperuerit ad ſalutem, modo eam ingrediantur. Animadverſoris fuga. Objecta à me, declinata. Iocularis exceptio. An à me excuſata tantùm iſta appellatio Mundi. Confeſſio Animadverſoris de non confutatis rationibus objectis.*

I. ANimadverſor pro genio & privilegio ſuo à Theſi mea VI. ſaltitat ad Theſin XI. quum tamen rationum à me in iis productarum contra gratiam Vniverſalem & defenſarum in Exercitationibus confutationem integram in principio ſplendidè pollicitus fuerit. Homo interea ita accuratè obſervans ordinis, me confuſionis peragit reum. Sed dicendum aliquid erat. Si confuſionis verò reus per-

peragendus ſum, Animadverſor criminis iſtius cauſa eſt, qui mihi ad confuſionem iſtam prævivit, quippe quem κατὰ πόδα ſequutus ſum, & vel ille juxta mecum accuſandus à ſeipſo, vel ego ab illo ipſo abſolvendus ſum.

II. Voluntatem ſanè omnes & ſingulos per Chriſtum redimendi haudquaquam univerſalem concipi debere, demonſtratum iveram Theſi XI. inter alia ex eo, quod deſtinatio Redemptoris particularis fuerit, & adjeceram loca Joh. III, 16. & cap. X, 26, 29. Cur etiam id feciſſem, demonſtraveram accuratè Exercitationum Parte I. à p. 722. ad p. 775.

III. Quid ad iſta Animadverſor? I. Nudè repetit, & redemptionem & ejus deſtinationem diverſo ſenſu tum *Vniverſalem* dici poſſe, *ſub conditione*, tum *particularem abſolutè*, & ad hanc referri deberi locum Joh. x, 26, 29. At I. Oſtendimus in Exercitationibus, hoc eſſe ipſum κρινόμενον inter nos, an vel Redemptio, vel ejus deſtinatio ſint univerſales ſub conditione. Non itaque id vel repetendum erat, vel nobis opponendum pro argumento. 2. Locum Ioh. x, 26. ſanè ad particularem redemptionis modum pertinere adeo evidens eſt, ut ne diffiteri quidem id auſus fuerit Animadverſor, alium vero univerſalem dari, ſupponitur ſine probatione. II. Conqueritur, quod quinquaginta paginas impleverim, ut demonſtrarem locum Joh. III, 16. pro gratia particulari contra univerſalem facere, & à me propoſita magnificis verbis & mero contemptu ulciſcitur, & πολυλογίαν vocat, homo verborum admodum parvus & *cui jugero opus in quo vertatur*. Addit, ſe dubitaſſe aliquandiu, num accuratè Sectionem illam refutare deberet, *quum ſi id faceret, penè omnia, quæ in Exercitationibus continentur, eâdem operâ confutata forent. Tandem ſe ſatius putaſſe, paucis verbis tantam rerum inutilium nubem diſpellere.* At notet Lector I. Animadverſorem *ſecuritatem* meam miratum fuiſſe, quod locum iſtum pro gratia particulari facere cenſuiſſem, nec id in Theſibus (quod Theſium natura non fert, ubi talium elucidatio ordinariè ad ipſam συζήτησιν publicam differri ſolet) demonſtraſſem. Juſta itaque mihi cauſa fuit, id non temere à me factum, accuratè demonſtrandi, nec quicquam cauſæ fuiſſe, cur me velut fungum traduceret, quod ex iſto loco argumentatus eſſem. Notet vero Lector querulum hominis ingenium. Et de re non præſtita & de re præſtita, & de brevitate mea quiritatur & de prolixitate. Si aliquid non demonſtratum conqueritur, id à me non occupatum, ſi id à me occupetur, in queſtus novos erumpit. Quid agendum cum homine adeo iniquo! 2. Judicet Lector, an quinquaginta circiter pagellas implere libri majore charactere & forma minore exſcripti ad ἐξήγησιν & ἐκδίκησιν loci celebris & veritati admodum ab omnibus Gratiæ Vniverſa-

lis Patronis, ſit merâ *πολυλογίᾳ totum Exercitationum tractum*, ut loquitur, *inundare*. Imò pauciores adhuc pagellæ loci illius peculiaris vindiciis à me occupatæ. 3. Quamvis ducentas paginas impleſſem, demonſtrandum fuerat Animadverſori, inanem verborum multitudinem à nobis oppoſitam, *& quicquid venit in buccam*, ut modeſtè loquitur. Obteſtor verò Lectorem candidum, ut paginas illas excutere dignetur, & judicium ferat de conſcientia & candore utriuſque noſtrûm. Et annon continuas rationes, & ſolidiſſimas quidem, illi oppoſuerim, quibus nihil ferme niſi convitia & dicteria, quamvis *tantus lenitatis* & *patientiæ Chriſti imitator*, reponit. Quæ compendioſa triumphandi ratio eſt. 4. Si etiam penè omnia in Exercitationibus meis contenta, eâdem operâ confutari potuiſſent, cur non rem paucis confectam dedit magnificus Diſputator? An ſic LXX. & ampliùs voluminibus opus fuiſſet, quod alibi jactat, ſi me κτ̀ πόδα ſequi inſtituiſſet, proportionum in refutando bene gnarus? qualis putandi ratio pueris in Schola fortè juſta videri poſſet, vel iis qui nondum ære lavantur, non viro cordato, & alicujus in literis judicii. Equidem ſi Exercitationum mearum nulla niſi in Animadverſoris ſpecimine memoria exſtaret, fidem fortè reperiret apud Lectores ſibi obnoxios. Sed in plurium illæ ſunt forulis & manibus, quàm ut rhetoricatione iſta inani talia ulli perſuadere poſſit, qui ſuæ ſpontis ſit & ſui judicii. 5. Quæ verò ſunt *pauca* illa *verba* quibus omnia noſtra diſpellit? Quatuordecim paginas minori charactere & majori forma occupat; Et 1. Inquit, licuiſſe ſibi *opinionem ſuam pro reſponſione proponere, quum ejus explicatio ſufficiat ad meæ argumentationis refutationem*. At quis unquam Diſputatorum audivit, id quod in quæſtione eſt, pro reſponſione proponi debere Adverſario id ipſum non tantùm neganti, ſed & impugnanti & argumentis *inartificialibus* authoritatis divinæ, *& artificialibus* rationis ſecundùm eam? An etiam *explicatio ſententiæ* alicujus ſufficit ad reſponſionem, quæ ipſa explicatio & rejecta fuit & confutata jam antè, & quæ non repetenda erat, ſed probanda & vindicanda? Quis unquam confutare poſſet Adverſarium ullum, ſi ſufficeret eum ſententiam ſuam reponere, & ejus explicationem jam antè à ſe datam repetere, & opponere reſponſioni per quam confutatur? Quid quæſo etiam novi in iſta Animadverſoris explicatione de redemptione conditionata univerſali, quod non fuerit jam antè occupatum & profligatum?

V. Objeceram, redemptionem non bene ab eo conſideratam fuiſſe vel *ut abſolutam*, vel *ut affectam conditione*, quum ex ejus ſententia, aliter conſiderari non debeat quàm *ut* eſt *affecta conditione*, ſive quà conſideratur ut *præſtita* à Christo, ſive quà conſideratur ut *oblata* hominibus: quæ

verò

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

verò ſub conditione tantùm & præſtantur & offeruntur, abſoluta dici non debere. Quid reponit? *Meram eſſe hallucinationem: Affectum enim conditione illud ſibi eſſe, quod proponitur, ita ut ſimul conditione nondum præſtita exigatur. Abſolutum verò quod confertur actu, quia conditio præſtita eſt. Quæ priori modo conditionata ſint, ea poſteriori eſſe abſoluta.* Convitium addit, me ad uſum *ſenſus communis* revocandum, neminem enim, qui conditionem negotio alicui additam implevit, id ampliùs conditionatum eſſe putare, ſed abſolutum. Alioqui cùm conditionatum ex conditione pendeat, conditione præſtita negotium ex alia adhuc ſuſpenſum iri & ſic rem ituram in infinitum. Abſit verò, ut tantum monſtrorum Theologicorum expurgatorem *ad ſenſum communem* revocatum velim, quia enim ſenſus ille *communis eſt*, parum dignus eſt non communis, ſed peculiaris in omnibus orbitæ ſectatore. Rationibus rem agam. 1. Quæſtio eſt: An redemptio alia conſideranda ſit ut *abſoluta*, alia ut *affecta conditione*. Negavi prius, ex Animadverſoris ſententia, hic dici poſſe, quum illam nonniſi ſub conditione præſtitam cenſeat pro omnibus & ſingulis. An verò id, quod nonniſi ſub conditione præſtitum cenſetur, abſolutum dici debet vel conditionatum? Quando verò de redemptione ſermo, ſermo de ea quà *præſtita* eſt, & illa ex actu Chriſti, non hominis, deſcribenda: Adeòque redemptio ſecundùm illum, abſoluta eſſe non poteſt, quia ſemper eſt affecta conditione? 2. *Excepi* etiam, eam abſolutam dici non poſſe, *quatenus eam quidam revera amplectuntur*, quia nonniſi ſub conditione illam amplectuntur vel amplecti poſſunt. Quod verò beneficium quis nonniſi ſub conditione & per ejus præſtationem amplectitur, meritò conditionatum dicitur, non abſolutum. Certum cæteroquin, ut redemptio Chriſti abſoluta ſit, adeòque dicatur, non pendere ex actu amplectentis, ſed ex actu redimentis. Aliàs reſpectu aliquorum, qui eam jam ſunt amplexi, abſoluta foret, reſpectu aliorum, qui id nondum fecere, eſſet non-abſoluta. Nec etiam actus amplectentis facit, ut id quod ſub conditione præſtitum, dici debeat abſolutum. Sic legatum, verbi gratiâ, ſub conditione alicui relictum, etiam dum conditionem præſtat, conditionatum dici non deſinit. Notavi etiam *paralogiſmum* in oppoſitione membrorum inſtituta à Diſſertatore, quatenus membrum unum nimirum *abſolutam redemptionem* deſcripſit ab actu hominis, *conditionatam* ab actu Dei, illam eſſe, quatenus eam homines amplectuntur, iſtam, quatenus Deus eam offert ſub conditione: Deſcribendam ſaltem fuiſſe *abſolutam*, quatenus non tantùm offertur aliquibus ſub conditione, ſed & quatenus confertur ipſa conditio ei annexa: *conditionatam*, quatenus offertur tantùm ſub conditione, non verò confertur conditio ſub qua offertur. Aliàs membra oppoſita ſibi

non reſpondere, prout verbi gratiâ, *abſoluta* redemptio captivi dici poteſt, pro quo & λύτρον exſolvitur, & numellæ quibus conſtrictus eſt, ſolvuntur, & fores illi aperiuntur carceris, isque ex eo actu educitur; *conditionata* illa, pro quo quidem λύτρον ſolvi dicitur, ſed ſub conditione & ipſe numellas ſolvat, fores aperiat, & ex carcere iſto ſe proripiat. An his expenſis, rhetoricationi iſti Animadverſoris locus? 3. Comparet etiam Lector verba Diſſertatoris & Animadverſoris. Diſſertator inquit, redemptionem conſiderari ut *abſolutam*, quatenus eam quidam reverà amplectuntur: Animadverſor verò abſolutum ſibi dicit eſſe quod confertur actu; quia conditio præſtita eſt. An verò iſta eadem, & annon prior actus hominis eſt, alter Dei unus antecedit, alter ſequitur? Redemptio itaque ex ſenſu Animadverſoris, abſoluta dici poteſt eo tantum ſenſu, prout *abſolutum* opponitur *inchoato*, non verò prout opponitur *conditionato* vel reſpectu electorum, non verò reſpectu omnium & ſingulorum. 4. Quando quis non poteſt amplecti aliquid, vel quando id ipſi conferri nequit, quam dum conditionem actu præſtat, & quà eam præſtat, annon amplexatio illa & collatio conditionata vocanda, non abſoluta? At nonniſi actuali fidei, ut conditionis præſtatione, homo amplectitur redemptionem, & ea illi confertur. Sic ſi quis nonniſi actu inſerviens hero, favore ejus potiatur, annon favor iſte conditionatus dici debet, non abſolutus? Confundit etiam conditionem quam ſemel implere aliquis dicitur, & poſt eam beneficium conſequi, cum conditione quæ ſucceſſivis actibus implenda, ut hic beneficii poſſeſſio continuam conditionis impletionem exigit. Redemptionem verò nos *abſolutam* dicendam cenſemus, non *conditionatam*, non tantum quia in cruce *abſoluta* fuit, oppoſitè ad *inchoatam*; ſed etiam quia iis pro quibus præſtita conditionis gratia etiam & acquiſita eſt & collata, vel conferenda. Nec *conditionatum* tantum dicitur, quod pendet ex conditione præſtanda, ſed etiam quod exegit conditionem præſtitam, & nonniſi ſub illius præſtatione confici vel obtineri potuit. Aliàs confunderetur verbi gratiâ, legatum *abſolutum* & *conditionatum*, illud Titio, iſtud Sempronio factum, illud ſine conditione, iſtud ſub conditione. Vt ut enim Sempronius conditionem implerit, & legatum adeptus ſit, æquè ac Titius, Titii tamen legatum *abſolutum* vocari debet, Sempronii *conditionatum*: Nec enim legatum denominatur ex actu Sempronii legatarii, ſed ex inſtitutione legantis: ſic redemptio Chriſti non ex actu hominis abſoluta vel conditionata dici debet, ſed ex actu Chriſti redimentis. Nec ullus, niſi deſipiat, *redemptionem* Chriſti *conditionatam* vocare debet, etſi *applicatio* ejus conditionata non male vocari poſſit. Iſta verò non confundenda. An foruli Juriſconſultorum, vel *ſenſus*
com-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

communis in ſubſidium hîc vocari debeant, quod mihi impingit Animadverſor, viderit ipſe & Lector eruditus. 5. Annon ſemper etiam ſupponit, proponi omnibus & ſingulis mortalium redemptionem affectam conditione? Et quî id perſuadebit ulli qui non ſit cucurbita, qui apud ſe animo reputet œconomiam redemptionis ab innumeris nationibus abſconditæ? An τὸ γνωςὸν τοῦ Θεοῦ illius præco eſt, & quî reſpectu illorum, quibus ne id quidem propoſitum ſine ludibrio dici poteſt? Et egregia ſpolia ex propoſitione redemptionis ſub iſtiuſmodi conditione, quam non magis habere ex nobis poſſumus quàm redemptionem præſtare! Hallucinari ſanè ego malim quàm ita ſapere.

VI. Ad id quod dixeram, redemptionem à *Chriſto factam*, ut Diſſertatori loqui placuit, in ſe abſolutam fuiſſe, & *in cruce conſummatam*. Id *mirabile* eſſe notat: *Chriſtum quidem actu & abſolutè mortuum eſſe in cruce; At verò ex eo colligere, Redemptionem pariter eſſe ſimpliciter abſolutam, idem eſſe ac ſi quis diceret, ideò quia Rex pretium captivorum mercatori perſolvit, ea conditione ut quicunque liberari vellet è triremibus, libertate gauderet, omnes etiam invitos & reluctantes actu liberatos eſſe, quia pretium actu perſolutum eſt.* At 1. Verè id à me dictum, & ἀκυρολογία Diſſertatoris hîc meritò notata. An enim *redemptio* à Chriſto *facta* non eſt actus Chriſti redimentis? Annon ille actus in cruce conſummatus fuit? Nec tantùm ſic *abſolutus* dici potuit, prout opponitur *inchoato*; ſed etiam quatenus omnibus iis quos redemptos voluit, conditionem non redemptioni, ſed applicationi ejus annexam ſimul acquiſivit. Vtroque iſto modo ſanè abſolutam fuiſſe iſtam in cruce redemptionem paſſim à nobis demonſtratum. Imò ne aliter quidem concipi poſſe, ſine ludibrio. An verò hoc *mirabile* videri debeat, judicabit Lector. Annon fatetur ipſe, Chriſtum *abſolutè* mortuum eſſe in cruce, *redemptionem* itaque abſolutè in cruce *fecit*, ut ejus phraſi utamur. Si eam abſolutè *fecit*, redemptio pariter ſimpliciter abſoluta eſt. 2. In eo, quod adducit, ſimili peccat, tum quia ſupponit redemptionem univerſalem conditionatam à Chriſto, pretio perſoluto intentam fuiſſe, ut intenditur à Rege univerſalis & conditionata captivorum omnium redemptio, quod novit eſſe ipſum κεκλνόμενον, negatum & confutatum, tum quia conditionis illius præſtatio eſt in poteſtate captivorum, conditionis redemptioni annexæ non item, tum quia & redemptio & conditio illa innoteſcunt omnibus captivis, redemptio verò Chriſti & ejus conditio non item; tum quia ſupponit, me velle invitos & renitentes in perpetuum à Chriſto liberatos eſſe, quæ omnia abſurda & falſa. Simile itaque iſtud, ἀπροσδιόνυσον eſt, & alienum ab argumento. An, ſi præviderct Rex, captivos ne velle quidem poſſe ſui liberationem (quæ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

cunque impotentia intercedere ſtatuatur, ſatis, invicta illa ſit) non tamen niſi ſub iſta conditione liberationem illis deſtinaret, imò nec pretii perſolutionem, nec conditionem illi annexam innumeris revelaret, is dici poſſet ſeriò velle omnium captivorum liberationem ab ullo qui non χύτραις λημᾷ? Et iſta tribuenda ſunt Deo! Adde, eum qui conditionem quidem annectit ſuæ redemptioni, abſolutè verò decrevit conditionis gratiam facere illis quos redimit, dici debere *abſolutè* illos redimere velle: Contrà quibus vel conditionem notam non facit, vel quibus ejus præſtandæ gratiam non facit, & tamen eam exigit, quamvis illam ſciat nonniſi à ſe haberi poſſe, illos eum nec *abſolutè* redimere velle, nec ſub conditione. Iudicet jam Lector an *multa dicam* & *parum curem quid dicam*. Hoc dicere ſanè facillimum, probare non item.

VII. In ſequentibus p. 134. 135. 1. Sententiam ſuam modò repetitam de affectu Dei communi erga omnes, & de φιλανθρωπίᾳ Dei, & de redemptoris datione & oblatione communi vel univerſali ſub conditione iterum nobis reponit. Quæ non tantùm in quæſtione inter nos, ſed & tot authoritatibus & rationibus à me everſa, ut vix oculis meis crediderim, Animadverſorem adhuc audere iſta Lectori ingerere, & de me queri, quòd dicam talia eſſe ipſa ἀμφισβητούμενα, & non contentus ſim ſolâ ſuæ doctrinæ repræſentatione. Ne credat mihi Lector, ſed pag. 134. 135. Animadverſoris excutiat. Cauſam non dico, quin me habeat pro inſulſiſſimo mortalium, niſi animadvertat, nobis reponi meras & putidas ſententiæ exploſæ & confutatæ repetitiones, quaſi ex iis aliquas acquirerent vires. Paralogiſmorum etiam ſibi impactorum multitudinem proſcindit convitio, non revincit rationibus; Et verniliter paginarum numerum ſubducit, quaſi ſingulis paginis quinquaginta aliæ proportione arithmetica eſſent opponendæ, quod putidum & pædagogicum. Si quinquaginta repoſui paginas Diſſertatoris uni paginæ, tot argumentorum congeries ſe mihi ſcribenti oggeſſit, & tantas ſententiæ iſtius abſurditates deprehendi, ut eam ad intima uſque cubilia erroris inſequendam cenſuerim, & Lectori me accuratè oſtendere debere exiſtimârim, quàm miſera ſit iſta Theologia, quam tanto apparatu novus iſte orbis Theologici inſtaurator producit. Vt inuſitatos habet ſpiritus, ſic verè inuſitatus reſpondendi modus eſt, repetitiones ſuorum & convitia ac cavilla opponere illi qui meris rationibus agit. Iudicet Lector iterum ex hoc ſpecimine de conſcientia & thraſonicis hominis Theologi jactationibus. Plurima reponi poſſent duriſſimis his locutionibus, ut molliſſimè etiam loquar, verbi gratiâ. 1. *Duos affectus Dei verſatos eſſe in ſalute hominibus procuranda.* 2. *Affectum Dei voluntatem inclinare aliquò uſque.* 3. *Poſteriorem affectum*

ctum Dei priorem augere & intendere. 4. *Deum non ponere ullum modum vehementiæ & efficaciæ ſuæ, donec hoc vel illud fecerit.* Sed producere ſchemata iſta, ea confutare eſt. 2. Contra ſcientiam etiam & conſcientiam redemptionis univerſalem oblationem ponit ſub conditione, *ſi omnes & ſinguli Redemptorem per fidem amplecti velint*, adeòque iſtius *redemptionis*, actualis, non ſpei tantùm remiſſionis cujuſdam, vel placabilitatis Dei, neceſſariò præconem & nuntium facit naturam, & τὸ γνωςὸν τῦ Θεῦ, vel univerſalem illam oblationem reſorbere cogetur. Quàm exclamationibus hîc locus eſſet quas habet: *Proh Deum immortalem! Adeòne ſecurum eſſe præſtantem Theologum de reliquorum hominum judiciis, adeòne ſui negligentem!* Sed noſtrum non eſt ita paratragœdiare.

VIII. Tandem poſt Syrma cavillorum aggreditur confutationem quorundam quæ ad locum Joh. III, 16. à me dicta: Et 1. *Calvini ac Pellicani* commentationes pro ſe facere ſeptem propemodum paginis operosè contendere ſatagit. Nullibi in toto opere de Scripturæ locis ita ſolicitus. Quid verò opus erat de humana authoritate ita prolixè diſputare, cùm doctrina de gratia hominum ſuffragio nec ſtet, nec cadat, ut cogitur fateri? Si dicat, eos ſaltem in ſententia à nobis diverſa fuiſſe, & idem ſecum ſenſiſſe & ſcripſiſſe, id verò nec hîc probat, neque probabit unquam. Oppoſitum ex variis *Calvini* & *Muſculi* locis à me demonſtratum. Quoties verò Veteres ante controverſias multas ortas incautiùs ſunt de variis argumentis loquuti! Annon ſufficeret, nos *Calvini* & *Muſculi* verba, quando de prædeſtinatione & reprobatione peccatoris ex profeſſo agunt, & non *occaſionaliter*, iſtis omnibus opponere; adeòque reſpondere, vel viros illos Eximios ita non ſenſiſſe, vel alicubi liberiùs & incautiùs ante controverſias natas loquutos, quæ vix cum aliis à ſe dictis conciliari poſſint? 2. Adde, ſi in eo cardo quæſtionis verſaretur, nos Animadverſori vel hæc ipſa loca extorquere poſſe, & oſtendere nihil ea facere pro gratia univerſali, & conditionata vel prædeſtinatione vel reprobatione. 3. Obſervet Lector compendio ad Calvini verba: Nec *univerſalem notam* à nobis negari oppoſitam Joh. III, 16. nec *promiſcuam invitationem*. Quod verò illa ſententiam Animadverſoris haudquaquam adſtruant, demonſtratum in Exercitationibus; *Deum ſe toti mundo propitium ſpondere*, optimè dici poteſt, quia non ampliùs ut in V. Teſtamento una gens à gentibus aliis diſtincta, ſed quævis, cujuſvis ordinis & conditionis promiſcuè invitatæ: *Sine exceptione omnes ad fidem Chriſti vocari*, pariter intelligendum ratione œconomiæ Novi Teſtamenti, oppoſitæ Veteri. An enim aliàs omnes in univerſum homines ſine exceptione ad Chriſtum vocati? An Calvinus etiam vel ſentire vel dicere potuit, Chri-
ſtum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

ſtum omnibus patere & expoſitum eſſe ? An id locum habet reſpectu eorum quibus ne verbum quidem de Chriſto unquam vel revelatum, vel revelari etiam per ætatem potuit? *Syncategorema* itaque hîc neceſſariò intelligendum de *generibus ſingulorum.* Qui exceptiones meas cum verbis Calvini contenderit, videbit ſolidè à me reſponſum, nec exclamationibus Animadverſoris dicta mea convelli. 4. Quæ ex Liturgia noſtra attexit, & ſæpius repetit, à me accuratè excuſſa, & oſtenſum quo ſenſu verba iſta è Johanne eò tranſlata fuerint. Et quamvis *pro omnibus in univerſum hominibus* orandum nobis foret, omnibus etiam & ſingulis intellectis, ex actu nobis incumbente, ad redemptionem conditionatam omnium argumentum duci haudquaquam poſſet, ut demonſtratum in Erotematibus. Quaſi verò etiam pro natura rei ſubjectæ *univerſale* ſæpe non ponatur pro *generali*, ut & *generale* interdum pro *univerſali*! Verbi gratiâ ſi dicam *generaliter* homines eſſe ratione præditos, quia prædicatum eſt eſſentiale, intelligi id debet *univerſaliter*: Si dicam, *generaliter* homines eſſe ingenio polito & capace artium ac diſciplinarum donatos, quia prædicata iſta non ſunt eſſentialia, neceſſariò τὸ *generaliter* non intelligi debet *univerſaliter*. Sic ſi dicam *univerſaliter* homines eſſe anima rationali præditos, neceſſariò id de omnibus & ſingulis intelligi debet, ob naturam rei de qua agitur. Sin dicam, *univerſaliter* homines uſu rationis eſſe donatos, haudquaquam id de omnibus & ſingulis dici poteſt. Quia ergo redemptio Chriſti non fuit actus neceſſarius abſolutè, vel eſſentialis, ſed merè arbitrarius reſpectu voluntatis Dei, univerſali etiam *ſyncategoremate* adjecto, omnes eſſe redemptos, non intelligitur neceſſariò redemtionem ad omnes & ſingulos extendendam. 5. Incredulis excuſationem omnem præcidi, & iis qui *negativè* tales ſunt, quamvis non vocentur ad vitam, & *privativè* talibus, qui vocantur quidem, ſed primò ad pœnitentiam, & nonniſi illâ poſitâ, ad fidem, idque per gradus, in Exercitationibus à nobis ſatis demonſtratum. Quum ad vitæ participationem etiam nemo vocetur niſi per verbum, & à Chriſto, iſta vocatio univerſalis dici nequit. Judæos Chriſtum non agnoviſſe pro Propheta, ſed habuiſſe pro impoſtore, & cenſuiſſe Euangelium ejus eſſe fabulam, ſatis ad excuſationem præcidendam faciebat, quamvis non ad vitæ participationem fuerint vocati. Satis etiam, Chriſtum Sancta Judæis præcepta proponentem ſpretum fuiſſe, ad omnem excuſationem præcidendam. Reo ſatis eſt quod ſit reus, ut excuſatio omnis ipſi præcidatur. 5. Supponitur etiam, non probatur, omnes & ſingulos mortalium ad vitæ participationem vocatos. Nec quia Deus olim in lege *Hoc fac & vives*, omnes Iſraëlitas ad vitæ participationem vocaſſe videtur, & omnibus excuſatio

præ-

præciſa fuerit, eâ intentione illos ita vocaſſe cenſeri poteſt, ut per illam legem vitam conſequerentur, quippe quos Legem haudquaquam præſtare poſſe ſatis noverat. 6. Solos electos à Deo ad fidem vocari, nimirum eâ intentione ut ſalventur, veriſſimum, alii verò præter electos vocantur ad actus antecedentes & generaliores, ſed poſt invitationem ad pœnitentiam, idque per meram officii exactionem. 7. Non-electis Deum propitium ſe non oſtendiſſe, nimirum quoad ſalutem, nec propitiationem iſtam iis deſtinaſſe, veriſſimum. Oſtendat Animadverſor, quî ſe propitium oſtenderit illis, quos ex Americanis vel aliis id genus populis in peccato naſci & exſtingui voluit, ſine ulla Euangelii in Novo ſaltem Teſtamento revelatione. Si etiam propitiationem omnibus deſtinavit, vel id fecit *abſolutè*, vel ſub *conditione*. Si prius, omnes ſunt ſalvandi: ſi poſterius, reponit nobis *univerſalem* ſuam *prædeſtinationem conditionatam*, quam novit non tantùm univerſæ Synodo Nationali diſplicuiſſe, ſed & amicis ſuis, & confeſſionem à ſe editam ἀκυρολογίας, ἑτεροδοξίας enim à Pelide iſto confeſſio exſpectari non debet; regereret enim ut alibi; *Quid fiet de honore meo?* 7. An abſurdius, *totum mundum* pro electis à Calvino quàm à Scriptura ſumptum, quando Chriſti propitiationem pro peccatis totius mundi factam dicit? Quod 1 Ioh. 1 1, 2. ita intelligi tum credere deſinemus, ubi Animadverſor ad commentationem noſtram reſponderit rationibus, non dicteriis vel convitiis. An opponet etiam Iohanni, *electos ne milleſimam quidem mundi partem eſſe?* An Paulo Col. 1, 6. & 23. phraſes geminas adhibenti? 8. Simile quod urget *de magna urbe ex qua unus ſalvatus, reliquis exciſis, dici non poſſe toti civitati Regem placatum*, alienum eſt, quum (quæcumque detur comparatio) ſemper plurimi in mundo ſalventur, qui multi ſunt ἁπλῶς, etſi pauci συγκελικῶς. Adde, tales eſſe ex quibuſvis gentibus, ex quovis ordine, conditione, & ætate. Adde, Animadverſorem hîc ſubdolè agere, & rationem locutionis tegere. Pone unam tribum è magna urbe priùs à Rege amatam, reliquis omnibus præteritis, poſtea Regem quaſvis tribus in urbe aliqua amare, etſi non ſingula iſtarum tribuum individua, annon comparatione inſtitutâ, & habitâ ratione poſterioris iſtius inclinationis, dici poteſt Regem jam totam civitatem amare? Imò ſi electi ſint *vix unus*, nec vitium ſit in comparatione, reſpectu reproborum, egregiè Chriſtus dicetur omnibus & ſingulis Salvator datus, quamvis nonniſi unum actu ſalvet, ex ipſiuſmet Animadverſoris ſententia! 9. Quaſi verò vel verba Calvini ſint vexanda, vel non diverſo ſenſu vocem mundi acceperit, cum Iohanne cap. 1. 10: vel abſurdum ſit, dicere, quamvis in tota hominum univerſitate nihil reperiatur Dei favore dignum, tamen Deum ſe oſtendiſſe pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

pitium omnibus electis? An beneficium electis omnibus deputatum non erat dignum commemoratione? Et an abſurdum fuit, Calvinum id ingerere, quod ſæpe alibi deprædicat, & quod Scriptura toties tam magnificè commendat? Nec falſum debuit Calvinus intelligere, quod ipſi affingit Animadverſor, Nimirum *Deum voluiſſe ſine exceptione propitium ſe omnibus oſtendere*, quod eſt ipſum κελνόμενον, & univerſali omnium experientiæ adverſum, ſcilicet illis in tempore ſe propitium oſtendere voluit, quos odit ab æterno, quos Chriſtus nunquam novit, quibus præparavit ignem æternum, quos voluit eſſe vaſa iræ, quos præſcripſit ad damnationem! Poſt iſtos actus tamen, utut ex ipſius ſententia poſteriores ordine actibus φιλανθρωπίας ſuæ imaginariæ, æternos tamen, ſi Animadverſorem audimus, in tempore eos ſalvari voluit, ſub conditione ſi crederent. Nec exceptioni hîc locus de prævifione culpæ: quæſtio enim denuò de iſta recurrit, annon innitatur decreto de permittenda Adami culpa, & de ea omnibus imputanda, & de non danda gratia omnibus ex iſta culpa emergendi, quam demum excipit prævifio incredulitatis & impœnitentiæ.

IX. *Pertinaciæ* tamen *ipſi ruborem ſuffundere poſſe* ea quæ addit, inquit, quod joculare loquendi genus eſt. An verò 1. Calvinus vitam in Chriſto iis promiſſam credidit, qui nihil unquam de eo audivere? 2. Vniverſalem promiſſionem vitæ eſſe reſpectu omnium credentium, non inter nos controverſum eſt, ſed an qui univerſalem iſtam promiſſionem propoſuit, & vitam à fide à ſe ſolo pendente tantùm, ſuſpenſam voluit, omnibus vitam voluerit? Hoc itaque duntaxat vult Calvinus, omnibus credentibus promitti vitam: ſed non omnibus dari gratiam ut ſint credentes. An verò iſta vel inter ſe pugnant, vel nobiſcum aut cum ſententia noſtra? Nec promiſſio vitæ ad omnes, ut ſupponit Animadverſor, patet, ſed *ad omnes qui crediderunt*, quod habet Calvinus. Etſi verò omnes electi credant, & ſoli quidem, aliud tamen eſt, dicere, omnes credentes ſervandos, & omnibus ac ſolis electis dari fidem. Prius notat nexum conditionis & rei conditionatæ, qui eſt univerſalis. Poſterius ſubjectum in quo reperitur utrumque. Quî etiam Chriſtus omnibus pateat vel expoſitus ſit, oſtenſum; patet omnibus credentibus, ſoli tamen electi credunt, & credere poſſunt. Ergo iis ſolis ex intentione Dei expoſitus eſt ad ſalutem. Et quia ſolis electis Deus aperit oculos, & vult aperire, & tamen apertionem oculorum requirit, & ſalutem ab ea ſuſpendit, patet quæ ſit ejus de ſalute voluntas. Iudicet hîc Lector de utriuſque noſtrûm *ſubtilitate*. Ad laudem ſanè dotis iſtius ille non ambit, qui communem orbitam terit, ſed is qui novæ Theologiæ vel Patriarcha vel Defenſor ſaltem eſſe

vult.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

vult. Qui *tria grandia volumina à me ſcripta* toties apud Animadverſorem legit, nihil aliud concipere poteſt quàm tres fortè *Calepinos*, vel tres ex *Abulenſis* Operibus tomos à me conſcriptos. Ita ſcilicet exigui libelli in forma minori, quam *octavam* vocant, ſcripti, & commodo Lectoris tantùm ſic diſtributi. depingendi erant, ut alibi per *ponderoſa volumina*, quum primum & ſecundum unum tantum volumen faciant, & eo tantùm fine, ut facilius omnium manibus teri poſſint, in duos libellos mediocres diſtincta fuerint.

X. Si Calvinus etiam non voluit, omnes & ſingulos mortalium nullo excepto, ad fidem Chriſti vocatos eſſe à Deo, non cenſuit omnes & ſingulos à Deo ad participationem vitæ vocatos, qualis quippe vocatio non datur extra Chriſtum. *Voluit duntaxat*, inquit, *eam eſſe naturam promiſſionum Euangelicarum, quæ ſpem oſtendunt, ut pertineant ad omnes & ſingulos, ad quos prædicatio dirigitur, & eorum nemo excipiatur, cui ſe Deus propitium non oſtendat, & vitæ donatorem in Chriſto. Prædicationem autem Euangelii ea ratione inſtitui debere, ut quantum id fieri poteſt, ad omnes populos extendatur. Communem tamen Dei miſericordiam, & promiſſionum univerſalitatem non impedire, quo minus peculiari favore dignetur electos, ut quod omnibus promittitur, ipſi per fidem apprehendant.* Inter quod & ſuam doctrinam quid interſit, ne lynceis quidem oculis videri poſſe inquit; Iſta verò diluta ſunt. 1. Si, ſecundùm Calvinum, ad eos tantùm pertineant promiſſiones Euangelicæ, ad quos prædicatio dirigitur, & prædicatio ad innumeros non dirigitur, promiſſiones non ſunt univerſales, nec ad omnes & ſingulos mortalium pertinent, ne ſub conditione quidem, quod eſt directè contra Animadverſoris Theologiam. 2. An promiſſiones Euangelicæ *ſpem* oſtendunt, & præcipuè quidem, vel tantùm? Annon actualem Dei in Chriſto reſpectu omnium credentium placationem? Cur ergo *oſtenſionis* tantùm *ſpei* meminit, niſi ut ſic includat vocationem per naturam. Et annon ſic conſequenter in iſta prædicatio Chriſti reperietur & fidei? Calvinus verò loquitur apertè de prædicatione vitam omnibus proponente in Chriſto, ſub conditione fidei. 3. Vocatorum nullum nomine tenus ſanè excipit Deus, cui ſe propitium non oſtendat, & vitæ donatorem in Chriſto, excipit verò *omnes impœnitentes*, quales ſemper plurimi in cœtibus externis. Si dicatur, Deum ſe talibus oſtendere propitium ſub conditione, ne ſint impœnitentes; Eo ipſo ſe non propitium oſtendit innumeris, quibus non vult dare gratiam pœnitendi, quæ ab ipſo ſolo pendet, & dum beneficium ſuſpendit à conditione iſta, nec illam dare vult, & novit illos eam ex ſe habere non poſſe, reipſa oſtendit, ſe nolle propitium eſſe omnibus. 4. Si prædicationem verbi Deus ad omnes pertinere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

vellet, nihil obſtare poſſet, quominus ad omnes extenderetur, nec Deo deeſſent media id procurandi. Quia verò id facere non vult, prædicationem iſtam univerſalem eſſe non vult, ſine qua tamen ſalus univerſalis eſſe nequit. 5. De peculiari Dei favore erga electos nulla quæſtio, ſed de univerſalitate promiſſionum, & communi illâ, hoc eſt, univerſali miſericordia, quæ ſemper ſupponitur. 6. Inter Calvini & Animadverſoris Theologiam quid interſit, alibi demonſtratum dabimus. Nec hîc oculis lynceis opus, ſed oculis duntaxat & conſcientiâ.

XI. *Muſculum* non nobis favere, ne aggreſſus quidem fuit docere. Si dixi, eum alicubi *manes ſuos paſſum*, id verè dixi. Locum verò ex Muſculo operi noſtro præſcripſimus, qui totam Animadverſoris Theologiam evertit. Ne de *Calvino* quidem ita non ſentit Animadverſor in explicatione, verbi gratia, loci 1 Tim. II, 4. & dum ſcribit, eum non perſpexiſſe quid ſequatur ex ſua doctrina. De *Pellicano* notat, eum dicere *facilem aditum datum omnibus ad ſalutem*, hanc tamen phraſin à me caſtigatam pro Arminiana & Sociniana. An verò phraſis iſta per ſe à me caſtigata; annon tunc caſtigata, & meritò quidem, quando is fructus mortis Chriſti fingitur, ut *omnibus aperiat portam ad ſalutem?* Nec enim Scriptura ita exiliter de fructu mortis Chriſti loquitur, nec ullibi dicit, eum ideo mortuum *ut facilem aditum daret ad ſalutem*, ſed ut nos redimeret, ut tolleret peccata noſtra, ut purgationem eorum faceret, ut nos reconciliaret Deo. Phraſin illam meritò Socinianam & Arminianam dixi, à *Socino* quippe & *Arminio*, & utriuſque ſequacibus adhibitam crebrò, & quæ Theologiæ illorum congruit, ut in hominis vocati manu ſit, aditu illo dato uti vel non, ingredi vel non. Si de eo ambigat, Auctores & loca complura ipſi impingemus. Nec phraſis illa in ſequiorem ſenſum traducta erat tempore *Pellicani*, ut poſtmodum fuit, unde à phraſi ſolenni hominibus heterodoxis abſtinendum erat Animadverſori, æquè ac à Theologia illorum, ne iſta λέξει enervare videretur fructum mortis Chriſti, & favere ſententiæ heterodoxæ ab illis defenſæ. Non obſervavit etiam Animadverſor, quod à ſummo Theologo *Andrea Riveto* prudenter monitum, *Pellicanum* Eraſmo addictiorem hanc phraſin ex Paraphraſi ejus mutuatum eſſe, in Ioh. III. ut & pleraque quæ habet in Commentariis ſuis in Euangelia. Quod in Pellicano, vix è gurguſtio monaſtico emerſo, & Eraſmi authoritate abrepto, & ante recoctas infelices Controverſias ſemiPelagianas vivente excuſari poteſt, excuſari verò non debet in Animadverſore, qui cautius de morte Chriſti & ejus fructu loqui debebat.

XII. Pergit & nos docet ex *Virgilio*, & *Cicerone*, & Grammaticæ regulis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

lis, *quiſque* eſſe pronomen univerſale, adeòque omnes & ſingulos com-plecti. Id verò tanto monitore opus habebat! Et vel καθόλε intelligitur, vel κτ̀ μέρ☉. Si hoc, malè argumentatur. Si illud, id falſum. Nam ut ut *quiſque* etiam *patiatur ſuos manes* inter homines, ſenſu Poëtæ, excipiendi ſaltem infantes. Sic; An quando Poëta inquit, *ſuam quiſque homo rem novit*, omnes & ſingulos mortalium intelligit? Innumera talia. Et qua conſcientia dicit Animadverſor, *neminem hominum eſſe qui non habeat facilem illum aditum ad ſalutem?* Quem habuere *aditum facilem ad ſalutem* infantes exſtincti in prima ætate inter paganos? Quem illi omnes qui nihil unquam de Chriſto audivere? Quem illi quos Deus odit ab æterno, quos Chriſtus nunquam novit? Quem omnes illi quibus Deus fidem largiri non vult, ſine qua nullus datur aditus, nedum facilis? Quem *facilem aditum* habent ad *ſalutem*, inevitabiliter increduli, & ineluctabiliter damnandi, quales omnes præteriti, ſecundum ipſum Animadverſorem? Nec *Pellicani* verba ex commentario in cap. 1. Joh. 29. nobis adverſa. Vltima enim apertè exponunt priora, ſecundum ſententiam noſtram. De idoneitate etiam Chriſti non quæritur, ſed de voluntate. Et ſi Chriſtus univerſa totius orbis peccata ſuſtuliſſet, ſuſtuliſſet etiam incredulitatem & impœnitentiam, & effeciſſet, ne utraque in ullo eſſet perſeverans. Nec verba *Pellicani* ex Commentario in Cap. III, 15. ſententiam noſtram lædunt, *omnibus* enim *credentibus* Chriſtum expoſitum, inter nos controverſum non eſt, ſed annon, quia Deus credentibus tantum Chriſtum expoſitum voluit, nec fidem omnibus dare, omnes ſalvari noluerint? Nec verba Johannis V, 18. de omnibus & ſingulis mortalium, ſed tantum de vocatis per verbum agunt; nec vexanda verba quibus alia opponere poſſemus ejuſdem *Pellicani*, ſi in eo verſaretur cardo quæſtionis: Et plurima ibi retorqueri poſſent in Animadverſorem: Diſerte enim dicit Chriſtum in hoc veniſſe *ut per fidem purgatum mundum ſalvum faceret*; Et quis eſt iſte mundus? An *Chriſtus etiam nihil omiſit, ut cunctos ad ſalutem æternam traheret?* Si id de omnibus & ſingulis intelligatur? Fidem tuam Animadverſor! Annon tantum hoc vult, *vitio Chriſti* neminem perire? Id vero an inter nos controverſum eſt? Annon potius, an Chriſtus *omnibus & ſingulis* mortalium *aditum facilem ad vitam* aperuerit?

XIII. Merito à me dictum poſt *Baſilium*, ſolius Scripturæ judicio hîc ſtandum, non hominum, quicunque illi ſint. Magnos quoſdam Theologos Orthodoxos fuiſſe in ſententia à me diverſa tum fatebor, ubi oſtenderit Animadverſor ex truncatis vel detortis aliquot verbis, (quamvis plurima alia illis opponi poſſint eorundem auctorum) judicandum eſſe de eorum ſententia: ſatis, doctrinam eorum de electione, reprobatione

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

tione & fœdere gratiæ nobis planè favere, & ſecundùm ea interpretanda eſſe, dicta popularia in commentationibus & Homeliis ad πάθη movenda quandoque adhibita. Sanè ſi verba ita vexanda ſint, nemo effugiet Proteſtantium, quin transſubſtantiationem largiamur Pontificiis, quando illi ex Patribus variis ῥητορείας varias citant, verbi gratiâ, ex *Cypriano* Serm. in Cœna Domini, verba comparata ad πάθη movenda, *Sanguinem ſugimus, & intra ipſa Redemptoris noſtri vulnera figimus linguam, quo interius exteriuſque rubricati* &c. & alia id genus. De judicio & candore utriuſque noſtrûm judicabit Lector. Heroas noſtros idem cum Animadverſore ſcripſiſſe & credidiſſe, tum admittemus, ubi ex illis docuerit, *triplex Dei fœdus, prædeſtinationem univerſalem conditionatam, vocationem ad Chriſtum per naturam, & τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ, fidem ſine cognitione Chriſti, hominem irregenitum poſſe credere ſi velit, peccatum turbaſſe œconomiam conſilii divini, & Deum ad novas curas compuliſſe,* & innumera id genus alia. Nequicquam verò quiritatur Animadverſor, quod peſſimè ſecum actum, quum licuiſſet illi quieto eſſe, ſed qui Eccleſias pacatas in hunc uſque diem turbatas mavult opinionibus ſuis privatis, quamvis non neceſſariis, & ſuper controverſiis *de rebus levibus,* ut amici ejus loquuntur, quàm tot Synodis & hortationibus cedere. Et tamen velut Gracchus ac Cethegus de ſeditione queritur: An verò *futiles* tantùm ſint *eluſiones*, ea quæ à me producta, judicabit Lector, & animadvertet, humanis armis anxiè pugnare Animadverſorem, quæ hinc inde verſat, & æquuleo paſſim ſubjicit, divinis verò eum nunquam adeò ſollicitè uti. Interpretationes meæ in loca Scripturæ, utut eas convitiis variis proſcindat, ipſius judicio nec ſtabunt nec cadent. Confutet à me dicta, & agat rationibus, & conſtabit publico, quis verè & ſincerè loca Scripturæ excuſſerit. In his præcipua cauſæ momenta, quæ excutienda erant Animadverſori, ſi operæ pretium agere voluiſſet. Scripturâ nobis ereptâ, cauſæ nihil foret, quin triumpharet Theologia Animadverſoris, illâ nobis relictâ Commentatorum aliquot verba cauſæ noſtræ nihil planè officere poſſent, ſed cavit ſibi, ne tangeret complura Scripturæ loca à me cum cura expenſa, & tot rationibus confirmata, ut deſperaret ſe poſſe iis ſatisfacere. Hæc ſola cauſa tanti contemptus & tot, quibus me paſſim obruit, contumeliarum, ac convitiorum.

XIV. Et quia provocat ad Lectoris judicium ſuper iis quæ commentatus ſum in locum Joh. III, 16. opto toto animo, ut ex illo etiam loco judicium de Animadverſoris candore fiat. Reperiet verò commentationem meam Exerc. part. I. à p. 741. uſque ad p. 774. incluſivè. I. Inquit, me τὸ οὕτως & τὸ ἠγάπησε velle majorem affectum denotare, præſertim quum agatur de Filio donando, & reſpondet Grammaticorum de verbo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

verbo *ἀγαπᾷν* conjecturas ad doctrinam de Gratia univerſali non pertinere. Quaſi verò. 1. Grammaticationes pædagogicæ, & rhetoricationes ac cavilla, quæ paſſim inſerit, & ex quibus Duas Partes priores Speciminis integras propemodum conflavit, propiùs vel magis ad eam pertineant! 2. Vertiginem paſſus eſt, nec enim talia à nobis citata ut ad Gratiam iſtam pertinentia, ſed ut facientia ad ejus everſionem. 3. An τὸ οὕτως non notat ἐπίτασιν & αὔξησιν velut amoris? 4. An abſurdum etiam, ex Etymologis Græcis vim vocabulorum expendere & urgere? 5. Annon quia agitur de Filio donando, qui maximum & perfectiſſimum donum, maxima & perfectiſſima id dantis deſignatur dilectio?

XV. Addit, nihil opus eſſe confugere ad diſtinctionem voluntatis *antecedentis* & *conſequentis*. At illa reipſa eſt φιλανθρωπία illa communis, quam docet, iſta dilectio particularis, illa *prima*, iſta *ſecunda miſericordia*. Quæ diſtinctio relata ad decreta Dei ſemper à Theologis noſtris perſtricta fuit in Remonſtrantibus, & heterodoxis aliis, ut abſurda, & periculoſa, cujus κρυπτὰ proclive foret aperire, niſi Digreſſiones omnes Animadverſori relinquere conſtitutum nobis eſſet, & *voluntas antecedens* æquè ac φιλανθρωπία illa univerſalis merum eſſet idolum & purum figmentum. Nec *minas* noſtras *pertimeſcendas* habuit Animadverſor, ſed rationes. Quarum multas à nobis adjectas præterit intactas accuratus diſputator.

XVI. Vocem *mundi* poſſe appoſitè, imo debere pro corpore electorum ex toto mundo, ſive ex quibusvis gentibus collectorum ſumi, tacita antitheſi ad gentem Judaicam, à me graviſſimis argumentis demonſtratum! Quid ille? Sex paginas in probatione illa à me conſumptas quiritatur. Demonſtrandum ipſi erat, eas male à me conſumptas, & vel dicteriis vel rhetoricatione mera impletas, quod ipſi ſolenne paſſim, vel rationes meas nullius eſſe commatis. Videat quæſo Lector à me dicta à 743. ad p. 748. & judicet, quid & quî reſponderit Animadverſor, & quàm egregiè ſuis argumentatiunculis ſatisfecerit cauſæ de qua agitur. *Interpretationem* verò iſtam *meam repugnantia quadam involvere ſe ipſam* contendit. *Si enim mundus*, inquit, *ſignificat numerum electorum, non eſſe aptam antitheſin ad gentem Iudaicam, ſed ad electos è gente Iudaica collectos. Sin altera pars antitheſews gentem Iudaicam complectatur, neceſſe eſſe mundum deſignare non electorum corpus, ſed gentium univerſitatem omnium. Et quidem gens Iudaica*, ut addit, *dicitur ſine reſpectu ad electos, & habet communem quandam notionem, quæ omnes & ſingulos Iſraëlitas complectitur. Sic Mundus dicetur ſine reſpectu particulari ad electos, & omnes ac ſingulos gentiles comprehendet*. At 1. Supponit Animadverſor, *antitheſes* in Scriptura poſitas ſemper ad regulas Logicas ita anxiè efformari. 2. Antitheſis apta manet, ex eo quod gens

Judaica

Judaica pro Dei populo in genere paſſim ponitur in Teſtamento Veteri, & quia *externâ cooptatione* tenus omnes erant fœderati Dei, prout Apoſtolus *externæ* id genus *aggregationis* rationem habet, & Eccleſiis integris cæteris inſcribendo Epiſtolas ſuas, eas inſcribit *electis* & *ſanctis* bene ex Canone Charitatis judicando & ſperando de omnibus. Nec iſti rationi quicquam decedit, quod non omnes Judæi fuerint electi reverâ. Scriptura enim ſatis habet, ſic opponere populum Dei, populo Dei, gentilem Judaico, Eccleſiam è Gentilibus collectam, Eccleſiæ collectæ è Judæis. 3. Supponitur, denominationem ſumi tantum *à majori* & non *à meliori* ſæpe vel *potiori*. Atqui Prophetæ ſæpe gentem Judaicam, Iſraelem, Judam, compellant, tanquam conſtantem ex meris Dei filiis. Hujus itaque ſtyli habita ratione Dei filii è mundo collecti diſtinguuntur à gente Judaica, hoc eſt, à populo Deo ſolùm fœderato in Teſtamento veteri. Haudquaquam itaque neceſſe, per mundum deſignari gentium omnium univerſitatem. Nec id fieri poſſe, rationibus & *oſtenſivis* & *apagogicis* invictis oſtenſum, quæ diluendæ erant Animadverſori. 4. Gentem Judaicam dici ſine reſpectu ad electos, & omnes ac ſingulos Iſraelitas complecti, vel καθόλȣ dicitur, vel κτ̀ μέρ☉ς: Si prius, falſum dicitur, & ſæpe Juda ac Iſrael ponuntur pro Dei filiis, & pro ſalvandis, adeòque electis. Si poſterius, nihil concludit.

XVII. Addit. 1. In ἀντιδιαστολῇ *illa frequenti Chriſtum & Apoſtolos ſemper opponere gentem gentibus, non electos ex una gente collectos electis collectis ex univerſitate reliquarum gentium.* Collectio verò iſta vel *univerſalis* denuo eſt, vel *particularis*. Si *univerſalis*, falſa eſt, & loca oppoſita ubi Iſrael reſtringitur ad electos, habes Matt. 11, 6. Luc. 1, 54. 11, 32. Act. v, 31. xxviii, 20. Rom. ix, 6. xi, 26. Hebr. viii, 8. Si *particularis*, cadit illatio. Nec opus *concordantiarum compilatione* in re obvia, & quæ tanto diſputatori ignota eſſe non debuit. An verò mirum, opponi iſtum Iſraelem filiis Dei diſperſis inter Gentes tamdiu à Dei fœdere alienas? Annon oppoſitionem etiam illam habes 1 Joh. 11, 2. Chriſtum factum propitiationem non tantùm pro peccatis noſtris ſcilicet Judæorum, ſed & pro peccatis totius Mundi? Ibi ſanè ſermo de actuali propitiatione, & abſoluta, & cum conſolatione conjuncta quæ facta & pro Judæis dicitur, & pro totius Mundi electis, ut demonſtratum dedimus in Exercitationibus. Eandem oppoſitionem habes Joh. xi, 52. inter τὸ ἔθν☉ς Judæorum pro quo Chriſtus moriturus dicitur *abſolutè* & actu, & inter filios Dei diſperſos in toto orbe.

XVIII. 11. Inquit, *Abſurdum eſt, electos è Iudæis appellare nationem Iudaicam.* An hærendum in vocabulis nationis Judaicæ? Annon natio Judaica

&

& Iſrael æquipollent? An demonſtratum electos è Judæis vocari Iſraelem. III. *Multò abſurdius*, inquit, *electos è mundo mundum indigitare*; *Præterquam enim quod multò minima pars non ſolet nomenclationem totius ad ſe trahere, quum Chriſtus electos ſuos deſignare vult, quatenus à reliquis hominibus ſegregati ſunt, turbam illam hominum præteritorum penè innumerabilem mundi nomine denotat, ut* Joh. XVII, 6, 9, 14, 16. *Abhorret verò etiam à communi conſuetudine loquendi, ut & pars ſecreta* ἀπὸ τοῦ κόσμου, *& reliqui in mundo, ex quibus pars illa ſecreta eſt, eodem nomine nuncupentur. Atque ideò importunius eſſe, quod cum Chriſtus multitudinem illam præteritam* κόσμον *appellet* διακελευστικῶς *&* διασυρτικῶς *aliquo modo, negetque ſe curam habere iſtius mundi, quia eum conſiderat tanquam ſecretione jam factâ per vocationem efficacem, adeò ut alii crediderint, alii Euangelium reſpuerint, ſi per* κόσμον *hoc loco corpus electorum intelligeret, tanta ambiguitate ſermonis cogitationes hominum miris modis conturbaret.* At 1. Gloſſemata id genus hauſit à Remonſtrantibus Animadverſor. 2. Futilia illa ſunt; ſi enim abſurdum, electos è mundo mundum indigitare, abſurdè loquitur Scriptura Joh. I, 29. VI, 33. XVII, 21, 23. Rom. XI, 12, 15. II Cor. V, 19. Abſurdus verò Animadverſor potius, quàm Scriptura. 3. Si abſurdum, multò minimam partem ad ſe nomenclationem totius trahere, quî fit, quod homines, quibus Euangelium prædicandum vel & prædicatum vocentur πᾶσα κτίσις Marc. XVI, 15. Col. I, 6. & 23? Quî fit, quod *mundus* ita ſumatur, ut ſuprà demonſtratum? *quî* fit quod hymnus cœleſtis tribuatur παντὶ κτίσματι, Apoc. V, 13? Quî fit quod Paulus vocet Corinthios in genere ἡγιασμένους in Chriſto & Sanctos? Et quî Petrus illos, quibus inſcribit Epiſtolam ſuam, qui ἐκ τῆς διασπορᾶς profitebantur Euangelium, vocat ἐκλεκτοὺς promiſcuè? I Petr. II. & γένος ἐκλεκτὸν, *regale ſacerdotium, populum ſanctum*? Annon in locis iſtis omnibus, & paſſim alibi denominatio ducitur à *meliori* vel *potiori?* Quid promiſcuum magis & magis in uſu communi? 4. Præteritos interdum mundi nomine deſignari, ἐξαγώνιον, quæſtio, an ſemper? An quia interdum Chriſtus præteritos ita deſignat, eodem nomine electos nunquam inſignit? An quia κτίσιν interdum ſumit & κόσμον pro machina mundi diſtincta ab hominibus, non ſumit utramque vocem etiam pro hominibus? Annon, ut Joh. XVII. commate 6. & 9. κόσμος deſignat præteritos, ſic v. 23. deſignat electos? Annon nota ἀντανάκλησις, & diverſiſſima vocabuli mundi acceptio apud Johannem eodem verſu 10 cap. I? An mirum diverſis locis idem vocabulum diverſa ſignificare. Mundus itaque ſignificat *præteritos*, oppoſitus Dei filiis, ſignificat verò *electos* ex variis gentibus, oppoſitus uni genti, ad quam prius reſtringi videbatur Dei fœdus. 5. Obſervet etiam Lector, turbam hanc præteritorum, *propè innumerabilem* dici ab Animadverſore,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

& eundem tradere *illorum exitium* eſſe *inevitabile* & tamen, ſi ipſi credimus, Deus voluit, illam turbam innumerabilem, cujus exitium eſt inevitabile, ſub conditione inevitabiliter illis non præſtabili, ſalvari, & quidem ob inenarrabilem φιλανθρωπίαν, in cujus manu erat, nulla re obſtante, totam hominum univerſitatem ſervare, ſi id ipſi placuiſſet. 6. An abſurdum etiam, & partem ſecretam è mundo, & reliquam multitudinem ex qua ſecreta eſt, eodem nomine nuncupare? Cur ergo filii Abrahæ, Iſraël, & Juda vocantur interdum electi, interdum præteriti? Adde, denominationis iſtius rationes dari graves, quæ à nobis in Exercitationibus adductæ, quæ ne delibatæ quidem, nedum confutatæ ab Animadverſore. An magis abſurdum, multos ex hominibus in mundo viventes mundi nomine deſignare, quàm multos ex civibus, civitatem? Quid frequentius quàm Hieroſolyma, & tota quidem, de aliquot civium numero efferri? Vide Matt. III, 5. IX, 54. & innumera id genus. An abſurdum etiam, idem nomen καὶ εὐφημισμὸν & διασυρτικῶς diverſis attribuere, cur ergo laudi ducitur Judæis quod ſint *filii Abrahæ*, & ſimul vitio vertitur? 8. Vbi etiam Chriſtus dicit, ſe nullam *amplius* habere curam ſalutis iſtius mundi? Imò cujus ſalutis curam ſemel habuit, perpetuò habet, & quos diligit, diligit uſque ad finem Joh. XIII, 2. Niſi & affectus ejus & cura mutationi obnoxia cenſeantur. 9. An Chriſtus etiam rationem tantùm habet ſecretionis factæ in tempore per vocationem efficacem, & non æternæ potiſſimum per electionem vel reprobationem, ex qua iſta? An vel ignorabat illam Chriſtus, vel non curabat, & voluit illos ſalvari in tempore, quos ipſe ab æterno cum Patre odit, & præſcripſit ad damnationem? Quî verò Deus unquam φιλανθρωπίᾳ vel amore in eos propenderit, quos dicit ſe *nunquam noviſſe*, docebit nos Animadverſor. Et vel univerſalis iſta aſſertio falſa eſt, vel Chriſti verba. An hærendum nobis hîc erit, cujus dicta vera cenſenda ſint, non, an *Æmilii*, vel *Scauri*, ſed an creatoris, vel creaturæ, Domini vel ſervi? *Importuniora* forſan iſta erunt Animadverſori iis quæ mihi objicit. Ea etiam trahere ad aliam quandam voluntatem poſteriorem, eſt petere τὸ ἐν ἀρχῇ, & ſapientiam ſimul ac immutabilitatem Dei evertere, qui primis curis hoc velit, ſecundis, illud velle deſinat, & velit aliud. 10. Scilicet, ſi Animadverſorem audimus, earundem vocum diverſa interpretatio conturbat cogitationes hominis, & aliter loquendum erat Chriſto, quàm ut diceret, *ſinite mortuos ſepelire mortuos ſuos*, & Johanni, in *mundo erat & mundus per eum factus eſt, & mundus eum non agnovit. Novum mandatum ſcribo vobis, & non novum mandatum*, & ſexcenta id genus; Securitatis etiam ſummæ, iſta nobis objicere denuò, quæ diſcuſſimus p. 763, & 764.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

XIX. Vt verò deſinat Animadverſor apud Lectorem veluti novam & abſurdam vocabuli Mundi ſignificationem traducere, quam hîc tuemur, contendendo Mundum in Scriptura interdum deſignare filios Dei per Mundum diſperſos, & à Deo è mundo ſelectos, patietur ſe à me ad Auguſtinum ablegari, meliori jure in hoc argumento, quàm me ad Ciceronem revocatum cupit alibi. Videbit Eximium iſtum & inter omnes ex priſcos Eccleſiæ Doctores intelligentiſſimum & acerrimum argumenti de Gratia vindicem idem planè ante nos & cenſuiſſe & probaſſe contra Adverſarios Eccleſiæ Catholicæ. Collat. Tertii diei Breviculi collationum cum Donatiſtis cap. III. inquit: *Catholici teſtimonia proferebant, quibus in bono mundi nomen eſſe poſitum oſtenderetur, ſicuti eſt, Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, & cætera hujuſmodi, ubi oſtenderetur Eccleſia, quoniam ipſa utique per Chriſtum reconciliatur Deo.* Et contra Donatiſtas poſt collationem. *Nos mundum*, inquit, *pro Eccleſiæ ſignificatione poſitum dicebamus, ſicut etiam Cyprianus intellexit, quia per totum mundum futura præfigurabatur Eccleſia. Nos non ſolùm in malam, ſed etiam in bonam ſignificationem mundum in Scripturis poſitum reſpondebamus, & commemorabamus illud quod ſcriptum eſt, Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, qui utique non ſibi reconciliat niſi Eccleſiam.* Sic Epiſt. XLVIII. dum explicat locum, Chriſtum eſſe propitiationem peccatorum noſtrorum, nec tantùm noſtrorum, ſed totius Mundi, inquit: *Propter triticum quod eſt per totum mundum.* Sic Tract. LXXXVII. in Johannem: *Vniverſa Eccleſia mundi nomine plerumque appellatur, ſicut eſt illud, Deus erat in Chriſto,* &c. *Totus ergo mundus Eccleſia eſt, & totus mundus perditionis odit mundum redemptionis.* Gemina habet Auctor libri de vocat. Gentium apud Proſperum lib. I. cap. IX. & docet, *ſpecialem* quandam cenſeri *univerſitatem, ut de toto mundo totus mundus liberatus, & de omnibus hominibus omnes videantur aſſumpti.* Et poſtquam multis oſtendit, propoſitiones univerſales in Scriptura non ſemper univerſaliter intelligi, concludit: *His & aliis documentis, quæ poſſunt ab inquiſitoribus numeroſiora proferri, non dubiè demonſtratur, interdum & pro parte terræ omnem terram,* & *pro parte mundi totum mundum, & pro parte hominum omnes homines nominari. Quorum tamen diſcretionem plerumque Scriptura citò aperit, ut ſenſus legentis ab univerſitatis appellatione ad partem, quæ intelligenda eſt, transferatur.* Similia his habet in Tract. de tribus Quæſt. *Lupus Servatus* Abbas Ordinis Benedicti, Rabani Diſcipulus, qui vixit octavo ſeculo, quem è tenebris anno ſuperiore erutum mecum communicavit Ampliſſimus, & omni laude digniſſimus vir *David de VVillhem.* Eximia is multa in hunc ſenſum habet ſecunda quæſt. de Prædeſt. pag. 33. 34. 35. & quæſt. tert. de *ſanguinis Chriſti taxatione ſeu pretio* pag. 57. 58. 59. 60.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

XX. Addit, *ſi mundus ſignificet corpus electorum, Chriſtum ita loquutum fuiſſe, ſic Deus dilexit mundum electorum, ut filium ſuum dederit, ut quicunque ex illo mundo credat, habeat vitam æternam. Quo nihil poſſit dici ſapientiâ Chriſti indignius. Vbi enim certum eſt, atque determinatum, omnes ad unum uſque eſſe credituros, ſyncategoremate illo* πᾶς *vel quiſquis, opus non eſſe quod rem relinquat in ſuſpenſo, ita ut nonnullos non eſſe credituros potiùs innuere videatur?* At quæ major ſupinitas quàm reponere denuo id ipſum, quod à nobis diſertè & occupatum & confutatum à p. 766. ad 771, ne tentatâ quidem rationum noſtrarum refutatione? Oſtenſum verò, præter alia, quæ ibi videri poſſunt, verba iſta *ut quiſquis*, &c. ſapientiſſimè à Chriſto adhibita, ut quæ contineant *mediam* vel *conditionem*, cujus interventu Deus Mundo iſti Filium ſalutarem reddere vult, nimirum fidem in ipſum, ut ſimul exponat & *cauſam* ſalutis noſtræ προηγουμένην, & *objectum*, & *medium promerens*, & *medium applicans*, & *finem*. Poſtquam expenderit Lector noſtra, nihil ſecuritate iſtius hominis indignius eſſe pro certo judicabit, & verba Chriſti ſummâ cum ſapientia dicta, cum expoſitione noſtra quàm optimè conſiſtere deprehendet. Nec τὸ πᾶς hîc quicquam relinquit in ſuſpenſo, nec innuit aliquos ex iſto mundo dilecto à Deo non credituros, ſed eſt mera & nuda conditionis ad applicationem beneficii neceſſariæ, ſed & à Chriſto ipſo partæ & collatæ, vel conferendæ expreſſio.

XXI. Dictat nobis in ſequentibus Animadverſor, *κόσμον primùm ſignificare hominum univerſitatem, ſine ullo diſcrimine conſideratam.* At *primùm* aliud ſignificat, nimirum *ſubjectivè* machinam univerſi, & quamvis *primùm* ſignificaret hominum univerſitatem, non ſequitur ſemper voces in prima ſignificatione ſumi. Hîc verò mundum ita ſumi, reponendum nobis non erat ante rationum noſtrarum confutationem. Κόσμου nomen etiam multitudini præteritæ tribui, ἐξαγώνιον, tantùm tribui, vel *nomen iſtud in ea ſignificatione hærere*, falſum. Nec ſufficit, eam *majorem* eſſe, ut oſtenſum, ob duplex denominationis fundamentum *intenſivum* & *extenſivum*. Nec præteriti *aliquo* modo tantùm vitio mundi ſunt inquinati, ut inquit, ſed omni modo. Et quia *antecedenter* & *objectivè*, electi ipſi æquè cum aliis iſto vitio ſunt inquinati, nomen iſtud illi tribuitur, adeòque conſiderantur ut mundus, ex ſe *antecedenter*, quando Deus diſcrimen inter eos ponit & alios. Sic Chriſtus pro *hoſtibus* & *impiis* mortuus dicitur. Ex unius verò ſignificationis mundi poſitione ad everſionem alterius argumentari, ἀνακόλουθον eſt & jejunum.

XXII. Dixeram inter alia, quæ ne tangit quidem Animadverſor, electos nationibus longè univerſalioribus deſignari in Scriptura, vocari enim *omnem carnem, omnes familias, & nationes terræ; omnes fines terræ, omnes*

fami-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

familias Gentium, omnes gentes, omnes populos, totum mundum. Excipit Animadverſor, iſta dici vel καθ' ὑπερβολήν, vel κατ' ἀντιδιαστολήν. Iſtud verum, ideo talia ſic efferri, quia opponitur œconomia Novi Teſtamenti, œconomiæ Teſtamenti Veteris, in qua una tantùm gens fœderis divini facta particeps. Et ob denominationem ſumptam *à meliori*, cujus partis potiſſimam Deus in Mundo rationem habet. Quæ ſit ratio oppoſitionis, ſuprà à nobis excuſſum. Retorquemus verò objecta nobis ab Animadverſore κατὰ τὸ βίαιον. Si electi, comparati cum præteritis, vix unus ſunt, ex magna ac populoſa urbe, ut innuit Animadverſor, abſurdum verò ſit, uno è flammis erepto, dici totam urbem dilectam, & à flammis ſervatam; Annon abſurdiſſimum erit, Deum *omnem carnem*, omnes *familias* & *nationes gentium*, *omnes fines terræ*, *omnes populos*, *totum mundum*, vocare exiguum iſtum numerum electorum, qui vix unus in comparatione dici poſſunt cum reliquis hominibus? Vel ergo abſurditatis juxta nobiſcum rei peragendi ſcriptores ſacri, vel nos cum illis abſolvendi, & Animadverſori abſurditas tota imputanda. Et eadem ratione qua κατ' ἀντιδιαστολὴν phraſes iſtas adhibitas cenſet, eâdem nos Mundi vocabulum adhibitum, regerimus Animadverſori, optimo jure.

XXIII. Adjeci in Exercit. Per *ſynechdochen integri*, ut malos ſic bonos poſſe mundum vocari, Quid hîc excipit? 1. Me negare non poſſe, mundi vocem *prius* pertinere ad hominum univerſitatem, quod eſt integrum quid, quàm ad ejus partes ſeorſim conſideratas. At quid id ad rem? Satis, utraque pars *ſecundariò* hac nomenclatione deſignetur? 2. Addit, quando de integro deſcenditur ad partes, rem claram eſſe de multitudine præteritorum, quod & major pars ſit, & retineat naturam & conditionem integri, nec ſubeat ullam mutationem, quia manet in corruptione inſita, & habet rationem maſſæ, ex qua exigua aliqua pars ſecernitur. Mirum ergo non eſſe, ſi res eadem in ſe manens antiquum nomen obtineat. At de electis aliter ſe rem habere. 1. Numerum enim *minorem* longè eſſe, & *penè contemnendum* præ reliquorum turba. 2. Mutationem electos memorabilem ſubire, naturam corruptam exuere, ſecerni è maſſa, ut novum corpus conſtituant. Cur ergo nomen priſtinum retineant? Iſta verò omnia nihil niſi argutationes meræ. Nam 1. De nomenclatione iſta relata ad præteritos nulla quæſtio. 2. Minorem numerum electorum non obſtare iſti denominationi, oſtenſum, vel itaque demonſtrandum Animadverſori, denominationem tantùm duci *à majori*, & non *à meliori* quandoque, vel agnoſcenda illationis iſtius futilitas. 3. *Penè contemnendum* eſſe præ reliquis electorum *numerum* nonniſi σχλιτευτικῶς dici poteſt, præterquam quod id ipſum Animadverſori regeri poteſt, qui

contemnendo iſti *numero* tantùm fidem deſtinari vult, ſine qua tamen nemo ſalvari poteſt. 4. *Si contemnendus ille numerus*, ut parum ex decoro loquitur Animadverſor, vocari poteſt *omnis caro*; *omnes gentes*, *omnes fines terræ, totus mundus*, cur non & mundus? Quaſi etiam id quod ſubit mutationem, non poſſit priori nomine deſignari? Cur ergò Matthæus poſt converſionem vocatur adhuc ὁ τελώνης Matth. x, 3. Cur *meretrices & Publicani* qui deſierunt eſſe tales, dicuntur adhuc tales? Sic cur Paulus ſe vocat Phariſæum? Secernuntur ſanè electi è maſſa, ſed nomen antecedens obid alio ſenſu illis ſine abſurditate dari poteſt. Sic, verbi gratiâ, annon populus Iſraël olim fuit ſecretus è maſſa reliquorum populorum, ut novum quoddam corpus conſtitueret? An non tamen appellatur ſæpe nominibus iis communibus? An non idem urgeri poteſt contra nomenclationes jam datas, *omnis carnis, omnium populorum*, & aliorum id genus? An priſtinum nomen non retinet Francia, Imperium Romanum, & innumera talia, poſt maximas etiam mutationes?

XXIV. Addit admiratione digniſſimus homo, iſtud *mirabile* eſſe, *quod, quemadmodum mundus poſſint vocari illi quorum princeps eſt Sathan, ſic mundum vocari poſſe, quorum Chriſtus eſt caput, & pro quibus Chriſtus eſt mortuus. Nempe ut Diabolus dicitur eſſe* ὁ ἐν τῷ κόσμῳ, *ſic Chriſtus appellari etiam potuerit* ὁ ἐν τῷ κόσμῳ, *quamvis ſe neget eſſe* ἐκ τοῦ κόσμου. *Et ut increduli dicuntur* ἐκ τοῦ κόσμου εἶναι, *ſic etiam electos* ἐκ τοῦ κόσμου *eſſe dicendos, quum tamen Chriſtus id diſertè inficietur, & Chriſtus Princeps* τοῦ κόσμου *appellabitur, quod eſt nomen Diaboli. Sic nihil fore tam diſtinctum vel oppoſitum in Scriptura, quod non confundatur. Eò deveniri potius quàm Chriſtus ſtatuatur viam omnibus hominibus ad ſalutem aperuiſſe, ſi modò eam ingrediantur.* Iſta revera admiratione digniſſima ſunt. Obſervet Lector 1. A me dictorum, & veriſſimè quidem, fundamentum. Si denominatio poteſt duci *à priori*, poſſe eam etiam *à potiori* vel *meliori* duci. Si enim mali poſſunt vocari mundus, cur non boni? Annon illi etiam in mundo, & pars mundi, & potiſſima quidem? An magis etiam abſurdum, eos vocari mundum, quàm *omnem carnem, omnes familias gentium?* &c. 2. An abſurdum de Chriſto dicere quod veriſſimè ei convenit, quod ſit, ὁ ἐν τῷ κόσμῳ? Annon ipſe teſtatur ſe ſemper in eo nobiſcum eſſe ad conſummationem uſque ſeculi? Annon ille in mundo eſt, ut Deus, & Dominus omnium? Si eſt, cur talis nequit dici? An quia Diabolus *abuſivè* ita vocatur, abſurdum erit, Chriſtum *verè* & *propriè* ita vocari? Abſurdum itaque erit, Chriſtum vocare Deum, quia Diabolus etiam Deus vocatur, & idola varia. An quia Diabolus vocatur ἐξουσία πνευματική, nomen illud Chriſto aptari nequit? 3. An etiam idem ſunt eſſe ἐκ τοῦ κόσμου, & eſſe ἐν τῷ κόσμῳ? An quia Chriſtus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

ſtus negat alio ſenſu ſe eſſe ἐκ τοῦ κόσμου, nimirum ratione & miſſionis ſuæ in carnem, & generationis ordinariæ ex carne & ſanguine, & ratione immunitatis ab omni contage mundi, alio ſenſu non poteſt dici, ὁ ἐν τῷ κόσμῳ? 4. Annon fideles ipſi dici poſſunt ἐκ τοῦ κόσμου eſſe & non κατ᾽ ἄλλο καὶ ἄλλο, prius *antecedenter*, poſterius *conſequenter?* Sic dici poteſt, illos eſſe ἐκ τοῦ κόσμου, & non eſſe, *phyſicè*, non *ethicè*: Non abſurdum itaque idem de utriſque efferri. Et quando Chriſtus negat electos eſſe ἐκ τοῦ κόσμου, notum, eum id dicere *ſecundùm quid*, & *reſtrictè*, non *abſolutè*. 5. An abſurdum etiam, Chriſtum Principem τοῦ κόσμου vocare, ſenſu diverſiſſimo à prædicato illo adſcripto Diabolo? Illum ut Deum verum, & αὐτοκράτορα mundi per *veram denominationem*, Diabolum per *meram uſurpationem*, vel *falſam opinationem*. Nec hinc ſequitur confuſio, niſi inde etiam oriatur, quòd Deo & Diabolo, Deo & creaturis, electis & reprobis, brutis & hominibus, brutis & inanimatis eadem quandoque prædicata adſcribantur. Abſurda hîc itaque finguntur, & meri ſunt tragelaphi. 6. Meritò eò non devenimus, ut cum Socinianis & Remonſtrantibus ſtatuamus, *Chriſtum viam ad ſalutem omnibus hominibus aperuiſſe, ſi modò eam ingrediantur.* Præterquam enim quod id falſum & humani arbitrii viribus inſinuandis opportunum, id ad ludibrium tantùm dictum cenſeri poteſt, reſpectu omnium illorum, qui non magis eam ingredi poſſunt, quàm viam ipſam ad ſalutem aperire.

XXV. Rationem à me allatarum tandem confutationem infrà pollicetur, ſed non præſtat Animadverſor, *centies repetitas* fruſtra dicit, ſi millies etiam repetitæ eſſent, modò ſolidæ ſint, eo nihil illis decederet. Sin tales non ſint, ne ſemel quidem adferri debuere. Id verò docendum Animadverſori, non dicendum tantùm. Non declinanda verò vel rejicienda hîc erat earum confutatio. Sed perſequenda in ſede ſua, ubi de elucidatione loci iſtius agebatur, ad quem pertinent. Sed ſolenne admirando iſti Diſputatori, declinare omnia ea quæ ſtringunt, & alibi eorum confutationem polliceri. Fruſtrà etiam addit, *nullum fore ſcribendi finem, ſi rationes refutare vellet, quibus excuſem appellationis iſtius peregrinitatem.* Sic ſanè compendio omnia confutari poſſunt. Et hoc eſt ad omnia reſpondere, & nihil prætermittere. Quàm hîc rhetoricationi ampliſſimæ & exclamationibus tragicis locus foret! Quæ magnifica dicteria non congeſſiſſet Animadverſor, ſi tàm propudiosè reſpondiſſem ad mihi objecta! Egregium verò & joculare addere, id non neceſſarium eſſe *quod reſpondentis partes tueatur tantùm.* At ſi eas tueri voluit, ut debuit, cur non reſpondit? An reſpondentis partes non ſunt ad objecta reſpondere? Quid magis dilutum? Et quia argumentantis partes tueor, illius erat, &

argu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

argumenta mea & eorum fundamenta vel admittere, vel confutare. *At ſat habeo dicere*, inquit, *non eſſe appellationem illam excuſandam, ſed demonſtrandam.* Vtrumque verò à me factum, nec excuſata tantùm iſta nomenclatio, ſed & demonſtrata, rationibus & *oſtenſivis* & *apagogicis*, optimo jure eam à Chriſto adhibitam. Et quamvis excuſata tantùm fuiſſet, oſtendendum erat, malè excuſatam eſſe, & fundamenta iſtius rei à me allata vana eſſe. Obſervet verò Lector Animadverſoris pollicitationem, *aliud forte tempus ſibi dandum, quo diſcutiat omnes illas nebulas, & juſtam ac integram commendationem in hunc locum inſtituat.* Id ergo hactenus non factum, & nebulæ illæ relictæ, quamvis omnes ſe diſcuſſurum pollicitus fuerit in principio. Equidem magnifica iſta diſputandi ratio egregiam Animadverſori cauſam præbet tot cavillis ac dicteriis & contumeliis Adverſario velut triumphato inſultandi!

CAPUT V.

De loco Matth. XV, 24. *An eo evertatur doctrina de Gratia univerſali?*

BREVIARIUM Capitis quinti.

MIſſionis Redemptoris particularitas probata ex hoc loco. Dicteria Animadverſoris. Ejuſdem digreſſio inutilis. An in ſanatione morborum & ægrotorum quorumvis fuerit imago Gratiæ univerſalis. An à ſanatione externa ad internam procedat argumentum. An idem ſit objectum ſanationis utriuſque. Argumentum Animadverſoris retortum κατὰ τὸ βίαιον. Diſparitas oſtenſa, & abſurda varia. Contradictio vel ἀδολεσχία ſaltem notata. An miſſio Chriſti univerſalis fuerit & conditionata. Ne ſanationis quidem externæ beneficium Chriſtus voluit eſſe univerſale. Oves perditas Iſraëlis eſſe ſolos electos probatur. Ordo obſervatus. An Chriſtus repellat Chananæam. An dici debuerit ab Animadverſore, Chriſtum non fuiſſe promiſſum Gentilibus. Quî ſe Chananæa conferat cum catello. Quæ oppoſitio inſtituatur à Chriſto. Quis verborum Hiſtoriæ iſtius ſit ſenſus. Prærogativa Iudæorum retorta in Animadverſorem. Dilemma ipſi oppoſitum. Diſpenſatio diverſa retorta contra Animadverſorem. Animadverſor à ſe ipſo confutatus. An Chriſtus poſſit dici auctor ſalutis omnibus ſub conditione ſi credant. Abſurda varia impacta Animadverſori. Quî Chriſtus dicatur miniſter περιτομῆς. Finis & ordo prædicationis Chriſti. Cauſa promiſcuæ prædicationis. Animadverſoris confeſſio. Quî Paulus miniſter fuerit ἀκροβυστίας, Petrus περιτομῆς. Miniſterium Chriſti inter Iudæos ſolos obitum, retortum contra Animadverſorem. Contradictio Animadverſoris notata. Ejuſdem compendioſa victoria.

I. MIſſionem Redemptoris particularem fuiſſe probaveram Theſi VI. inter alia ex Matth. XV, 24. Quibus nihil repoſuit Animadverſor in Diſſertatione præter exclamationem tragicam, & commentationem Calvini Demonſtravi in Exercita-

citationibus, 1. Rationibus ex textu ductis, miſſionem Chriſti particularem ſolidè ex loco illo probari. 2. Particularem Chriſti revelationem eſſe oſtendi ex ipſius Animadverſoris verbis. 3. *Muſculi*, cujus authoritate ſæpè pugnat, verba apertiſſimè pro nobis facientia ipſi oppoſui, argumento *ad hominem* uſus. 4. Calvini ipſius verba vindicavi, & oſtendi, Diſſertatorem non bona fide ea citaſſe, ſed truncaſſe, & ea omiſiſſe quæ ſibi officere videbat.

II. Quid ad iſta Animadverſor? Omnibus à me dictis, quibus ſe conſtringi videbat, magno ſupercilio prætermiſſis 1. Super alacritate mea ſatis habet εἰρωνεύειν, quod Calvini verba nihil cauſæ noſtræ nocere cenſuerim. Et meritò quidem, nec id tantùm à me dictum, ſed etiam demonſtratum. 2. In digreſſionem omninò inutilem & prolixam ſe diffundit de Hiſtoria Chananeæ. 3. Inde elicit, agi primùm *de miraculo*. Id ſcilicet ignorabamus. 4. *Ex eo, ut & ex aliis, quæ Dominus patravit, documentum ſumendum eſſe*, inquit, *earum rerum, quas Chriſtus deſignaturus erat pro ſalute animarum. In ſanatione enim morborum & liberatione dæmoniacorum ſalutis animarum imaginem fuiſſe adumbratam, clarum eſſe ex verbis* Eſaiæ *accommodatis à Matthæo.* Quid verò id ad gratiam univerſalem? An Chriſtus omnes & ſingulos mortalium curatos voluit à morbis, vel à Dæmonibus qui iis vexabantur? Annon hoc ipſum κατὰ τὸ βίαιον poteſt retorqueri? An omnium etiam illorum, quorum corpora ſanavit à morbis, eorum animas ſanavit à peccatis? Quî factum ergo quod *novem leproſi* ingrati abierint à benefactore? 5. Audiamus verò ſubtilem illationem Animadverſoris. *Vt in patratione miraculorum Chriſtus ita ſe geſſit, ut promiſcuè omnes ſanaverit, tam electos quàm non electos, qui modò ejus opem implorarent, nec ab eis poſtulavit ut eſſent electi, quò ſervarentur, ſed tantùm ut profiterentur ex animo ſe credere, id eum præſtare poſſe, ſic conſentaneum eſſe, ut ſalutarem gratiam pariter promiſcuam fecerit tàm electis quàm non electis, dummodò eum pro ſervatore amplectantur.* At 1. Quæ iſta argumentandi ratio à ſanatione corporea ad ſpiritualem, an quia in genere ſanatio morborum corporis ſanationem à morbis animi portendit, ſequitur idem eſſe *objectum* ſanationis utriuſque? Cur non inde concludimus, quia infideles quidam actu à Chriſto ſanati à morbis & quidem qui manſere tales: Ergò & quidam tales curati à peccatis? Quum etiam ſoli Judæi à Chriſto curati fuerint, uno fortè vel altero capite excepto: Ergo ſolos Iudæos curavit à peccatis & curatos voluit, vel pauciſſimos ſaltem è gentilibus præ Judæis? 2. An ex promiſcua etiam ſanatione univerſalis voluntas omnes ſalvandi concludi debet? Quibus fidiculis unum exprimitur ex altero? 3. An quia externa opis Chriſti imploratio ſufficiebat ad ſanationem corpora-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

lem à Chriſto impetrandam , idem ſufficit ad ſpiritualem? 4. An ut ad aliorum tantùm poſtulationem beneficia externa Chriſtus indulſit in reſuſcitatione & ſanatione aliquorum, idem etiam fecit reſpectu ſanationis animarum? 5. An, quia ſanitatis corporeæ capaces ſunt non electi, etiam ſanitatis ſpiritualis capaces eſſe poſſunt? 6. An dicimus etiam, ab ullo ſpiritualiter ſanando poſtulari à Chriſto, ut ſit electus. Atqui opus, ipſum eſſe electum ab æterno, ut ſic ſanetur in tempore. Nec poſtulatur à Chriſto, ut aliquis ſit electus, ſed datur. 7. Profeſſio oralis, ſe credere Chriſtum id præſtare poſſe, ſufficiebat in leproſis multis, an etiam ſufficit in ſanatione ſpirituali? Quàm egregias illationes id genus ſtruemus ex hoc loco, ſi ſequamur Animadverſorem noſtrum! Vt compendio abſolvam, vel *à qualitate* objectorum corporalium ſanatorum à Chriſto argumentum ſolidum ducitur ad *qualitatem* objectorum ſanandorum ſpiritualiter, vel non: Si poſterius, ſic argumentari Animadverſor non debuit, nec aliquid pro cauſa ſua inferre ex iſta applicatione verborum Prophetæ, quæ ab Euangeliſta tantùm inſtituitur, ut oſtendat, Chriſtum non veniſſe, ut Medicum ageret externum, ſed ut mederetur præcipuè morbis animi: Si prius, quid quæſo non ſequetur abſurdi? An etiam eadem vel neceſſitas vel σχέσις vel efficacia electionis ad ſanationem corporalem, quæ eſt ad ſanationem ſpiritualem? At multi electi non ſanati corporaliter, nemo electus non ſanatus ſpiritualiter; Multi etiam ſanati corporaliter, qui tamen non electi; nemo verò ſanatus ſpiritualiter, qui non electus. Quot quæſo etiam in Judæa deſiderarunt impensè, ut à Chriſto ſanarentur, qui tamen ſanati non fuere, vel quia ipſi ad eum ire non potuere, vel quia à nemine ad eum deportati fuere! An verò aliquis à Chriſto impensè cupit ſanationem ſpiritualem, qui tamen non ſanetur? An Chriſtus etiam exegit à ſanandis, ut illi jam ex parte eſſent ſanati, & ſub hac conditione demùm pollicitus eſt, ſe eos ſanaturum ulterius? At hoc exigit à ſpiritualiter ægris, ſi Animadverſori credimus, Chriſtum enim pro Servatore amplecti, eſt jam actum hominis ſpiritualiter ex parte ſaltem ſani edere. Chriſtus itaque tales ſpiritualiter ſanabit, modò illi jam ex parte ſani ſint, & morbum depellet, modò eum æger ex parte depellat prius. Quod eò magis joculare eſt, quia pars morbi ſpiritualis, nec minima quidem illa, eſt, non poſſe Chriſtum pro Servatore amplecti, & impotentiâ quidem (cujuſcunque illa ordinis ſit) invictâ & incorrigibili per naturam. 8. Nihil minus conſentaneum vel Theologiæ Orthodoxæ, vel Scripturæ; quàm Chriſtum ſalutem animæ promiſcuam feciſſe tam electis quàm non electis. Annon ſic *paritas* vel *æqualitas* demonſtrabitur in deſtinatione Chriſti ad ſalutem, *adeòque prædeſtinatio univerſalis*

condi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

conditionata ? At quînam hoc conſentaneum cum odio Dei æterno aliquorum? Scilicet conditionaliter eos deſtinavit ad vitam,& ſalutem illis promiſcuam fecit in tempore ſub conditione, quos tamen præterire voluit ab æterno, & vel omnia, vel ſaltem neceſſaria illis media negare ad vitam, ſine quibus nemo vel ſalvatus fuit unquam, vel ſalvari poteſt? Quî conſentit hoc cum proteſtatione Chriſti, ſe tales *nunquam noviſſe*? An ad eorum redemptionem ullo modo venit, quos nunquam novit? Nec clauſula adjecta, *dummodò eum pro Servatore amplecterentur*, difficultatem amolitur, quia illius ipſius exactio volitionem iſtam Dei vel evertit, vel inutilem neceſſariò facit, nec innumeris mortalium aptari poteſt, quibus Chriſtus amplectendus propoſitus non fuit. Scilicet modò Americani per τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ indagaſſent, Filium Dei veniſſe in mundum, & illum fuiſſe crucifixum, & paſſionem ejus amplectendam fide, fuiſſent ſervati! Vel ſecundùm novæ Theologiæ δόγμα, modò *ſpem remiſſionis* & placabilitatis Dei agnoviſſent in natura, Deus illis miſiſſet vel Angelum, vel immediatam aliquam inſpirationem, vel alio modo illis revelaſſet Chriſtum,& ſic *habenti* fuiſſet *datum*! Quæ ſunt ipſiſſima placita Remonſtrantica. At quamvis aliquam *ſpem remiſſionis* & placabilitatem in Numine aliqui expaganis concepiſſent,& profeſſi eſſent,& omni ſtudio Numen ſuum demereri ſtuduiſſent, imò id multi ex iis concepiſſent, ut ſummum & infinitum & omnipotens, tamen ne ſtrictura quidem leviſſima Euangelii unquam ad eos pervenit. An etiam Deum Trinunum placabilem ἐν τῷ γνωστῷ τοῦ Θεοῦ percipere potuere ulli mortalium? An verò ille, qui Deum ſibi fingit non Trinunum, non ſibi fingit idolum pro vero Deo?

III. Ex his patet, ab Animadverſore nequicquam ſubjici repetitionem iſtius comparationis jam inſtitutæ; ſi in diſpenſatione miraculorum, quum Chriſtus dicit ſe eſſe miſſum *ad oves perditas domûs Iſraëlis* duntaxat, non intellexit ſe eſſe miſſum ad ſolos electos, ſi modò eum non aſpernarentur; ſic in diſpenſatione ſalutis exiſtimandum, illum eſſe miſſum indifferenter ad univerſos, ſi modò gratiam, quam offerebat ſupernè, non reſpuerent. At 1. *Vniverſaliter Chriſtum miſſum ad omnes Iſraëlitas, qui ejus ope indigerent, modò eum non adſpernarentur*, dari nequit, nemo enim ex Iſraëlitis manſiſſet vel leproſus, vel cæcus, vel alio morbo correptus. An enim ullus gravibus præſertim & incurabilibus humanitus morbis affectus non anhelaſſet ad Chriſtum, ut ab eo curaretur? Nec dici poteſt, multos fortè Chriſtum adſpernatos fuiſſe, adſpernati ſanè eum fuere, quà ſe & Prophetam, & Meſſiam, & Filium Dei profitebatur, ſed non quà curabat morbos externos, nec ejus rei exemplum in tota Hiſtoria Euangelica exſtat. Imò certatim quivis ad Chriſtum vel ipſi ſe rece-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

pere, vel ad eum adducti fuere. Vt ergò ne ſanationis quidem externæ beneficium voluit univerſis ægris eſſe commune, quibus alioqui facile mederi potuiſſet, nec enim deerant illi media convenientia eos ad ſe pelliciendi: Minus ſanationis internæ. Scilicet ut Chriſtus in terris vivens ſanabat ægros in Judæa, ſpiritualiter ægri in Inſula Thule, vel in imo Septentrione ab eo ſanari poterant, *modò eum pro Servatore amplecterentur*, quamvis multis ſeculis Euangelium de Chriſto ad illos non pervenerit!

IV. Addit: *Si oves perditæ domûs Iſraëlis ſoli electi ſint, vel ſunt electi ex una Iudæa collecti, vel electi ex omnibus gentibus colligendi: Prius dici non poſſe, alioqui nos gentiles ſalute privandos: Nec poſterius, ſi enim Chriſtus dicere velit, & miſſum eſſe ad ſolos electos, tam Iudæos quàm Gentiles, cur repellit fœminam illam à ſe, ut non Iudæam natione, quia tametſi gentilis, electa erat, ut ejus fides teſtabatur. Nonne hîc opponit Iudæos & gentiles inter ſe, quatenus illis promiſſus erat, hiſce minimè, non verò electos & non electos, quod his Redemptor denegatus eſt, illis conceſſus?* Obſervet quæſo Lector, commentarium noſtrum & illum componat cum hoc textu. 1. *Oves perditæ Iſraëlis*, neceſſariò ſunt ſoli electi, nec enim *hirci*, vel *porci*, vel *canes*, quales ſunt omnes non electi, poſſunt dici *oves*, adeòque nec *oves perditæ* ad quarum inſtaurationem Chriſtus miſſus. Et illi tantùm oves qui in terra audiunt & agnoſcunt vocem Chriſti, & in cœlo collocabuntur à dextris. 2. Dicuntur etiam electi & ex Judæis & ex Gentilibus oves, ſed cum hoc diſcrimine, ut (ratione primæ œconomiæ Euangelicæ, in qua Chriſtus *miniſtrum circumciſionis* egit, & Euangelium offerendum fuit *primò* Iudæis ex Dei beneplacito, & *potentia* fuit *ad ſalutem, primò Iudæo*) primò & explicitè deſignarentur electi colligendi ex Judæis, ſecundò verò & implicitè etiam electi colligendi ex gentilibus. 3. Repellere ſanè Chriſtus videtur fœminam iſtam ut gentilem, non Judæam, ſed primò habita ratione iſtius œconomiæ, ſecundùm quam quamdiu vixit in terris, debuit ſe continere intra fines gentis Judaicæ, & *miniſter* eſſe *circumciſionis*. Secundò eam non repellit perſeveranter, ſed ad tempus tantùm, imò non repellit, ſed loquitur tantùm inſtar repellentis, revera tentat eam potius, quàm repellit, & fidem ejus latentem cupit produci, quam etiam & elicit, & ſingulari elogio commendat. Hinc patet, quî Chriſtus opponat Judæos & gentiles inter ſe. 4. Quid etiam vel ἀθεόλογον magis, vel ἀντίγραφον, imò quid ipſi ſententiæ Animadverſoris magis adverſum, quàm dicere, *Chriſtum minimè promiſſum eſſe gentilibus?* Et tamen hoc docet p. 147. Quî ergo omnibus in univerſum promiſſus ſub conditione? *Annon nos gentiles*, ut loquitur paucis ante lineis, *ſalute privaremur, ut qui nullum haberemus Redemptorem?* Imò gentilibus major in Chriſto pars & fuit retrò, & hodieque eſt,

quàm

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

quàm Judæis. Si talia mihi excidiſſent, quæ non dicteria acuiſſet in me Animadverſoris ἀγχίνοια!

V. *Idem*, inquit, *manifeſtius adhuc evadere ex colloquio Chriſti cum ea*; ubi appellat Judæos *liberos*, *quia ſe Deus velut patrem populi Iudaici declaraverat, quum reliquas gentes neglexiſſe videretur. Illa verò reſpondeat*, etiam Domine, *& ſe cum catello conferat*. Illis dictis addit, ſe ex me *ſubmiſsè quærere, an exiſtimem, fœminam illam Chriſti verba intellexiſſe, vel non. Si non intellexit, mirum eſſe, ejus fidem adeò laudatam fuiſſe à Domino. Sin ea intellexit, errare me in eorum interpretatione.* Quid ita? *Haud enim certè*, inquit, *ſe inter catellos numerat, tanquam inter reprobos, ut quæ tantam fidem haberet. At quum ſciret, Iudæorum eam eſſe prærogativam, ut filii Dei cenſerentur, utque haberentur pro liberis. Gentilium verò talem fuiſſe conditionem hactenus, ut ſi cum Iudæis comparentur penè haberentur pro canibus, etſi gentilis erat, urſit tamen Chriſtum pertinaciter, & quod generi deerat, fidei magnitudine ſupplevit.* Obſervet Lector 1. Ne verbum quidem in toto iſto colloquio reperiri, quod vel cauſæ noſtræ officiat, vel cauſam Animadverſoris probet. 2. Intellexiſſe mulierem verba Chriſti, indubium, h. e. Judæos jamdiu velut liberos à Deo habitos, gentiles velut canes. Illos in fœdere Dei fuiſſe per multa ſecula ſolos, gentiles ab eo excluſos. Et hactenus illa ſe numerat inter catellos, quod eſſet ex ordine iſto gentilium quos Deus planè videbatur rejeciſſe: *Antecedenter* ergo ſe etiam catellum eſſe & *objectivè*, naturâ & origine ſua, etſi *conſequenter* Chriſti cognitione ſalutari & fide in eum donatam, & micis gratiæ Judæis conceſſæ ſaturandam. Ex catello *propriè* dicto, hoc eſt, animali *naturaliter* ovem fieri, natura prohibet, ex catello verò *impropriè* dicto, hoc eſt, gentili fieri filium Dei *myſticè* per gratiam electionis & vocationis, nihil prohibet. Imò omnes homines ſunt canes ex ſe, & per Dei duntaxat gratiam oves. *Excipiet* fortè, ſi catellus non ſignificet reprobum, oves non ſignificare electos, ex vi oppoſitionis. Confundit verò ea quæ à Chriſto hic oppoſita. Opponit ille non oves & catellos, ſed filios & catellos, hoc eſt, Judæos, quos habuit inſtar filiorum, omnes *externâ cooptatione* tenus, dignando eos notis ſui fœderis, & ejus appendicibus, & ſolos quidem, non gentiles, quos non ita habuit. Et ſenſus eſt: Judæi à Deo habiti ſunt ut filii, Gentiles reputati pro canibus. Ergò non eſt æquum, beneficium Judæis deputatum tibi vel filiæ tuæ, quia gentiles eſtis, conferre. Replicat Chananæa, ut canes micas interdùm etiam edunt, ſic ſe etſi gente catellum confidere, futurum, ut Chriſtus micas gratiæ etiam ſibi indulgeat. Quid verò inde? ut probetur *oves perditas Iſraëlis* non eſſe electos? quod rationibus variis à me demonſtratum. 3. Si iſta etiam Judæorum prærogativa fuit, ut in fœdere Dei cenſerentur, & haberen-

berentur pro liberis & ſoli quidem, gentilium verò conditio hactenus talis fuit, ut cum Judæis comparati penè haberentur pro canibus, an æqualis fuit Dei φιλανθρωπία in homines quà homines, an æqualis prædeſtinatio conditionata, vel æqualis miſericordia, æqualis Redemptio conditionata, & æqualis ſalutis ſub conditione præſentatio? 4. Quærimus reciprocè etiam ab Animadverſore ſolutionem hujus dilemmatis; Vel mulier iſta bene ſcivit, Judæorum eam eſſe prærogativam, ut fœdere Dei ſoli cenſerentur, vel non: Si bene ſcivit, gentilium hæc prærogativa non fuit, & fœdus gratiæ ad omnes & ſingulos extenſum non fuit. Si non bene ſcivit, quî fides ejus adeò magnificè laudatur? Et cur Chriſtus errorem ejus non correxit?

VI. *Quænam igitur*, addit Animadverſor, *eſt cauſa illa, ob quam Chriſtus negat ſe eſſe miſſum ad alios, quàm ad oves perditas domus Iſraëlis? Nimirum in Chriſto diſtinguenda eſſe, quod cum ſit ſalutis Auctor, fuerit idem ſalutis miniſter. Auctor omnibus tàm Gentilibus quàm Iudæis modò credant, miniſter verò fuerit ſalutis apud Iudæos tantùm. Ideò eum vocari* διάκονον τῆς περιτομῆς, *quo vocabulo denotentur non electi ſoli, ſed Iudaica natio univerſa, ob cauſam omnibus notam. Sic Paulum dicere ſibi* ἀκροβυστίας, *Petro* περιτομῆς *Euangelium conceſſum eſſe. Nec alio ſenſu* περιτομὴν *accipi, quando de hominibus uſurpatur. Miſſum ergo fuiſſe Chriſtum, ut miniſterio illo, quod tàm in prædicatione Euangelii, quàm in patratione miraculorum, per ſe obire debuit, defungeretur apud Iudæos ſolos. Non quod vetitum illi fuerit, nonnullos ex gentilibus vel vocare, vel juvare ac ſublevare extra ordinem, ſed illi hoc injunctum fuiſſe munus, ob promiſſiones factas Patriarchis, & prærogativas iſti nationi peculiariter indultas, ut ſe totum Iudæis impenderet. Eo peracto, & Chriſto in cœlum recepto, miniſterium illud Apoſtolis commiſſum eſſe, & ad omnes omninò nationes propagatum.* Concludit Animadverſor, *reliqua à me de ovibus Chriſti diſputata & rejecta eſſe alibi, à ſe, & ſua ſponte dilabi.* Haudquaquam verò 1. Eramus ita anxiè & prolixè inſtituendi in diſpenſationis iſtius quoad Judæos & Gentes diverſitate, quæ tyronibus noſtris obvia, & ſatis à nobis erat occupata in Exercitationibus. 2. Tantùm abeſt, ut ex diverſa iſta diſpenſatione Gratia Vniverſalis adſtruatur, ut evertatur firmiſſimè, quum Chriſtus apud Judæos ſolos voluerit eſſe miniſterium Euangelii. At communis gratia omnibus communiter erat ſaltem offerenda. Imò ipſe fatetur in Defenſione Calvini, nondum Euangelii cognitionem ad omnes nationes perveniſſe, imò *è triginta mundi partibus vix quinque à Chriſtianis teneri, novendecim ab illis occupari ad quos etiam nulla de Chriſto auditio hactenus permanavit*, & hoc eſt univerſalem Dei φιλανθρωπίαν adſtruere erga omnes, in ordine ad ſalutem præſertim quum fateri alibi cogatur diſtinctam Chriſti cognitionem in

Novo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

Novo Teſtamento ad ſalutem eſſe neceſſariam ! 3. Conferat cum iſtis ab Animadverſore hîc ſcripta Lector, quî Chriſtus verè ab eo dicatur fuiſſe *ſalutis auctor*, omnibus tam Judæis quàm Gentilibus, *modò credant*. An verò illis auctor ſalutis fuit, quibus nec ipſe, nec per ſervos ſuos in hunc uſque diem ſalutem illam & Euangelium iſtud voluit annuntiari? Quî itaque *auctor* talibus eſſe potuit *ſalutis, modò credant*, quum ne id quidem quod credendum eſt, illis vel propoſuerit, vel propoſitum voluerit? 4. Imò, ſi Chriſtus *ſalutis auctor* fuiſſet omnibus, ſalutem omnibus actu procuraſſet, & conditionem ad eam neceſſariam. Et ſi fuiſſet auctor ſalutis omnibus, fuiſſet etiam ejus τελειωτὴς, iſta enim conjunguntur ab Apoſtolo. Et mirum, illum auctorem ſalutis omnibus ſtatui, qui ne ſe quidem talem eſſe innumeris indicatum voluit. Annon etiam cum ludibrio conjunctum, Chriſtum auctorem iis eſſe ſalutis, ſub conditione ut faciant, quod ſcit eos facere non poſſe, invictâ, quæcunque illa ſit, impotentiâ? Imò quum pars ſalutis à Chriſto procuratæ ſit fides, vel donum fidei, auctor ſalutis innumeris fuit ſub conditione, ut partem ejus jam haberent? Quum enim miſeria hominis in ipſa incredulitate ex parte ſita ſit, ſalus in ejus etiam curatione ex parte ſita eſſe debet, adeòque quibus Chriſtus ſalutis auctor eſt, illis auctor etiam eſſe debet *ut credant*, non tantùm *ſi credant*. Et quî Chriſtus illis ſalutis auctor eſt, *quos nunquam ſe noviſſe teſtatur* & pro quibus ne orare quidem voluit? 5. Si Chriſtus etiam *ſalutis auctor* fuit tam Gentilibus quàm Judæis, *miniſter* verò apud Judæos tantùm, æquavit Judæos & Gentiles ſemper in eo quod præcipuum erat, & prærogativa Judæorum exigua fuit præ gentibus, nec dici potuit verè ab Apoſtolo, eas fuiſſe *extraneas à pactis promiſſionis, ſine ſpe, ſine Deo*, &c. Eph. 11, 12. Et quî toto decurſu periodi Teſtamenti veteris ſine apertâ falſitate *ſalutis auctor* gentilibus dici potuit, quos reliquit ſuis ipſorum viis incedere, & quos canum inſtar habere voluit? 6. Chriſtum dici *miniſtrum* περιτομῆς quoad nationem Judaicam univerſam, & negari poſſet, quum non totam Judæam circumiverit, ſed ejus partem tantùm, & quamvis concederetur, nihil nobis officeret. Diſtinguenda enim œconomia *miniſterii externi* Chriſti, quod reſpectu multorum, merè fuit *imperativum obſequii debiti*; Haudquaquam itaque eo fine obitum fuit reſpectu Judæorum omnium, ut omnes & ſinguli ſalvarentur, nec mors Chriſti plurimis è Judæis propoſita fuit, nedum ut λύτρον pro peccatis illorum fide ab omnibus & ſingulis excipiendum. Nunquam id dictum à Chriſto. Sed incipit ab exactione τοῦ μετανοεῖν cum Johanne, progreditur ad exactionem τοῦ πιστεύειν, ſed ſecundùm gradus à nobis expoſitos. Imò ſi vel pauciſſimi electi ex Judæis fuiſſent convertendi, quia Deus noluit ad ſe

trahere

trahere ſuos, in individuo unumquemque nomine ſuo compellando, ſed propoſitione communiore & *officii* & *beneficii* vocationem iſtam procurando, ideò id ita à Chriſto promiſcuè inſtitui debuit. Eadem methodo à Paulo prædicandum erat Euangelium Corinthi, *quia populus* Deo (electus nimirum) *multus erat in urbe iſta.* Act. XVIII, 18. & illius ſolius cauſa. Et ſanè ſi Solem ſuum in natura Deus lucere jubet propter juſtos, quidni magis Solem gratiæ? Et ipſe Animadverſor fatetur alibi, Deum non curaturum, ibi annuntiari Euangelium, ubi nulli eſſent electi. Sunt ergo illi ſoli objectum & centrum iſtius prædicationis, quoad intentionem Dei eos ſalvandi. 7. Chriſtus ſanè vocatur *miniſter* περιτομῆς in oppoſitione ad Gentes, quia talibus miniſterium ſuum non commodavit, non quod id omnibus & ſingulis Judæis commodarit. Idem obſervari poteſt in Petro & Paulo. Imò, an quia Paulus miniſter fuit ἀκροβυστίας, Petrus περιτομῆς, uterque fuit miniſter omnium & ſingulorum ex præputio & circumciſione, & omnibus ac ſingulis ex illis deſtinatus? 8. Et quia Chriſtus miſſus fuit ad Judæos ſolos dum fuit in terris, & intereà innumeri exſtincti fuere inter Gentiles, ſine ulla ejus cognitione iis *auctor ſalutis* miſſus non fuit. Vnius vel alterius ex Gentilibus curatio vel vocatio particularitatem oſtendit gratiæ, non univerſalitatem. Idem docent promiſſiones factæ Patriarchis, & prærogativæ iſti nationi indultæ peculiariter, & quod ſe Chriſtus Judæis tantùm impendere debuit, & quod non niſi poſt aſcenſum ejus in cœlum Euangelium erat propagandum ad Gentes. 9. Conciliet etiam Lector iſta, *miniſterium Apoſtolis commiſſum ad omnes omninò nationes propagatum eſſe*, & verba alia Animadverſoris, Cap. XII. Def. Calv. *arcanâ Dei providentiâ fieri, ut nondum Euangelii cognitio, ad omnes nationes pervenerit, & eſſe ad quos nulla de eo auditio hactenus permanârit, & quorum numerus permagnus ſit.* 10. Nihil verò magnificentius & compendioſius iſtâ confutatione, *reliqua rejecta eſſe alibi à ſe, & ſponte ſua dilabi.* Sic ἀνιδρωτὶ vincitur, ſic λόγους ἑρμόδωρος ἐμπορεύεται. Judicet Lector ex collatione ſcriptorum noſtrorum denuò de utriuſque in diſputando fide & conſcientia, & de magnificis Animadverſoris triumphis.

CA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

CAPVT VI.

Vindiciæ Locorum Matth. I, 21. Luc. I, 68, 69. Johan. x, 11, 15. & Johan. xi, 51, 52. Epheſ. v, 28. Tit. II, 14. *An iis deſignetur, redemptionem Chriſti particularem eſſe, an verò univerſalem?*

BREVIARIVM Capitis ſexti.

Reſponſa à Diſſertatore. Eorum confutatio. Confutatorum mera repetitio. Abſurda nova Methodi. An electis opus φιλανθρωπίᾳ communi. Fuga Animadverſoris & mala fides. Calvini verba fruſtra prolixè ventilata. Animadverſoris verba meritò caſtigata. Quem populum Chriſtus ſervet. Calvini verba vindicata. Quî Chriſtus fuerit promiſſus univerſo ſemini Abrahæ. An ex eo probetur gratia univerſalis. Inanis Chriſti deſtinatio ad ſalutem reſpectu non electorum. Accuſatio injuſta, abſterſa. Quî aliquis gaudio ad ſe non pertinente privari dicatur. Calvini verba an tanto apparatu urgenda & premenda. Finis falſus affictus dogmati falſo. Abſurda varia miſericordiam Deo affictam conſequentia. An Deus aliquid intendere poſſit, quod non aſſequatur. Aliæ Calvini verba vindicata. An gaudium omnibus deſtinatum fuerit. Gloſſa Animadverſoris retuſa. Verba Calvini retorta. Nomenclatio totius generis humani expoſita. Emblemata Animadverſoris. Crimen Theologis Orthodoxis impactum. Declinatio objectorum.

I. ADduxeram loca iſta Theſi XI. ut demonſtrarem redemptionem ipſam à Chriſto præſtitam particularem fuiſſe. Reſpondit frigidè admodùm & dilutè Animadverſor, opponendo nobis. 1. Calvini commentationes. 2. Locum Pauli II Tim. IV, 10. 3. Argutationes aliquot ſuper locis quibuſdam. Reſponſum à nobis in Exercitationibus ad ſingula exactè, Calvini verba vindicata, locus II Tim. IV, 10. accuratè expoſitus & vindicatus, & argutationes omnes diſcuſſæ κατὰ πόδα. An ſolidè id à me præſtitum, judicet Lector ex collatione eorum, quæ utrinque à nobis diſputata. Mea reperiet, à p. 798. ad p. 848.

II. Quid ad iſta Animadverſor? p. 149. *ſe loca Scripturæ à me allegata breviſſimâ reſponſione ſic explicaſſe,* inquit, *ut eorum interpretatio, & argumentorum inde ductorum refutatio in nuda doctrinæ ſuæ propoſitione conſiſteret. Redemptionem* nimirum *dupliciter conſiderari debere,* ut *refertur ad* φιλανθρωπίαν *Dei communem, & ſic univerſalem* eſſe *& conditionatam & ut refertur ad utrumque Dei affectum conjunctè,* & ſic *particularem* eſſe & *abſolutam.* Ad *poſteriorem hujus œconomiæ partem eſſe referenda loca* Johannis x, 11, 15. xi,

51, 52. Eph. v, 25. Tit. II, 14. *ſe non negare, Chriſtum abſolutè & efficaciter pro ovibus ſuis vitam depoſuiſſe, non ſequi tamen mortem Chriſti pro cæteris oppetitam non eſſe conditionatè, ſi credant. Reliqua loca ſe interpretatum de gente Iudæorum univerſa.*

II. Præterita diverſitate aliqua, quæ inter Diſſertationem priorem & novam hanc commentationem intercedit. 1. Quid putidius, quàm denuo confutata opponere pro reſponſione ad argumenta illis oppoſita? Nec *ignoratio Elenchi* prætendi poteſt, quum illam ipſam univerſalem & conditionatam redemptionem directè oppugnarim. 2. Vniverſalem iſtam φιλανθρωπίαν ad ſalutem ex ſenſu Animadverſoris Chimæram χθὲς καὶ πρώην confictam eſſe, oſtenſum. Nec quicquam abſurdius quàm φιλανθρωπίᾳ communi Deum ſub conditione omnibus ſalutem velle & offerre in tempore, quum tamen ob præviſam eorum incredulitatem voluerit eos ab æterno & præterire, & inevitabiliter damnari in qua ipſa eos naſci voluit. Adde, ſic Deum ſtatui primò electis ex φιλανθρωπίᾳ communi ſalutem voluiſſe, & tamen poſt illam ipſam iis velle amore ſingulari. At annon hoc ultimum ſufficiebat ad ſalutem illis procurandam? Quid opus erat iſtâ communi φιλανθρωπίᾳ electis ſaltem? 3. Loca omnia Scripturæ excuſſa à nobis & erepta fuere Diſſertatori. 4. Oſtenſum, Chriſtum mortuum *ut credant* homines, non, *ſi credant*.

III. Declinat verò in ſequentibus examen plerorumque Animadverſor cauſatus prolixitatem & repetitiones. Scilicet, nihil prudentius quàm ita ἐκκλίνειν, & ſe Adverſarii contemptu expedire! Oſtendendum verò fuerat, à me vel dicta vel repetita ad rem non facere. Addit tamen, in uno vel altero *paulò diligentius* videndum eſſe quo ſucceſſu mea defendam. An verò ingenui diſputatoris eſt, ea quæ ipſi placet prætermittere, & alia pro arbitrio edecumare, & tamen integram confutationem polliceri, interea verò ſplendidos pæanas ſibi occinere de toto opere Adverſarii triumphato? Haudquaquam verò vel prolixitas, vel repetitiones, quæ duo ſibi perquam familiaria eſſe novit, ſed deſperatio id quod intendit, conficiendi Animadverſorem eò redegit, quod ex collatione ſingulorum Lectori conſtabit? Quid verò præſtat in reliquis? Vnam *Calvini* commentationem per quatuor paginas ventilat, rationibus & oppoſitionibus omnibus aliis à me objectis prætermiſſis. Eſtne hoc denuo diſputatoris ingenui & qui accurationem profitetur? An agitur de verbis iis, quæ Calvinus ad Scripturam commentatus eſt, & non potiùs de verbis ipſis Scripturæ, ad quæ commentatus eſt? Dato, quod falſum, Calvini interpretationem favere Animadverſori, an ob id vel Scriptura mihi extorta, vel rationes aliæ meæ confutatæ? Albæ ſanè quadrigæ triumphatori

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

phatori iſti Exercitationum noſtrarum debentur, qui tam ſplendidè vincere novit. Et ne plauſus deſit, ipſe ſibi plaudit, & in propriis armis ἀκκίζεται.

IV. Quæ verò ſunt quæ commentatur? 1. Se Calvini verba non ἀνυπόδεικτα cenſere, cur ergo iis & ſolis ſæpè cauſam noſtram vult decidi. Quid obeſt cauſæ noſtræ, ſi in aliquibus Summus vir populariter commentando incautiùs fuiſſet loquutus? Nec ipſi, nec nobis ob id quidquam detractum foret. Nec ex phraſium aliquot ſimilium *ſono*, *ſenſus* idem, & ὁμόνοια dogmatica inter Calvinum & Animadverſorem concludi deberet, præſertim quum tot loca alia Calvini contraria ei oggeri poſſint. 2. Meritò à me verba ſua caſtigata negare nequit, & aliter ſibi loquendum fuiſſe, multum enim intereſt inter *rem aliquam eſſe* & huic vel illi *ſic viſam eſſe*. 3. Carpit, quod *nominatim* dixi ſignificare *expreſſè*; An malè id à me dictum? Annon oſtenſum, ſic correlatum Servatoris iſtius exponi, & qui ſint illi, qui ab illo ſint ſervandi? Nec, ſi quis *nominatim* vocetur Dux hujus exercitus, vel Profeſſor hujus Academiæ, ſequitur, illum aliquo modo aliorum exercituum Ducem, iſtum aliarum Academiarum profeſſorem eſſe. Nec etiam ſequitur, ſi verba *ſervabit populum ſuum* de ſolis intellectis intelligenda eſſent, nihil attinuiſſe dicere, Chriſtum *expreſſè* vocari *ſervatorem Eccleſiæ*. Imò quia ſolam Eccleſiam ſervat, id meritò dici debebat. Quî etiam *quadantenus* aliorum Servator Chriſtus dici poſſit, ſine ullo cauſæ noſtræ præjudicio, ſatis à me demonſtratum, ut & quis *populus* ſit intelligendus. An verò ſic reſpondere, eſt reſpondere ad objecta?

V. Verba quædam Calvini aggreditur, quaſi in iis cauſæ momentum verteretur, & multa ſuper iis argutatur, quæ tamen nec ipſa nos feriunt. Compendio obſervet Lector. 1. Illos à Calvino intelligi, *quibus Chriſtus in caput & Regem* ordinatus erat. At tales non ſunt, niſi qui vel verè membra, vel verè ſubditi ejus ſunt, & *populus* ejus *voluntarius* Pſal. CX, 3. Et quia tales ſunt ſimiles iis, qui ex Gentibus fide in unum Eccleſiæ corpus coaleſcunt, fideles tantùm intelligendi, adeòque electi. Adde, inſertionem gentium & futuram, & certo tempore demum inſtituendam univerſalitatem ipſam gratiæ evertere. 2. Quæ ſit mens Calvini, & quî gaudium promiſcuè oblatum ſit omnibus, oſtenſum in Exercitationibus. 3. Vniverſo ſemini Abrahæ Chriſtus promiſſus dici poteſt, ſpirituali nimirum, cum intentione id ſalvandi, carnali, quoad externam exhibitionem, & cum intentione beneficia multa multis ex iſto ordine per eum conferendi. Promiſſionem verò ſalutis in Chriſto, vel Chriſti ad ſalutem factam univerſo ſemini Abrahæ, quoad ſingula individua, Calvinus intelligere

non potuit, quippe qui ſatis docet, eam nec Iſmaëli eſſe factam, nec Eſavo. 4. Meritò etiam dictum, univerſalem gratiam non probari, quamvis concedatur, Chriſtum deſtinatum *univerſo ſemini Abrahæ, etiam collectivè*, quod tamen falſum. An ſufficit, excipere, de cæteris mortalibus quæſtionem hîc non eſſe, imò id eſt τὸ κρινόμενον inter nos, an omnibus & ſingulis hominibus ſit deſtinatus Redemptor? Argumentationes itaque quæ hoc non probant, nullius ſunt commatis ad probandum dogma de Gratia Vniverſali. Mera itaque hîc eſt fuga & declinatio ſtatus Controverſiæ. At, inquit, *ſufficit ad ſententiæ noſtræ deciſionem, Chriſtum ſingulis Iudæis deſtinatum fuiſſe, adeòque & deſtinatum pluribus non electis*. At id non ſufficit ad univerſalem gratiam probandam, præterquam quod ſupponitur iſta deſtinatio, non probatur, quam tamen nec dari, à nobis demonſtratum, nec ipſe reponere debet, quippe quæ inanis foret reſpectu omnium illorum, qui non magis credere potuere, quàm ſe eligere ipſi. Id verò vitium omnium & ſingulorum non electorum. Nec deſtinatio conditionata fingi poteſt, quin in ea recurrat conditio cum conditionato. 4. Falſum ſupponit, duas reſponſiones à me datas *ſeſe mutuò convellere*. At iſtæ reſponſiones non conjunctim ſumendæ, ſed alterutra præeligenda. An qui per ἄρνησιν & συγχώρησιν reſpondet Adverſario, ille reſponſiones proponit ſe mutuò convellentes? Imò tantam cauſæ bonæ fiduciam habet, ut variis modis evertere poſſit argumentum ſibi propoſitum, & undique ipſi tela ſuppetant conficiendo hoſti. Et ſatis, unam ex reſponſionibus illis adoptari. 4. Quaſi etiam *gaudio ad ſe non pertinente privari* non dicatur ille, quando id ad ſe pertinere ſæpe ex externis indiciis vel ipſe judicat, vel id ad ipſum pertinere judicant alii. Sic ſæpe gaudio velut ad ſe pertinente privari dicitur, qui tempore honorum ſibi, ex multorum opinione, conferendorum, vel divitiarum quæ ipſi obtingere debent, ex opima hæreditate præſumpta, abripitur. 5. Per *invitationem* etiam *communem* Calvinus intelligere non potuit *univerſalem*, ut quæ nunquam obtigit hactenus omnibus & ſingulis, nec obtingit hodieque. Sic intellexiſſe non potuit gratiam (nimirum Euangelii de qua ſermo) *peræquè* omnibus expoſitam eſſe. Id enim tum planè repugnat omnium temporum œconomiæ, tum omnibus quæ Calvinus de prædeſtinatione & œconomia Dei docet diſertè plurimis in locis aliis. Non debet ergo Animadverſor ita interpretari verba Calvini, ut eum committat cum ſeipſo, ſed potiùs ut ab eo dicta inter ſe amicè conſpirent, quod nonniſi tum demum fieri poterit, ſi univerſalitatem illam gratiæ amoliatur. Nec τὸ *peræquè* vexandum. Nec quam cenſuram ſtrinxere in Animadverſorem laudatiſſimæ Synodi,
illa

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

illa (quod venerandos iſtos conventus obliquè ſuggillando addit) Calvinum tangit, quippe qui ante recoctam & interpolatam controverſiam ſemi-Pelagianam vixit & ſcripſit, & à ſe dicta alicubi liberiùs, alibi reſtringit. 6. Adde, ſuper gratiæ expoſitione vel oblatione, & finibus intentis à Deo offerente varias diſtinctiones adhiberi poſſe, & verba Calvini ſatis ſuperque vindicari. Sed ſupervacuum ſe hîc diffundere, ne Adverſariis occaſionem ſcandali objiciamus, quod revera *Calviniani* ſimus, ut qui ſuper verbis ejus ita litigemus anxiè. Et nihil injuſtius, vel Religioni Orthodoxæ contumelioſius, vel Adverſariorum cavillis opportunius, quàm pro reſponſionibus ad argumenta, ſolas Calvini, utut Summi Viri, commentationes identidem objicere, & dicta quædam ejus exegetica raptare, truncare, & interpretari pro arbitrio, & ſic occaſionem dare Adverſariis, Sanctiſſimi Viri Scripta varia ſecum committendi, & ſuper iis cavillandi.

VI. Vnicam verò duntaxat p. 152. aggreditur rationem à me propoſitam, cur non cenſuerim, Calvinum intellexiſſe, gaudium ad non electos pertinuiſſe ex deſtinatione Dei, aliàs enim Calvinum crediturum fuiſſe, deſtinationem vel decretum Dei eventu ſuo deſtitui, & inane eſſe poſſe. Quid opponit? I. Calvinum *diſertiſſimè* id dixiſſe. At non de *ſono* verborum, ſed de eorum *ſenſu*, & mente Calvini agendum. II. Inquit, *illius deſtinationem eventu ſuo deſtitui, qui non aſſequitur eam rem quam præcipuè intendit: Deum verò hunc præcipuè finem habuiſſe ante oculos, cùm gaudium iſtud omnibus & ſingulis deſtinavit, ut & eſſet & agnoſceretur ab hominibus & Angelis ſummopere miſericors. Id verò non impedire multorum ingratitudinem & incredulitatem.* Si Calvinus ita reſpondeat, me ne *hiſcere* quidem vel *mutire* poſſe. At quid putidum magis iſtâ exceptione? Nam I. Statuere, Deum in deſtinatione iſta univerſali hunc finem habuiſſe præcipuè, imò habuiſſe, eſt petere τὸ ἐν ἀρχῇ. 2. Denuo reponit deſtinationem univerſalem conditionatam, quam liberaliter pro reſponſione affingit Calvino. 3. Nihil minus *Deum ſummopere miſericordem facit* quàm ridicula iſta doctrina de deſtinatione univerſali ſalutis ad omnes, ſub conditione quam deſtinans novit nec præſtandam, nec præſtari poſſe, & quæ ne præſtaretur, vel præſtari poſſet, ſuo decreto interceſſit, & cujus præſtandæ gratiam ipſi largiri proclive admodum foret, quam tamen innumeris abſolutè denegatam voluit. An ſummè miſericors inter homines, imò annon illuſor & deceptor ſtatueretur ille, qui ſe hac miſericordiâ miſericordem jactaret? Scilicet iſta miſericordia apprimè commendanda reſpectu illorum, qui inter primos vagitus inter Tupinamboultios ſublati fuere, & quos Deus parentum vel ſtupidorum vel impiorum *appendices*

eſſe voluit! Si dicendum quod res eſt, imaginaria illa miſericordia conditionalis ſumma eſt ἀποτομία, & voluntas ſevera omnes damnandi, quibus Deus conditionis gratiam nec facit, nec facere vult. 4. Abſurdum etiam, Deum vel minimum quid intendere, quod non aſſequitur, quod tamen Theologia Animadverſoris ponit.

VII. Alia quædam Calvini citat etiam Animadverſor, ſed ipſi magis quàm mihi adverſa, quum de *Communi* tantùm *invitatione* ſermo ſit, & quidem de invitatione per Euangelium, quam ipſe Animadverſor non *ſine inſania* univerſalem ſtatui poſſe faſſus fuit. Adde, Calvinum ipſum fateri, gaudium hoc inter paucos incluſum fuiſſe. Si *de eventu* ſermonem eſſe excipiat Animadverſor; An quæſo *non electis* gaudium iſtud deſtinatum fuit, vel non? Si prius, illis obtigiſſet, vel Deus ſuo fine excidiſſet. Nec *conditionata deſtinatio*, ut oſtenſum, fingi poteſt ſine graviſſimis abſurdis. Si poſterius, deſtinatio ipſa paucorum fuit. 5. *Commune* vocari à Calvino *gaudium* iſtud *Dei reſpectu*, hoc eſt, *ex illius miſericordi deſtinatione*, & τὸ ἐν ἀρχῇ implicat, & deſtinationes inanes Deo affingit rerum non ſolùm non futurarum, ſed etiam quæ fieri non poſſunt, ex ipſius Dei decreto. 6. Eo ipſo, κατὰ τὸ βίαιον, quia Calvinus inquit, etſi de *electo* tantùm *populo* Angelus loquatur, *nunc tamen dirutâ maceriâ ad totum genus humanum ſpectare eandem legationem*, univerſalis Gratia evertitur, quia *nunc* demum ad alios ſpectat quàm ad Judæos, nimirum inde ab œconomia N. Teſtamenti, per quam maceria diruta eſt. Si prius, ad totum hominum genus ſpectavit eadem legatio, quî fit, quod Angelus eam ad unum tantùm *populum electum* reſtrinxit, ut Calvinus docet? Nec phraſis, *totum genus humanum*, favet Animadverſori ullo modo, tum quia opponitur tantùm œconomia Novi Teſtamenti œconomiæ Teſtamenti veteris, legatio apud quoſvis promiſcuè obeunda legationi obitæ apud unum tantùm populum: Tum quia ipſe Animadverſor, ut ſupra vidimus, fateri cogitur, legationem illam Euangelii, de qua Calvinus loquitur, nunquam ad hodiernum uſque diem ad totum genus humanum *Collectivè* ſumptum perveniſſe. 7. Adde, quamvis ratione *externæ cooptationis* in fœdus totus populus Iudaicus intelligi poſſet, cui ea promiſcuè adminiſtrata fuerunt, in quibus erant typi Meſſiæ (utut non omnibus & ſingulis ex illis deſtinati) nunquam tamen poſſet intelligi totum genus humanum *Collectivè*, quia nunquam in formam aliquam communem Religionis coaluit, ut populus Iudaicus, nec legatio illa, ut oſtenſum, unquam ad id pervenit. 8. *Toto genere humano collectivè ſumpto* omnes & ſingulos non electos etiam comprehendi nemo negat. At, eo ſumpto *diſtributivè*, omnes & ſingulos comprehendi, falſum. An, quia *omnis caro viſura* dicitur *ſalutare*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

tare Dei, & *Spiritus Dei ſuper eam effundendus*, ſequitur, vel reprobos etiam viſuros ſalutare Dei, vel Spiritum Dei ſuper eos effundi debere. 2. De *populi electi* nomenclatione non litigabimus. Quis noſtrûm *vitilitigationes* multiplicet, judicabit Lector, ut & quis noſtrûm *cum larvis luctetur*. Iſta emblemata ſunt lenitatis Animadverſoris. 9. Id ſeriò obſervandum, confidenter ab eo addi, *unâ ſe veritate moveri*, quod ſanè quàm optimè reſpondet querelis, quas aliàs emiſit, *& quid fiet de honore meo?* Si *Chriſti* etiam *cauſa hoc poſtulat*: Ergo Chriſti cauſam ſuſtinet ſolus cum paucis Myſtis, & tota Eccleſia Orthodoxa eam impugnat, vel ſaltem eam nec habet, nec fovet, ſed ſoli novitiæ iſtius Theologiæ Myſtæ. Hæc eſt iſta quam exhibet integris Synodis & Eccleſiis ac Academiis, à quibus ſua dogmata damnata novit reverentia, ut graviſſimos Dei ſervos velut capitales gratiæ Chriſti inimicos traducat, quo crimine nullum poteſt eſſe atrocius. Interea ex collatione noſtrorum Lectori conſtabit, pleraque à me Animadverſori oppoſita in Exercitationibus ne attingi quidem ab eo, nedum confutari.

CAPVT VII.

Vindiciæ loci ex Pſal. CXLVIII. *An eo univerſalis gratia convellatur?*

BREVIARIVM Capitis ſeptimi.

Confeſſio Animadverſoris de conſenſu Orthodoxorum ſuper hoc loco. Exceptio ejus expenſa. Declinatio illius, quod eſt in quæſtione. An revelatio hîc conſideretur ſecundùm efficacitatis ſpiritus conjunctionem, vel non. Quæ ſit revelatio indulta gentibus. Falſa accuſatio abſterſa. Compendioſa Animadverſoris reſponſio. Inanis jactantia. Digreſſio ad non neceſſaria. De qua revelatione agat Pſaltes. Diſtinctio Animadverſoris expenſa. Cujus vitæ promiſſio adjuncta fuerit fœderi legali. An moralia præcepta omnia hauriri potuerint ex intuitu naturæ rerum. An Deus voluerit obtingere omnibus eandem revelationem cum Iudæis. Gratiam objectivam neceſſariam non habuiſſe gentiles. Contradictio Animadverſoris. An gentiles potuerint deprehendere id, quod in Lege præcipuum fuit. Attentio gentilium inanis. Contradictio Animadverſoris, & conceſſio cauſæ ipſius adverſa. Quî œconomia legalis & populo Dei propoſita fuerit & conſideranda. An revelatio, de qua Pſaltes, primordia tantùm Euangelii habuerit. Quæ præcipuè in œconomia legali fuerint contenta. OEconomia legalis ſtrictè ſumpta non proponit invitationem ad pœnitentiam. Quale objectum iſtius pœnitentiæ. Qualis declaratio miſericordiæ Dei propoſita fuerit in œconomia legali. Gratia reſipiſcentiæ præcipua promiſſio. An œconomia legalis obſcuram tantùm Chriſti revelationem propoſuerit. Revelatio Iudæis & gentilibus eadem indulta ſecundùm Animadverſorem. Dilemma de neceſſitate cognitionis Meſſiæ. Annon detur invitatio ad pœnitentiam ſine ſpe etiam veniæ. Abſurda varia notata. Fundamentum invitationis ad pœnitentiam. Confeſſio Anim-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

Animadverſoris retorta. Gratiæ objectivæ particularitas. Prærogativa externæ revelationis quibus communis fuerit. Quî pertinuerit ad ſalutem. Quî ſpectarit ad electos, & non electos ſimul. An oſtenſio viæ ad ſalutem ſufficiat. Illatio inconſequens ad gratiam univerſalem objectivam. Res ab Animadverſore confuſa cum fine ſuo. Ab eodem confuſa revelatio indulta Iudæis & gentibus. Animadverſor commiſſus cum Pſalte. Diſcrimen inter Iudæos & gentiles non electos. Ignoratio elenchi notata. Quî Deus voluerit omnes Iudæos ſe convertere. An Deus dici debeat aliquam cogitationem ſuſcipere de aliquorum ſalute. Status quæſtionis mutatus ab Animadverſore. An nulli fines revelationis præter inexcuſabilitatem reſpectu non electorum. Quid intelligendum per vim & efficacitatem ſpiritus. Evaſio Animadverſoris obſtructa. Vertigo Animadverſoris. Verba ejus expenſa & retorta. Aſſertio ejuſdem oppoſita ſententiæ de gratia univerſali. Gratiam objectivam neceſſariam non fuiſſe ἐν τῷ γνωστῷ propoſitam, probatur. Abſurda varia impacta ſententiæ oppoſitæ. An Providentiæ Dei efficacitas circa ſecundam tabulam ſalutaris eſſe poſſit ſine efficacitate circa primam. Deum noluiſſe omnes ſalvari, probatum ex verbis Animadverſoris. Veri Numinis ignoratio inter Paganos. An ſufficiat ſcire, numen eſſe placabile. An religiones gentilium ſpectârint remiſſionem peccatorum. An Deus gentiles ſibi relictos ſalvari voluerit. An illi etiam ſalvari potuerint. An efficacitas Dei erga Iudæos non electos illis potuerit eſſe ſalutaris. Gratia ipſa ſubjectiva multis non data ad ſalutem, ſecundùm Animadverſorem. Idem illatum de objectiva. An Iudæorum zelus contra Chriſtum fuerit ab efficacitate Spiritus Dei. Aſſertio abſurda. Qualis fuerit zelus ille, & quæ ejus cauſa. Nullum diſcrimen inter Gentiles & Iudæos ab ipſo Animadverſore relictum. Deum noluiſſe ſalvari gentiles multos, ex Animadverſore probatum. Ἀπαγωγαὶ meræ Animadverſoris. Inanis dictorum repetitio, & ἀπαγωγή. Verba Animadverſoris retorta. Gratiæ objectivæ neceſſariæ univerſalitas everſa. Incitamenta pietatis multis planè negata. Diſcrimen reale inter revelationem Iudæis & gentibus indultam à quo noſtrûm ponatur, ex mente Pſaltis.

I. NObilis hic locus à nobis in Theſibus propoſitus, ab Animadverſore in Diſputatione obiter admodum & jejunè vindicatus, & in Exercitationibus noſtris ſumma accuratione pertractatus fuit. Quorum omnium collationem ut inſtituat Lector veritatis ſtudioſus, omni opere peto. Repetitioni etiam & ἀνακεφαλαιώσει dictorum à nobis ſuperſedeo, operæ compendifaciendæ.

II. Quid hîc etiam ad noſtra Animadverſor? A p. 153. ad 159. prolixè hunc locum vindicaſſe videri vult: Sed nihil minùs agit quàm quod maximè agere videtur. 1. Fateri cogitur, *omnium penè qui doctrinam de gratia univerſali impugnarunt, communem ex hoc loco argumentationem fuiſſe:* Meritò itaque ea à nobis poſt tot præſtantes viros adhibita: nec enim dedecori nobis ducimus aliorum potiùs veſtigia, & tuta quidem ſequi, quàm ἀεροβατεῖν, vel præire aliis ad præcipitium. Illi ſanè, quos doctrinam iſtam oppugnaſſe obſervat, fuere Theologi Orthodoxi omnes: illi verò qui gratiam univerſalem propugnarunt vel ſemi-Pelagiani veteres fuere, vel Remonſtrantes & Heterodoxi alii. 2. Fateri cogitur, *optimè*

à me

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

à me obſervatum, ibi σύγκρισιν vel ἀντίθεσιν inſtitui, non *modi* & *modi*, ſed *rei* & *rei*, ne reſponderet quiſquam, *jura* quidem & *ſtatuta* divina revelata fuiſſe cæteris gentibus, ſed non *ſic*, hoc eſt, non æquè clarè vel diſtinctè, ſed longè obſcuriùs. Si verò id optimè à me obſervatum, peſſimè ab Animadverſore illud ipſum gloſſema re ipſa defenditur, ut qui illa ipſa pleraque *quoad rem* per τὸ γνωςὸν τȢ͂ ΘεȢ͂ in natura revelata contendit, quæ Dei populo in Scriptura revelata fuere, quamvis obſcuriùs, ut demonſtratum: retro, & demonſtrandum ulteriùs, utut in ſequentibus, invidiæ declinandæ, id verbotenus negare videatur. 3. Addit: *Revera Pſaltem Iudæorum prærogativam non conſtituere ſolùm in uberiore aliqua copia cognitionis, quæ gradu tantùm diſtaret ab ea quæ obtigerat gentibus, ſed etiam quæ re ac ſpecie differret; Revelationem verò quæ Iudæis obtigit, comitem habuiſſe aliquam efficacitatem ſpiritus, unde factum eſt, ut Dei jura & ſtatuta re ipſa noverint. Revelationem verò quæ gentibus indulta eſt, quæcumque tandem fuerit, ea efficacitate caruiſſe, & propterea Dei jura & ſtatuta non noviſſe.* Iſtam verò exceptionem hîc nudè repetitam, *non ſugillatam*, ſed confutatam penitùs, & meritò quidem, à me videbit Lector, Exercit. pag. 1201, &c. Nec à me ibi diſputatis quidquam adjicere neceſſe. Obſervetur tantùm ad majorem elucidationem. 1. Apertè mutari ſtatum quæſtionis ab Animadverſore. Quæſtio nobis eſt de *objectiva gratia*, an eadem quoad *rem* & *ſpeciem* fuerit propoſita ſecundùm Pſaltem Iudæis & Gentibus, vel non. Hoc vel affirmandum erat Animadverſori, vel negandum: Si id affirmet, in Remonſtrantium & aliorum apertè heterodoxorum caſtra concedet, & id *optimè à me obſervatum.* Sin id neget, res nobis confecta eſt, *gratiam objectivam* quæ Iudæis indulta fuit, haudquaquam indultam fuiſſe gentibus, revelationem nimirum fœderis gratiæ, & modi eo & beneficiis ejus potiundi. Quid hîc ille? Ictum iſtum declinat, & confugit ad *gratiam ſubjectivam*, de qua hîc non agitur, nimirum, revelationem quæ Judæis obtigerat *comitem habuiſſe aliquam efficacitatem ſpiritus, indultam gentibus ea efficacitate caruiſſe.* At ea efficacitas pertinet apertè ad *gratiam ſubjectivam*, adeòque peccatur *ignoratione elenchi*, nec reſpondetur ad rem. Nec enim de revelationis illius efficacitate hîc quæritur, ſe de revelatione ipſa; an res eadem revelata fuerit Iudæis & gentibus, vel non. 2. Adde, objectum ipſum non mutari, ſive inſinuetur menti hujus vel illius, ſive non, idem verum verbi gratiâ, ſe in mentem hujus hominis inſinuat, non alterius; Idem tamen manet in ſe. Sic idem verbum Euangelii à Paulo prædicatum comitem habet efficacitatem ſpiritus reſpectu Lydiæ, non reſpectu multorum aliorum Pauli auditorum, idem tamen ſemper erat verbum. Idem lumen ſe ingerit oculis videntis, & eos apertos habentis, non ſe in-

M gerit

gerit eos claudentis vel clauſos habentis. Idem tamen ſemper lumen eſt. Eadem itaque vocantur jura & ſtatuta, ſive reipſa agnoſcantur, ſive non nec inde mutatur ſpecies. 3. Adde, ſi *efficacitatem ſpiritus* reſpicias, ea plurimos ex Iudæis deſtitutos fuiſſe æquè ac Gentiles, & ſic in eo nullum inter utroſque poterit inſtitui diſcrimen. Imò vel *theorica* cognitio jurium & ſtatutorum Dei intelligitur, vel *practica.* Si *theorica*, ſine efficacitate ſpiritus haberi potuit, & à multis actu habita fuit: ſi *practica,* nec communis fuit plurimis inter Iudæos, nec de ea agitur, ſed tantùm de revelatione *objectiva.* 4. Si revelatio quæ gentibus indulta fuit, eâ efficacitate Spiritus Dei caruit, & *propterea* illæ Dei jura ac ſtatuta non novere, & neceſſariò quidem, an Deus illos ſalvos voluit, quibus efficacitatem illam, vel revelationem, quæ comitem haberet iſtam efficacitatem, largiri noluit? 5. Cur etiam, inquit Animadverſor, *quæcunque tandem fuerit revelatio indulta gentibus?* Imò de eo ipſi ambigendum non erat, ſi enim *ſecundùm ſpeciem* eadem eſt cum revelatione indulta Dei populo, & idem fœdus gratiæ, & idem ejus fundamentum, Meſſias nimirum cum officiis & beneficiis ſuis gentibus revelari debuere; ſin revelatio gentibus indulta, talis non ſit, ſalutaris eſſe non potuit ne in genere quidem objecti.

III. Addit Animadverſor, *me vehementer pertendere nihil omnino revelatum fuiſſe gentibus.* Adeat quæſo Lector Exercitationes meas, & fiduciam hominis mirabitur, qui hoc abſolutè aſſerere auſit! Annon id *reſtrictè* duntaxat nego de iis quæ revelata fuere Iſraëlitis per verbum, & quæ in eo ſolo habentur? Annon revelationem per τὸ γνωστὸν largior gentibus, quamvis haudquaquam largiar, vel fœderis gratiæ, vel Meſſiæ revelationem indultam iis fuiſſe in Teſtamento Veteri. Quî verò ille reſpondet rationibus meis? Convitio & contemptu, *rationes meas eſſe velut umbras volitantes.* Sic compendio illæ denuo everſæ. Nihil reſtat niſi ut à me exigat vetus illud, αἶρε δάκτυλον. At rationes meas tales eſſe probandum erat tam accurato diſputatori. *Facturum* tamen *ſe* ſperat, ut *eâ argumentatione amplius non utar.* Id verò nec hîc effecit, nec efficiet unquam, nec eum id à me debere impetrare argumentationibus ſuis, faxo conſtet Lectori.

IV. Videndum hîc eſſe ait I. Quid *utriſque revelatum ſit, quid non.* II. *Quomodo conſiderandi ſint ii quibus revelatio facta eſt.* III. *Quæ res revelationem illam comitata ſit.* IV. *Qui ſit eventus ex eo conſequutus.* At primum tantùm hic inter nos controverſum, qui de gratia *objectiva* diſputamus, non *ſubjectiva,* ad quam reliqua capita pertinent. Videamus tamen ſyrma ratiocinationum Doctoris *Reſoluti. Ad primum quod attinet*, inquit, *revelatio Iudæis facta bifariam conſiderari debet, nimirum vel quà ſpectabat ad fœdus*

legale

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

legale præciſè, vel quà habebat ſemina Euangelii conjuncta. Fœdus legale quidem, inquit, *ut nihil de ejus promiſſione dicat, officium exegiſſe triplici genere præceptorum conſtans, moralium, ceremonialium, & judicialium. Moralia præcepta hauriri potuiſſe ex intuitu naturæ rerum, ſi ad eam homines ſatis attenti fuiſſent, Legem enim moralem nihil aliud eſſe, præterquam legis naturalis renovationem, quam peccati corruptio ex animis hominum penè obliteraverat, & Paulum dicere, etſi gentiles ſine lege Moſaica fuerint, ipſos tamen ſibi fuiſſe legem. Nec enim peccatum fuiſſe, quum ea fecerunt, quæ pugnant adverſus decem Legis præcepta, niſi iſta in rerum natura fuiſſent revelata. Si itaque id ſeponatur, quod in quarto mandato prioris tabulæ ad ceremoniam pertinet, omnia illa fuiſſe* ἐν τῷ γνωστῷ τοῦ Θεοῦ *gentilibus manifeſtata. Ceremonialia & judicialia gentes omnino latuiſſe; Nec enim ſacra Gentilium quidquam commune habuiſſe cum Iudæorum ritibus, & quamque nationem habuiſſe ſuas leges à Iudaicis magnopere diverſas quibus rem ſuam publicam temperavit. Sic non modo tantùm, ſed & re ſortem gentilium differentem fuiſſe à conditione Iudæorum. At non talem tamen, ut nihil illis omnino à Deo revelatum fuerit eatenus. Nec enim id eos latuit,* inquit, *quod in illa Lege præcipuum fuit, ſi fuiſſent ad naturæ contemplationem attenti.* Obſervet Lector 1. Pſaltem de illis agere, quæ Iudæis propoſita peculiariter fuere per Dei verbum, ut populo ipſius fœderato, & ea negari gentibus, inter quæ eminuere fœdus gratiæ, & ejus fundamentum, Meſſias. Quæ quum planè non revelata fuerint gentibus, falſum, ſecundùm Pſaltem, *gratiam objectivam* eadem ſpecie fuiſſe univerſaliter manifeſtatam, adeòque fuiſſe univerſalem. 2. Nequicquam diſtinguit Animadverſor, inter revelationem vel *quà ſpectabat ad fœdus legale, vel quà habebat ſemina Euangelii conjuncta.* De tali enim revelatione agit Pſaltes, qualis à Deo erat propoſita Iudæis. Haudquaquam verò illis propoſita erat revelatio, quà ſpectabat ad fœdus legale præciſè vel tantùm, ſed quà habebat ſemina Euangelii conjuncta, in qua habebant promiſſiones Euangelii, eaſque ſatis, pro temporum illorum ſtatu, apertas. Conſideranda itaque iſta revelatio qualis à Deo propoſita fuit, non, qualis non fuit propoſita Judæis. 3. *Promiſſio fœderis legalis* non prætereunda erat, vitæ æternæ nimirum pollicitatio, ſed quam Animadverſor occulit, ut qui ſtatuit cum Socinianis & Heterodoxis aliis, legales promiſſiones tantùm fuiſſe vitæ terrenæ. Imò Adamo alias factas non fuiſſe. Si ſentiat oppoſitum, ediſſerat mentem ſuam, & demonſtratum dabimus, illum id ſtatuiſſe in publicis ſcriptis, & quidem cum Magiſtris illis, & poſt eos. 4. Moralia præcepta vel omnia hauriri potuiſſe cenſet ex intuitu naturæ rerum, vel non; Si prius, ex intuitu naturæ rerum hauriri poterat, primos concupiſcentiæ motus eſſe peccatum. At Apoſtolus id haudquaquam à ſe animadverti potuiſſe innuit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

Rom. VII, 7. *niſi Lex dixiſſet, non concupiſces.* Adde, ex ſolo legis naturæ intuitu neminem mortalium haurire potuiſſe, *unum è ſeptem diebus* cultui divino publicè deſtinandum, quod tamen ad moralitatem quarti præcepti pertinet. Oſtendat etiam, an Deum Trinunum colendum, ἐν τῷ γνωστῷ & per lumen naturæ habuere potuerint gentiles. Adeòque non ſeponendum tantùm, quod in quarto præcepto ad ceremoniam & circumſtantiam ſeptimæ diei pertinet. Si poſterius cenſet, ne ea quidem, quæ ad præcepta moralia pertinent, omnibus fuere revelata ἐν τῷ γνωστῷ. Et *quia*, ut fatetur, *peccati corruptio ex animis hominum penè obliteraverat legem moralem*, & renovationem illam per legem moralem Deus innumeris indultam noluit, eandem ſpecie revelationem illis obtingere noluit, quam voluit obtingere Judæis. Quoad varia quidem præcepta naturæ inſculpta nemo noſtrûm diffitetur, gentes ſibi fuiſſe legem, & legem habuiſſe inſcriptam cordibus, & ſervaſſe τὰ τοῦ νόμου. Sed ea & *intenſivè* & *extenſivè* ſummè imperfecta fuiſſe, notum omnibus. 5. Sacra gentilium nihil quidquam commune habuiſſe cum Judæorum ritibus, falſum, quum plerique ritus per κακοζηλίαν à Sathana Dei ſimia gentibus inſinuati fuerint, ſacrificia, ablutiones, purificationes, feſta & alia id genus. Si gentiles etiam ceremonialia præcepta omnino latuere, & in iis Judæi manuducti fuerint ad Meſſiam, & tum in *oblationibus*, tum in *ſacrificiis*, in *typis* etiam tum *perſonalibus* tum *realibus* Meſſias revelatus fuerit: Revera gentiles omni revelatione Meſſiæ caruere; adeòque *gratiâ* illa *objectivâ*, quæ abſolutè neceſſaria eſt adultis ad ſalutem. Et ſic *re* ſors gentilium differens fuit à conditione Judæorum, & *nihil omnino eatenus à Deo revelatum* fuit gentibus. Et ſplendida contradictione ſe implicat Animadverſor. *Mandata ceremonialia omnino gentes latuere, & ſic non modo tantùm, ſed & re ſors gentilium differens fuit à conditione Iudæorum.* Et tamen, ſi ipſimet credimus, *non fuit talis gentilium ſors, ut nihil illis omnino à Deo revelatum fuerit eatenus.* Si enim re ipſa idem vel aliquid ejus gentibus revelatum fuit, quod Judæis re ipſa ſors eorum differens non fuit. Vel enim id quod illis revelatum fuit, fuit fœdus gratiæ & ejus fundamentum, vel non: Si prius, re ipſa ſors eorum differens non fuit, ſi poſterius, nequicquam revelata omnia alia, & reſtricta manet *gratia objectiva* propoſitio. Nec excipiendum, id intelligi de lege morali, ea enim in Dei revelatione præcipua non fuit, ſed promiſſio gratiæ. 5. Fruſtra etiam addit, *nec enim eos latuit id quod in ea lege præcipuum fuit, ſi fuiſſent ad naturæ contemplationem attenti:* Præterquam enim quod dicendum erat, *nec enim eos latuiſſet*, ut ſenſus conſtet, notum, homines in peccatis mortuos, non potuiſſe ad naturæ contemplationem attentos eſſe, *ut oportebat.* Et quamvis attenti fuiſſent

omni

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

omni modo, nunquam illi in natura fœdus gratiæ quod in ea diſpenſatione præcipuum fuit, ejuſque fundamentum deprehendere potuiſſent, vel Deum trinunum diligendum vel rationem cultus illi debiti. Adde, multos ex Gentilium Philoſophis attentos admodum fuiſſe ad naturæ & præceptorum moralium contemplationem, nihil tamen ejus inde eruiſſe, nec lucem ſuperiorem illis allatam vel ab Angelo, vel aliâ aliquâ ratione miraculoſâ. 6. Hactenus Animadverſor non contra nos diſputat, ſed contra Davidem, imò contra ſe ipſum, affirmando & negando ſimul id, quod propoſitum in lege Dei fuit, aliquo modo gentilibus revelatum fuiſſe. Intereà priori affirmatione *eadem* quoad *rem*, & Judæis, & Gentilibus revelata fuiſſe, ratione eorum quæ præcipua ſunt contendit, quod nobis ſufficit. Si enim gentiles ea deprehendere potuiſſent, per attentam naturæ contemplationem, opus, ea in natura fuiſſe revelata.

V. Addit Animadverſor: *OEconomiam illam legalem, ſpectatam ut primordia Euangelii conjuncta habuerit, tria præcipua continuiſſe. 1. Invitationem ad pœnitentiam. 2. Declarationem miſericordiæ Dei, cum ſpe remiſſionis conjunctam, ſi quis verè & ex animo reſipiſceret. 3. Revelationem obſcuram & imperfectam, at aliquam tamen illius, cujus causâ miſericordiam illam ſuam Deus hominibus patefaceret. Duo priora longè clarius Iudæis quàm Gentilibus oblata fuiſſe, at ita tamen, ut Gentiles eorum expertes non eſſent. De invitatione ad pœnitentiam verba Pauli clara eſſe, nec me id negare, ſed intempeſtivè tantùm philoſophari de* τῷ χρηστῷ τοῦ Θεοῦ. *De ſpe veniæ & miſericordiæ declaratione rem non minus perſpicuam eſſe.* Non enim poſſe τὸ χρηστὸν τοῦ Θεοῦ *ad pœnitentiam invitare, quin ſimul veniæ ſpem oſtendat. De eo verò, cui hæc omnia innitebantur, quum promiſſiones Iudæis datæ fuerint, obſcuriores illæ quidem, & eò magis, quò tempora ab illius exhibitione remotiora fuere, nihil quicquam gentibus innotuiſſe, niſi poſtquam ejus Euangelium in univerſum orbem Apoſtolorum prædicatione propagatum eſt. Itaque & eatenus non modo tantùm ſed etiam re ipſa Iudæorum quàm Gentilium conditionem longè fuiſſe potiorem, præſertim quum præter oracula quibus promiſſiones illæ continebantur, quæ ad Meſſiæ perſonam, & actiones & paſſiones & ejuſmodi alia pertinebant, eſſent pro temporibus illis in ceremoniis legalibus, & variis aliis typis leviter adumbrata.*

VI. Ad iſta obſervet Lector. 1. OEconomiam legalem Dei populo aliter propoſitam non fuiſſe, *quàm prout primordia Euangelii conjuncta habuit*, adeòque ſic tantùm conſiderandam fuiſſe, non quà ſpectabat ad fœdus legale præcisè, ſuperiorem itaque conſiderationem inanem eſſe. 2. Non de œconomia legali propriè agi à Pſalte, ſed de revelatione jurium & ſtatutorum, hoc eſt, totius Dei verbi indulti Judæis, negati gentibus. Nec iſtam revelationem *primordia* tantùm *habuiſſe Euangelii* con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

juncta, ſed totum Euangelium, & revelationem tum fœderis gratiæ, tum fundamenti ejus, & perſonæ Meſſiæ ut & officiorum ac beneficiorum ejus, & modi iis potiundi. Quum Paulus nihil ſe annuntiaſſe teſtetur, *extra ea quæ in Moſe* habentur *& Prophetis*, quamvis *omne Dei conſilium* de ſalute hominum ſe annuntiaſſe ſimul teſtetur. 3. Falſum, œconomiam legalem, poſteriori modo ſpectatam, tria illa *præcipuè* continuiſſe, continuit enim *fœdus gratiæ*, ut præcipuum, cum Abrahamo & ſemine ejus contractum, & promiſſiones gratiæ fœderalis, remiſſionem peccatorum in ſanguine Meſſiæ & renovationem naturæ corruptæ, ablutionem hominis per ſanguinem, & purgationem ejus per Spiritum Chriſti, futurum ut Deus ei pro corde lapideo det carneum, & legem ſuam inſcribat cordibus, &c. 4. OEconomia ſanè legalis ſtrictè ſumpta non habuit conjunctam invitationem ad pœnitentiam, quamvis latè ſumpta, prout incluſit promiſſiones gratiæ, propoſuit invitationem ad pœnitentiam. OEconomia enim pœnitentiæ, legalis non eſt; quia lex maledictionem inevitabilem interminatur omni peccatori non permanenti in omnibus quæ ſcripta & imperata. Pœnitentiæ verò doctrina particularem negantem opponit contradictoriè velut iſti aſſertioni univerſali affirmanti: Aliquem, quamvis peccatorem, pœnitentiam agentem non ſubiturum maledictionem. Adde, cum œconomia iſta non propoſitam fuiſſe à Deo ſimplicem invitationem ad pœnitentiam, ſed invitationem ad pœnitentiam fundatam in fœdere gratiæ, & invitationem ad pœnitentiam, & reditum per eam ad Deum Abrahami, Iſaaci & Jacobi, ad Deum nimirum Trinunum, qualem ſe tantùm in verbo ſuo revelavit, haudquaquam verò ἐν τῷ γνωςῷ. Pietatis quin etiam naturam & officia ſufficientia in ſolo verbo revelavit, non ἐν τῷ γνωςῷ. Nec invitatio ad pœnitentiam præcipuum fuit, ſed promiſſio gratiæ ad pœnitendum neceſſariæ, quæ haudquaquam agnoſci poterat ἐν τῷ γνωςῷ. Cum œconomia etiam legali non propoſita fuit *talis, qualis declaratio miſericordiæ* Dei, ſed *ſpecialis*, nec *potentialis* tantùm, ſed *actualis* Dei miſeratio in fœdere gratiæ erga fœderatos, nec cum ſpe aliquâ remiſſionis tantùm conjuncta, ſed conjuncta cum oblatione remiſſionis, & exactione fiduciæ iſtius remiſſionis, & cum fundamento utriuſque, propitiatione nimirum juſtitiæ divinæ per Meſſiam, & contritione capitis ſerpentis per eum, qualia haudquaquam revelata ullo modo ἐν τῷ γνωςῷ. 5. Nec tantùm *ſpes remiſſionis* cum œconomia legali propoſita *ſi quis reſipiſceret*, ſed & gratia reſipiſcentiæ promiſſa, ut beneficium novi fœderis. Aliàs fruſtranea omnis miſericordiæ promiſſio, ſub hac conditione, reſpectu hominum qui ex ſua natura non magis reſipiſcere poſſunt, quàm propitiationem peccatorum ſuorum ipſi
præ-

præſtare. Nec hæc itaque etiam gratia objectiva propoſita fuit ἐν τῷ γνωστῷ. 6. Falſum & ἀθεόλογον, œconomiam legalem obſcuram tantum & imperfectam revelationem habuiſſe illius, cujus causâ miſericordiam ſuam Deus hominibus voluit patefacere. Imò in ea clara ſatis à Deo data ejus revelatio, quæ non *abſolutè* ſed *comparatè* tantùm obſcura & imperfecta dici poteſt, reſpectu nimirum lucis in Novo Teſtamento manifeſtatæ. Et vel *perſona*, *officium*, *paſſiones* & *beneficia* Meſſiæ fuere perfectè revelata populo Dei ſub œconomia legali, vel non: ſi prius, evertitur quod hîc habet Animadverſor: ſi poſterius, populus Dei ſalvari non potuit, quia extra cognitionem talium nulla unquam ſalus obtigit adultis ullis. Et hîc & alibi, quod ſuo loco obſervabimus, Socinianæ & Remonſtranticæ de revelatione Chriſti in V. Teſtamento doctrinæ & de non neceſſaria ejus ſub eo cognitione ſemina ſparguntur ab incauto Animadverſore. 7. Inſufficienter Meſſias tantùm conſtituitur cauſa *miſericordiæ patefactæ* hominibus, debet ille conſtitui etiam cauſa promiſſæ *miſericordiæ* ejuſque actu per obedientiam ſuam ſuis *conciliandæ*, extra cujus quippe intuitum non potuiſſet dari actualis peccatorum in ſtatum gratiæ per miſericordiam reſtitutio. 8. Quoad duo priora, denuo Animadverſor vult, revelationem Judæis & Gentilibus indultam *modo* tantùm diverſam fuiſſe, non *re*, *longè clarius* tantùm Judæis eam indultam fuiſſe. 9. Tertium vel ſcitu neceſſarium ad ſalutem fuit, vel non; ſi fuit, *gratia* aliqua *objectiva* ſcitu neceſſaria gentibus non obtigit. Si non fuit, extra cognitionem Meſſiæ, adeòque ſine fide in eum homines ſalvari potuere, quod abſurdum & ἀθεόλογον. At *cognitione ſui ille juſtificabit ſervos ſuos*, non ignoratione. 10. De invitatione ad pœnitentiam per τὸ χρηστὸν τοῦ Θεοῦ agetur alibi ſuo loco, favente Deo, & oſtendetur, à me haudquaquam intempeſtivè ſed appoſitè admodum non *philoſophatum* ſed *diſputatum* theologicè. 11. Spem veniæ & miſericordiæ declarationem univerſalem fuiſſe, eſt ipſum κρινόμενον, nec ſpes veniæ ad *gratiam objectivam* propriè pertinet, ſed promiſſio veniæ impetratæ, nec miſericordiæ Dei in genere, ſed miſerationis actualis reſpectu pœnitentium ob placamentum ei rei deſtinatum, & exhibitum vel exhibendum in Meſſia, cujus fiducia requiritur à Dei filiis. 12. Falſum etiam, τὸ χρηστὸν τοῦ Θεοῦ non potuiſſe ad pœnitentiam invitare, ut ad officium, etiamſi nullam ſpem veniæ ſimul oſtendat. An judex non poteſt invitare reum ad pœnitentiam peccati admiſſi, quamvis certò vel vivicomburium, vel ſupplicium grave aliud ipſi intentet & denuntiet? Et an pœnitentiam homo non debet ut *officium*, quamvis nulla ſpes ipſi proponatur vel veniæ vel gratiæ? Sic, niſi Deus adjeciſſet promiſſionem gratiæ, homo pœnitentiam haudquaquam debuiſſet Deo, ſi Animadverſorem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

rem audimus! An Dæmones & damnati pœnitentiam Deo non debent, quamvis ſine ſpe veniæ ſint in ſtatu in quo ſunt? Invitatio ad pœnitentiam & in officio creaturæ, & in pœnitentiæ ipſius pulchritudine, & τῷ καλῷ, quod in ea eſt, fundamentum habet. Nec ſpes veniæ niſi ſecundariò reſpicienda, ſed pœnitentia ipſa ſpectanda priùs, ut debitum quid, & officium. Alias mercenarium eſt officium, non liberale. Et ſive τὸ χρηστὸν τοῦ θεοῦ, ſive ἡ ἀποτομία ejus invitent ad pœnitentiam, primaria pœnitentiæ cauſa eſſe debet fœditas peccati, ratio officii, & τὸ καλὸν quod eſt in pœnitentia. 13. Si *nihil quicquam* gentiles audivere *de eo cui hæc omnia innitebantur*, hoc eſt, de Meſſia, & extra eum ſalus dari non poſſit, Deus qui innumeros de eo nihil quicquam audire voluit, noluit innumeros ſalvari. Et quum revelatio illius præcipua gratia objectiva ſit, & neceſſaria planè ad ſalutem, patet, eam haudquaquam fuiſſe unquam univerſalem. Imò Meſſiæ revelatione jam quidem univerſalis eſt, vel fuit, etiam poſtquam Euangelium Apoſtolorum prædicatione propagatum eſt in orbem terrarum, ut ex ipſo Animadverſore demonſtratum dedimus, quamvis hodie ſaltem, ex ejuſdem conceſſione, *diſtincta* Meſſiæ exigatur *cognitio*. 14. Nec *eatenus* tantùm Judæorum conditio potior fuit quàm Gentilium, ſed *abſolutè* ratione revelationis *Dei jurium ac ſtatutorum*, nec Pſaltes iſtas anxias & jejunas limitationes nobis producit, quas Animadverſor habet, ſed *abſolutè* loquitur. 15. Si etiam præter oracula, quibus promiſſiones illæ continebantur, quæ ad Meſſiæ perſonam, actiones & paſſiones, & ejuſmodi alia pertinebant, in ceremoniis legalibus & variis aliis typis, populus Dei talia adumbrata habuit, haudquaquam verò gentiles, claram ſatis & perfectam, pro illorum temporum ratione, Meſſiæ revelationem habuit, adeòque ſolus gratiam objectivam ſufficientem. Nec *leviter adumbrata* talia dici debent, vel poſſunt niſi *comparatè* ſed graphicè & ſufficienter vel ſolus Eſaias non tam ut Propheta de Meſſia ſcribit, quàm ut Euangeliſta, ut notum.

VI. *Quoad ſecundum*, inquit Animadverſor, *Pſaltem ipſum ſatis indicaſſe, qua ratione ii conſiderandi ſint, de quibus hoc cecinit. Nimirum hîc ſpectari nationem univerſam Iudæorum, & opponi reliquis nationibus pariter univerſis. Vt igitur negat gentium in eo conditionem fuiſſe cum Iudæis æquiparandam, ſic affirmat, prærogativam illam Iudæorum ſpectaſſe ad omnes, nullo diſcrimine habito. Quamobrem ſi revelatio illa facta Iudæis, ad ſalutem pertinebat (qua de re nulla dubitatio eſſe debet) ſpectaſſe promiſcuè ad electos & non electos, quatenus ad ſalutem viam oſtendebat apertam.* Obſervet Lector. 1. Ἐξαγώνιον eſſe, Pſaltem hîc promiſcuè de Judæorum gente loqui, & de omnibus adultis inter Judæos, qui verba, ſtatuta, & jura Dei poterant audire. Et ſic eos opponi reliquis natio-

nationibus univerſis. Eo ipſo verò quia iis opponuntur, & verba, jura ac ſtatuta Dei Judæis revelata dicuntur, negantur eſſe revelata gentibus, adeòque negatur univerſalitas *gratiæ* iſtius *objectivæ*. Prærogativam itaque iſtam *externæ revelationis* univerſalem fuiſſe reſpectu Judæorum adultorum extra controverſiam eſt, utut enim *ſubjectivè* notitiæ iſtius revelationis varii fuerint gradus, *objectiva* tamen jurium & ſtatutorum Dei revelatio eadem inter eos fuit. 2. *Ad ſalutem* ſanè *pertinebat* revelatio facta Judæis, tum *ex ſe*, quia proponebat doctrinam ad ſalutem ducentem, tum quia Deus per eam plurimos ex Judæis ad ſalutem actu perduxit, & eam, ut tales ad ſalutem perduceret, iis propoſuit. Falſum verò, eam ita ad ſalutem pertinuiſſe, quaſi Deus per revelationem iſtam omnes & ſingulos Judæos ad ſalutem ducere voluiſſet, quod & ipſum κρινόμενον eſt, & ponit, Deum excidere ſuo fine, & volitiones Deo inanes affingit rerum non futurarum, & quidem ex decreto ſuo. 3. Ambiguè dicitur, *revelationem ſpectaſſe ad electos & non electos promiſcuè, quatenus ad ſalutem viam oſtendebat apertam*. Si enim id *materialiter* intelligatur de re propoſita, concedi poteſt, ſin de *intentione* & *fine Dei* proponentis, negatur planè eam promiſcuè ſpectaſſe ad electos & non electos, non magis quàm ſi ſolis ortus dicatur ſpectare promiſcuè ad cæcos omnes, quorum aliquibus oculi ſunt aperiendi, aliis non. Imò ſi pauciſſimi etiam duntaxat ſalvandi fuiſſent ex Judæis, revelatio debebat eſſe communis, quia placuit Deo hoc modo & per promiſſionem communiter propoſitam ſuos ad ſe trahere, ut Lydiam, non per verbum in individuo huic vel illi duntaxat annuntiatum. 4. Demus etiam revelationem iſtam *ſpectaſſe promiſcuè ad electos & non electos* inter Judæos, quid id ad gentiles luminis iſtius exſortes? An ob id gratia cenſebitur univerſalis, objectiva etiam? 5. Eo ipſo etiam quia *oſtendebat* tantùm *viam ad ſalutem*, & quidem mente cæcis, voluntate pravis, corruptis affectibus, & mortuis in peccatis, nec illa iniri poterat niſi ab electis, ob corruptionem iſtam naturalem, ex qua iſtos ſolos per efficacem vocationem placuit Deo eruere, noluit omnes & ſingulos ſalutem per viam iſtam conſequi. Videat jam Lector iſtam ratiocinationem, an ex ea ſequatur gratiæ objectivæ univerſalitas, quod aliquid omnibus Judæis promiſcuè fuerit revelatum, quamvis diſertè maximæ hominum parti idem revelatum fuiſſe negetur. At h.e. id quod inter nos in controverſia eſt, non verò, an gratia objectiva ulli ex non electis fuerit revelata. Adde, ubi de revelatione multis ex his objecta agitur, non *rem* à nobis negari, ſed *intentionem* & *finem* revelantis, h.e. illam talibus non indultam ad ſalutem, ſed ad ἀναπολογίαν, vel ad aliquam illuminationem, ad aliquam coërcitionem, & ad fines alios id genus, quos & Scriptura docet & experientia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

VII. Hîc verò *pati ſe non poſſe* ait, *quin meam notet in ratiocinando ἀβλεψίαν*. At quæ illa? *Dixiſſe* ſe, inquit, *realem differentiam quæ inter Iudæos & Gentiles exſtitit, in eo fuiſſe poſitam, quod revelatio apud Iudæos aliqua ſpiritus efficacitate comitata fuit, apud Gentiles minimè. Ex hoc me ita argumentatum, ut dixerim, ſi iſta differentia intercedat tantùm inter Iſraelitas & alias Gentes, vel apud omnes Iſraelitas eam ſpiritus efficacitate comitatam fuiſſe, quod falſum, vel nullum fuiſſe diſcrimen inter Iſraelitas multas & Gentiles, quia non magis vis ſpiritus ſe in Iſraelitis multis exeruit, quàm in gentilibus multis.* Fateor me ita argumentatum, nec ejus rei vel pudet, vel piget. Quid verò regerit? Vel me ita loquutum *ex animi mei ſententia*, *vel argumento ad hominem.* At peccat *elencho oppoſitorum*, & ex animi mei ſententia ita ſcripſi, & *argumento ad hominem*. Prius quia dilemma iſtud mihi revera invictum videtur, poſterius quia fundamentum habet in Argumento iſto Animadverſoris, differentiam inter Judæos & gentiles in eo poſitam fuiſſe, *quod revelatio inter Iudæos aliqua ſpiritus efficacitate comitata fuerit, apud Gentiles minimè*. Et quum ſolam illam differentiam expreſſerit, meritò in refutatione illius hæſi.

VIII. Quî verò me urgere pergit? *Si prius illud verum eſt*, inquit, *me putare, abſurdum eſſe, nullum diſcrimen interceſſiſſe in eis quæ ad ſalutem attinent inter eos Iudæos, in quibus nullam ſpiritus vim ſuam exeruit, & gentiles in quibus pariter externa revelatio nulla ſpiritus efficacitate comitata fuit. Diceret ergo nobis*, inquit, *quâ in re ſitum ſit memorabile iſtud diſcrimen, quum nec Redemptor illis fuerit deſtinatus ullo modo, nec Deus voluerit illos ſeſe convertere omninò, neque ullam de eorum ſalute cogitationem ſuſceperit, neque quod Iudæis illis clarius revelatum fuit, aliò ſpectare potuerit, ex intentione & voluntate Dei, niſi ut redderentur inexcuſabiliores adhuc quàm Gentiles, & ut eorum condemnatio aggravaretur. Illud verò diſcrimen ad ſalutem non pertinere.* At quàm vanæ ſunt iſtæ argumentationes, quæ mera στωμύλματα! 1. Annon apertè illatio mea nititur fundamento poſito à Diſſertatore, differentiâ nimirum, quam ſtatuit inter Judæos & gentiles, quam ex eo falſam demonſtravi, quod inde ſequatur abſurdum evidens. Abſurdum verò illud eſt, nullum hîc eſſe diſcrimen inter Judæos & gentiles, quum tamen Pſaltes maximum & apertiſſimum ponat, & tribuat Judæis, & ſolis quidem, quod negat gentibus. Nullum verò, ex Animadverſoris ſententia, eſt diſcrimen, ſi illud arceſſatur ex *vi ſpiritus*, quippe quæ ex æquo negata Judæis multis & gentilibus. 2. An opus eſt quærere *in quo conſiſtat iſtud diſcrimen?* An non Pſaltes diſertè id ponit, & in *revelatione* & in *notitia, jurium & ſtatutorum* Dei? In eo ſane convenientia fuit inter Judæos & Gentiles multos, quod neutri efficacitatem habuerint Spiritus Dei, in eo verò ſemper di-

ſcrimen

ſcrimen integrum fuit, quod Judæis revelatio iſta verbi obtigit, gentilibus non item. De quo uno hîc agit Pſaltes. 3. Peccatur *merâ ignoratione elenchi*, nec enim ſermo hîc de Redemptoris deſtinatione, vel de voluntate Dei circa omnium converſionem, vel de cogitatione Dei circa omnium & ſingulorum ſalutem, ſed ſermo duntaxat de revelatione ſtatutorum & jurium Dei, cujus fines varios fuiſſe à nobis demonſtratum. 4. Supponitur ſemper πρῶτον ψεῦδος, Redemptorem *aliquo modo*, hoc eſt, *conditionatè* omnibus deſtinatum. At demonſtratum, eum iis quibus deſtinatus, *abſolutè* deſtinatum, & eo modo, non *ſi credat* homo, ſed *ut credat*. 5. Ambiguitate luditur in phraſi, quî Deus voluerit omnes Judæos ſe convertere, id enim de voluntate quæ *mandatum* Dei intellectum, verum eſt, quæ voluntas ſpectat officium, intellectum verò de voluntate quæ *decretum* eſt, vel *intentio* aliquid conſequendi, falſum eſt, nec enim iſta in Deo eſt rei non futuræ: 6. Supponitur ineptè, *Deum aliquam cogitationem ſuſcipere de aliquorum ſalute*, & iſtam cogitationem effectu carere. Cogitationes id genus ἀνεμώλιοι & evanidæ hominum ſunt, vel inſipientium vel impotentium, vel ad minimum mutabilium, haudquaquam Dei. De cujus ſalute Deus cogitationem ſuſcipit (quamvis phraſis iſta ἀκυρόλογος planè ſit) eum ad ſalutem revera actu perducit, & omnem quidem. Actus enim ille *immanens* Dei & perpetuus concipi debet, & efficax pro dignitate ſubjecti. 7. Peccatur *ignoratione elenchi*. Quæſtio non eſt, quò pertinuerit clarior revelatio quæ Judæis obtigit, ſed annon in eo diſcrimen conſtituatur à Pſalte, quod Judæis illa obtigerit, Gentibus non obtigerit, quicunque jam iſtius revelationis ſint fines, quicunque effectus. Annon ſic ſemper manet quod à me poſitum, diſcrimen Diſſertatoris reſponſione tolli inter Judæos & gentiles, quod ponit Pſaltes. 8. Fines revelationis iſtius præter *inexcuſabilitatem* & *aggravationem condemnationis* dari poterant alii, nimirum directio aliqua in aliquo Dei cultu, coercitio à ſceleribus gravibus, reverentia aliqua mandatorum divinorum, averſio à gentilium idololatriâ, & alia id genus, qualia ipſe habet alibi. Nec illi ipſi fines abſurdi viſi Apoſtolo, vel indigni Deo, ſive injuſti, quos hîc ut tales ſupponit Animadverſor. Nec magis abſurdum, Judæis à Deo quædam revelata fuiſſe εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους, quàm gentilibus. 9. Supponitur, hîc agi de diſcrimine quod ad ſalutem pertinet, agitur verò ſimpliciter de diſcrimine. Argutationes itaque iſtæ meræ ſunt, non argumentationes. Quid verò eſt ἀμφαξονεῖν, & *de ſcammate egredi*, ſi hoc non eſt?

IX. Addit; *Si voluerim argumentari ad hominem, duo memorabilia me peccaſſe; Vnum, quod, etſi vim illam ſpiritus intellexiſſem de ſola efficacitate, quæ ſe in veræ fidei & pœnitentiæ procreatione explicat, nulla ſit argumentationis meæ vis.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

Davidem enim quum ita loquatur, populum Iſraelitarum ex meliore majoreque parte æſtimaſſe. Quum igitur & veram Religionem videret in Iſraele conſtitutam, & gentem univerſam eam eſſe profitentem, & potuiſſe eum ex communi uſu loquendi, & debuiſſe ex canone charitatis exiſtimare, multò maximam partem Iudæorum vim illam ſpiritus perſenſiſſe, ex quibus univerſa natio cenſebatur. Et id ſufficere ad ſententiam illam pronuntiandam. Alterum eſſe, quod antequam argumentarer ad hominem, debuerim ſuam ſententiam habere perſpectam. Id verò ſecus eſſe. Quid iſta denuò præter ἐπιφυλλίδας? Nam 1. Dum Diſſertator de *vi & efficacitate ſpiritus* loquutus fuerat, quam revelatio Judæis facta comitem habuerit, revelatio facta gentibus non item, quis inde mecum non collegiſſet, intelligi efficacitatem operativam fidei & pœnitentiæ, quarum quippe virtutum productio prima eſt, ex quibus ſequuntur omnia bona reliqua, & in quibus producendis revera efficacitas vel vis ſpiritus ſe exerit? Si itaque de ea hic loquutus non fuit Diſſertator, aliter loqui debuit, nec vitium in mea intellectione eſt, ſed in ipſius elocutione. Et ſanè ubi de vi & efficacitate ſpiritus ſermo eſt, talis intelligi primò debet. 2. Vertiginem hîc Animadverſor denuò paſſus fuit; dum inquit, Davidem, cùm ita loquitur, populum Iſraeliticum ex *meliore majoreque* parte æſtimaſſe, & debuiſſe eum ex *canone charitatis* exiſtimare, *multò maximam partem Iudæorum vim illam ſpiritus perſenſiſſe.* At David nihil tale protulit, nec vel verbo hîc meminit efficacitatis Spiritus Dei, quod illa comitata fuerit revelationem iſtam, de qua loquebatur, ſed tantùm agit de revelatione externa jurium & ſtatutorum Dei. Argumentum verò noſtrum non contra verba Davidis eſt, ſed contra gloſſema, quod verbis illis affingit Diſſertator, quod dilemmate iſto abſurdum eſſe à me demonſtratum. Si etiam David ex *meliori parte* populum æſtimavit, cur id pro abſurdo habet Animadverſor in vocabulo Mundi? Et quî David ex *majori* & *meliori* parte ſimul populum æſtimare potuit, quum pars major non fuerit melior, nec melior major? 3. Fruſtrà etiam argumentatur, etiamſi intellexiſſet illam efficacitatem ſpiritus, nullam eſſe argumentationis meæ vim. Imò illa æquè clara eſt ac Solis radii quum lucet in meridie. 4. Non opus Davidem hîc introducere loquentem ex *canone charitatis*, loquitur enim de re obvia & notoria, omnibus adultis Judæis communi, de revelatione nimirum jurium & inſtitutorum Dei, ubi judicio *ex canone charitatis* opus non erat. Nec de vi ſpiritus vel vola vel veſtigium apud Davidem.

X. Me verò ſententiam ipſius perſpectam non habuiſſe, probare inſtituit *tertiæ rei explicatione.* Præterquam verò quod nec in *theſi* ſemper illi, qui ſententiam aliorum perſpectam non habet, culpa imputanda ſit, nec mihi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

mihi hîc *in hypotheſi*, qui verba Diſſertatoris intellexi, prout ſe habebant, probatio Animadverſoris excutienda, per ſpiras multas, quod ipſi ſolemne, eſt circumducta. *Apud gentiles*, inquit, *Deus uſus eſt unâ revelatione τȢ γνωςȢ, quod in operibus creationis & providentiæ ſpectandum exhibuit. Apud Iudæos uſus eſt revelatione verbi, quæ ad omnium Iſraëlitarum aures accidit. Γνωςὸν autem illud ita comparatum fuiſſe, ut in rebus ad civilem & moralem vitam attinentibus, cujus ſecunda legis tabula moderatrix eſt, Deus aliquam ſuæ providentiæ efficacitatem, in eo exereret, quæ non modò nativam hominis corruptionem coërceret, ſed etiam nonnunquam ſemina virtutum hominum animis inderet, quibus ad egregia quæque capeſſanda invitarentur. Fuiſſe enim inter gentiles virtutum omnis generis illuſtria quædam exempla & digna memoriâ ſempiternâ. Ad pietatem & cultum Dei quod ſpectat, adeò Deum ab omni virtute ſui ſpiritus gentiles omnes deſeruiſſe; ut nihil fuerit eorum erroribus in eo genere fœdius atque tetrius. Hoc unum manſiſſe hominum animis infixum, eſſe numen aliquod ignoſcens & placabile, id quod perverſis eorum religionibus, ut fundamentum ſubſtratum fuerit, reliqua in iis fuiſſe ſuperſtitione & idololatriâ horrendum in modum contaminata. Apud Iudæos rem aliter ſe habuiſſe. Duplicem in ea Deum exeruiſſe ſui ſpiritus efficacitatem, unam in electorum animis, quos ad veram pœnitentiam convertit; Alteram in cæteris Iudæis, aut eorum ſaltem multo maxima parte, quæ tametſi eouſque non perveniret, ut eorum animos illuminaret ad ſalutem, illos tamen retinuerit in reverentia aliqua mandatorum divinorum, adeò ut dogmatum puritatem, ſanctitatemque ceremoniarum vel errorum mixturâ, vel peregrinorum ſacrorum ſuperinductione corrumpi aut depravari non paterentur. Atque is*, inquit, *eſt Zelus Dei, à vera fide veraque pœnitentia ſejunctus, quem Apoſtolus iis tribuit, qui Chriſti Euangelium reſpuerunt. Non potuit enim eſſe quisquam talis Dei zelus, qualem Iudæi adverſus Moſaicas inſtitutiones ſemper præ ſe tulerunt, niſi ab aliqua Dei operatione, quæ tamen uſque ad fidem & veram μεζάνοιαν non pertingebat. Eam igitur duplicem vim ſpiritus ſe intellexiſſe, cùm ſpiritus efficacitatem aliquam revelationi iſti additam eſſe affirmavit. Quum igitur ad omnes penè Iudæos alteratio operationum iſtarum pertinuerit*, quærit Animadverſor, *quid velim, quum objiciam, multos fuiſſe inter Iudæos inter quos & Gentiles, nullum ſalutis diſcrimen in ſalutis negotio interceſſit? Non eorum conditio*, addit, *fuit longè potior, quos Deus eo modo tractavit? Non re aliqua, eaque maximè memorabili, ſuperiores fuerunt?* Addit, *quibus Deus & tam multa revelaverat, quæ Gentiles celavit, & verbum ſuum audiendum propoſuerat, quum τὸ γνωςὸν ſolùm oculis gentilium obverſaretur, & virtutem aliquam ſui ſpiritus ſuppeditaverat, quâ moverentur, ita ut, ſi nihil faceret præterea, ſaltem ejus ope divinis mandatis & inſtitutis apud ipſos reverentia illa conciliaretur?* Plus in deſcribendis quàm confutandis iſtis laboris; deſcribenda tamen fuere ne quid luxa-

tum conquereretur Animadverſor. At 1. Quia apud Gentiles Deus uſus eſt unâ revelatione τȣ͂ γνωςȣ͂, quam in *operibus creationis* & *providentiæ* ſpectandam exhibuit, gratia objectiva ad ſalutem ſufficiens haudquaquam illis oblata, adeòque ea univerſalis non eſt, niſi dicat Animadverſor, vel myſterium Trinitatis & Expiationis peccatorum per Meſſiam non fuiſſe neceſſarium cognitu, & ſic verò Deo non cognito, & Idolis pro eo ſubſtitutis, ignoratoque Meſſia, homines potuiſſe ſalvari. Vel talia etiam ἐν τῷ γνωςῷ τȣ͂ Θεȣ͂, in operibus creationis & providentiæ exſtant, vel ſaltem talia in V. Teſtamento non fuere cognita, nec cognitu neceſſaria; nec hodieque iis ſunt, quibus τὸ γνωςὸν τȣ͂ Θεȣ͂ tantùm obverſatur. 2. Vel etiam Gentiles per revelationem unam τȣ͂ γνωςȣ͂ potuerunt ſalvari, vel non. Si prius, vix cauſa erat ſufficiens, cur exultaret adeò magnificè Pſaltes beneficio Judæis indulto, & Paulo recantanda ſunt quæ habet Epheſ. 11, 12: ſi poſterius, Deus qui unà tantùm iſta revelatione erga innumeros uti voluit, innumeros ſalvari noluit. 3. Ἐξαγώνιον, Deum aliquam providentiæ ſuæ efficacitatem exeruiſſe inter gentiles circa res ad *civilem* & *moralem* vitam attinentes; At eo ipſo, quia efficacitatem exerere noluit in gentilibus circa *primam* legis *tabulam*, & ea quæ ad eam pertinent, certum, Deum eos noluiſſe ſalvari, quum ſine vera primæ tabulæ intelligentia, & efficacitate illa nemo mortalium ſervari potuerit, & ſecundæ tabulæ cognitio non potuerit non eſſe corrupta. 4. Si *nativa* etiam hominis *corruptio* eſt, meritò illa vocata à me *impotentia naturalis*. 3. Virtutum *umbræ* & *ſimulachra* potius quàm veræ virtutes in gentilibus fuere, quas meritò Auguſtinus vocat *ſplendida peccata*. Nec enim veræ virtutes in irregenitis locum habere poſſunt. 6. An *Deus* voluit illos ſalvari, quos *ab omni virtute ſpiritus ſui deſeruit, ut nihil fuerit eorum erroribus fœdius & tetrius?* An tales etiam potuere ſalvari, vel non? Si prius, poteſt aliquis ſalvari ſine omni Spiritus Dei virtute, ſpectante ad pietatem ac cultum Dei: Si poſterius, inanis eſt univerſalis gratiæ inculcatio. 7. Vel in Gentilium omnium animis infixum manſit, *verum numen ignoſcens* eſſe & placabile, vel tantùm numen fictitium & falſum. Si prius, id falſum, nec enim verum numen aliud quàm Deus Trinunus, quem gentes omnes ignoravere: Sin poſterius, iſta cognitio non poterat non in æternum illis inutilis eſſe ad ſalutem. 8. An ſufficiebat etiam ſcire, *eſſe aliquod numen ignoſcens & placabile?* Et tale quid objectum eſſe gentibus, quamvis id univerſaliter concederetur omnibus propoſitum, quod falſum? Id verò inutile planè ad ſalutem, niſi reveletur ſimul, id actu placatum eſſe, & ratio per quam placari voluit, & modus potiundi fructûs iſtius placamenti. At iſta Deus innumeris revelata noluit. An ſufficiet reo ad ſpem, ſolidam

parien-

parientem pacem & gaudium, placabilem eſſe Principem? Annon opus, ſciat Principem placari actu velle, & media ejus placandi ſibi dari? 9. Supponitur, religiones Gentilium eò ſemper ſpectaſſe, ut placaretur numen quoad remiſſionem ſuorum peccatorum. At innumeri de iis ne cogitarunt quidem. Sed placabant Deos ſuos, vel ut bona externa & corporalia ab iis conſequerentur, vel ne mala externa in ſe effunderent, de peccatis innumeris, & eorum remiſſione perquàm ſecuri. Remiſſionem etiam illi ſpectarunt pœnæ, non culpæ, qui tale quid ſpectarunt. 10. Quia reliqua *horrenda ſuperſtitione & idololatria* in gentilibus fuere *contaminata*, nec Deus iſtam peſtem in iis ſiſtere voluit, verbo ſuo ſubmiſſo, tales ſalvari noluit. Et vel illi ſine Dei verbo ex ſuperſtitione & idololatria emergere potuere, vel non; ſi non potuere, non potuere ſalvari; ſi potuere, potuere ad veram Dei cognitionem pervenire, adeòque poteſt Deus agnoſci qualis eſt, nempe Trinunus, ſine ipſius verbo, quod abſurdum. 11. Efficacitas, quam Deus exeruit in Judæis non electis, vel potuit illos deducere ad fidem & pœnitentiam, vel non. Si potuit, debuit eſſe ſuperior corruptione humana, adeòque actu eam ſuperare. Vbi enim agens majorum eſt virium patiente, ibi vincit impreſſio vel influxus agentis; ſi non potuit, non potuit eſſe ſalutaris. Adde argumenta omnia, quæ Animadverſor, quum adhuc Diſſertator eſſet, oppoſuit Celeberrimo cuidam Theologo, *gratiam ſubjectivam* communem in vocatis per verbum ſtatuenti, quæ hîc retorqueri in ſuum Auctorem poſſunt. Et ſi Deus illam duntaxat exerere voluit efficacitatem ergâ innumeros, innumeros non voluit ſalvari. Nec tantùm dicendum, *efficacitatem illam eouſque non perveniſſe in multò maxima parte, ut eorum animos illuminaret ad ſalutem,* ſed & eò pervenire non potuiſſe, nec Deum eam in illis exeruiſſe, ea intentione ut iſte eventus ſequeretur. Alia enim longè efficacitas requiritur, quæ poſſit eſſe vorticordia. 12. Denuo tota Dei operatio refertur ad *illuminationem animorum ad ſalutem.* 13. Fatetur ipſe Animadverſor hoc loco, *gratiam* ipſam *ſubjectivam* aliquam datam Judæis plurimis non ad ſalutem, ſed ad reverentiam aliquam, & ad præſervationem aliquam ab errorum & ſuperſtitionum miſtura. Multò magis *gratia objectiva* propoſita à Deo multis dici poteſt ad fines id genus, quamvis ab eo iis propoſita non fuerit ad ſalutem. 14. An etiam zelus Iudæorum contra Chriſtum & Euangelium *ab aliqua Dei operatione* erat, de quali hîc ſermo, hoc eſt, *ab operatione vel efficacitate ſpirtius Dei*, quam ab Animadverſore intelligi vel ex eo patet, quod addit, *quæ tamen (* operatio *) uſquè ad fidem & veram pœnitentiam non attingebat.* Quid magis ἀϑεόλογον! Ergò ab efficacitate Spiritus Dei erat, quod à Iudæis multis Chriſtus haberetur pro

Impo-

Impoſtore, & Euangelium pro fabula? Nec ſufficit excipere, eos præſe tuliſſe *zelum adverſus Moſaicas inſtitutiones*, aliud enim eſt, zelum *præ ſe ferre*, aliud habere, aliud, zelum verum, & bene fundatum, aliud κακοζηλίαν, & zelum malum ac ſine ſcientia. Ille oritur ex cognitione naturæ & finis rerum, iſte ex ignorantia, & corruptione utriuſque, ac pravis affectibus aliis. In talibus ergo non Spiritus Dei, ſed Diaboli vim & efficacitatem ſe exeruiſſe notat Chriſtus Ioh. VIII. & alibi paſſim. Et ſanè plurimis inter Iudæos inſtituta Moſaica merum erant prætextus & obtentus, avaritia verò, ambitio & invidentia una cauſa in Chriſtum & Apoſtolos graſſandi. Qualis zelus etiam in Dianæ Epheſinæ miniſtris & cultoribus apparuit in Actis. Nec Apoſtolus omnibus & ſingulis inter Iudæos, minùs malitioſis Chriſti & Euangelii perſequutoribus tribuit ζῆλον τȣ͂ Θεȣ͂ Rom. x, 2. ſed multis duntaxat ex illis, qui ex mera ignorantia peccabant. 15. Eo ipſo, quo Animadverſor duplicem illam Spiritus Dei vim à ſe intellectam profitetur, neutram verò Deus exeruit erga multos inter Iudæos, qui & profani fuere, & abjecere ſe ſæpe ad Idola gentilium colenda, & ad quaſvis fœditates; ſic nullum diſcrimen relinquitur ratione illius ſpiritus inter Iſraelitas multos & gentiles, quod habet dilemma noſtrum. Vnde ne ipſe quidem Animadverſor affirmare audet, iſtam efficacitatem ſe exeruiſſe in omnibus Iudæis non electis. 16. Si etiam duplex illa vis ſpiritus non fuit communis gentilibus, nec comitata revelationem factam per τὸ γνωςὸν, vel ſine ea potuere gentiles ſalvari, vel non. Si prius, id ἀθεόλογον, & natura ad ſalutem ſufficiet. Si poſterius, Deus qui illam vim circa gentiles & revelationem illis factam adhibere noluit ſine qua novit eos nec converti poſſe, nec ſalvari, illos ſalvari noluit. 17. An ego etiam ſimpliciter objicio, *multos fuiſſe inter Iudæos inter quos & gentiles nullum diſcrimen in ſalutis negotio interceſſerit*? Annon ex gloſſemate Animadverſoris id infero, conſtituentis diſcrimen tale in efficacitate ſpiritus data vel negata? Annon verò iſta efficacitas & Iudæis multis & gentilibus ex æquo negata? Annon potiùs ex loco Pſaltis docui, ingens diſcrimen inter Iudæos & gentes reliquas interceſſiſſe quod diſertè notat? Annon etiam aliud eſt, loqui de Judæis *abſolutè*, aliud, loqui de multis inter Iudæos? An vel verbi revelationem Iudæis obtigiſſe negavi, vel virtutem ſpiritus Iudæis omnibus ſubminiſtratam contendi? An negavi etiam, apud multos ex Iudæis reverentiam mandatis & inſtitutis divinis fuiſſe conciliatam? Annon potiùs, diſcrimen maximum inter Iudæos & gentiles etiam quoad externam revelationem à Deo illis indultam, iſtis negatam probavi? Quid inanius itaque quàm ita Lectorem & cauſam circumducere, & meris ἀπαγωγαῖς ludificari!

XI. Addit:

XI. Addit : *Quartum reſtare, quod ex ſuperioribus pendeat, apud Gentiles nullam religionem fuiſſe incorruptam, ſed omnes contaminatas fœdis erroribus & horrendâ idololatriâ. Apud Iudæos & inſtitutam fuiſſe Religionem puram Moſis miniſterio, & vel manſiſſe intemeratam multa ſecula. Vel ſi quas labes ex hominum vitio ſubinde contraxerit, reſtauratam tamen fuiſſe itidem, & vel ope Prophetarum, vel auctoritate Regum, vel virtute Sacerdotum, vel populi pœnitentiâ redintegratam. Eam rem eſſe quam David tam magnificè prædicat, & inſtitutam & conſervatam fuiſſe inter Iudæos veram Religionem, tam verbi prædicatione quàm ſubminiſtratione ſpiritus, quum inter gentiles, quæ ad pietatem excitandam & conſtituendam pertinent, omni tali virtute deſtituta, & ſolis hominum oculis extrinſecus objecta, nihil tale perficere potuerint*: *Eo verò non negari*, inquit, *incitamenta ulla pietatis oculis gentilium obverſata fuiſſe, at affirmari, corrupta & depravata, nihil quicquam boni in Religionis inſtitutione præſtare potuiſſe. Id autem, niſi diſcrimen reale ſit, docere me debere, quid per rem & modum ſit intelligendum.* Nec verò vel me vel cauſam noſtram iſta omnia feriunt, ſtricturæ tamen & iſtis debentur. 1. Repetit Animadverſor pro *quarto* quod in *tertii* ἐξηγήσει jam produxerat. Nimirum, cultum Dei inter gentiles fuiſſe fœdum & tetrum, & omnia fuiſſe horrendum in modum ſuperſtitione & idololatria contaminata. Cauſam etiam adjicit, quod Deus ab omni virtute ſui ſpiritus gentiles deſeruerit, ad pietatem & Dei cultum quod ſpectat. Quid opus itaque erat, rem non controverſam non tantùm ibi poni, ſed & hîc reponi, apud gentiles nullam Religionem fuiſſe incorruptam, ſed fœdos errores & horrendam idololatriam ? An id à me negatum, vel ab ullo homine ſano ? An dubium etiam erat, apud Iudæos veram fuiſſe Religionem & inſtitutam, & reſtitutam à variis ? Quid iſta ad rhombum ? Annon, quia Deus voluit gentes omnes in fœdas ejuſmodi ſuperſtitiones labi, nec ex iis vel per ſpiritum, vel per verbum etiam ſuum erigere, ſed relinquere eas ſuis ipſarum viis incedere, ex eo patet, illum noluiſſe omnes ſervari ? 2. Falſum, verbis iſtis Davidem *de ſubminiſtratione ſpiritus* loqui; loquitur ille de externa revelatione verborum & jurium Dei, quam Iudæis datam docet, negatam gentibus. Et quum de beneficio communi agat, non agit de ſubminiſtratione Spiritus Dei, quæ non erat communis. 3. Et quia de inſtituta & conſervata vera Religione agit David verbis illis, ſecundùm Animadverſorem, & illam tribuit Iudæis, negat gentibus, eo ipſo oſtendit, revelationem veræ Religionis, & modum verum Deum colendi, adeòque *gratiam objectivam* ad ſalutem neceſſariam particularem eſſe, niſi cenſeat Animadverſor, inſtitutionem in vera Religione non eſſe neceſſariam, ut aliquis poſſit ſervari. 4. Si etiam inter gentiles quæ ad pietatem excitandam & conſtituendam pertinent,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

nent, omni tali virtute ſunt deſtituta,& nihil tale perficere potuerunt, an Deus qui in iſto ſtatu innumeros naſci & mori voluit, in quo omni tali virtute deſtituerentur, tales voluit ſalvari? Et quidem per media iſtiusmodi tantùm, *quæ nihil tale perficere potuerunt*. 5. Vel etiam quæ ad pietatem excitandam & conſtituendam pertinent, oculis omnium & ſingulorum mortalium objecit, vel non. Si prius, oculis omnium objecit inſtitutionem ſufficientem in vera Religione, & ejus myſteriis, quod falſiſſimum. Sic enim natura eſſet præco Euangelii, & doceret & Deum Trinunum, & Chriſtum Redemptorem,& alia id genus. Si poſterius, *gratia iſta objectiva* univerſalis non eſt. Nec enim cenſeo, *per ea quæ pertinent ad pietatem excitandam atque conſtituendam* aliud quid intelligi poſſe, præter ea quæ pertinent ad veram Religionem & verum Dei cultum conſtituendum. 6. *Incitamenta ulla pietatis* innumeris gentilibus exſtinctis in immatura ætate obverſata fuiſſe,falſum. Aliis ſalutaria obverſata fuiſſe, itidem falſum,nec enim talia eſſe poſſunt, *quæ nihil tale perficere potuere*. Imò quia *nihil boni in Religionis inſtitutione præſtare potuere*, & Deus iſta tantùm innumeris indulta voluit, noluit innumeros ſalvari. 7. Diſcrimen ſanè *reale* inter talia eſt, ſed quale id à me verè ponitur, & quale ex Pſalte demonſtratum, non verò tale,quale ab Animadverſore detortum,& tantùm ad efficacitatis ſpiritus largitionem vel negationem primò relatum in Diſſertatione. Nec vel hîc vel alibi ſe expedit, quia quoad *res revelatas* illas communiter revelatas docet, & per verbum & per τὸ γνωςὸν, uno ferme Chriſti nomine & hiſtoriâ exceptis. Iudicet itaque Lector, quis è nobis *quoad res* revelatas,vel revelationem externam,verè diſcrimen ponat *rei* & *rei*, egone an Animadverſor, qui id contra ipſum ex ipſis Pſaltis verbis directè demonſtro,de revelatione jurium & ſtatutorum,non verò de efficacitate ſpiritus indulta vel negata agi; Ille verò, quicquid obtendat, non tam *in rebus* revelatis, quàm in *efficacitate ſpiritus* concomitante, vel in *eventu* id conſtituit, ut ex dictis Lectori patebit.

CAPUT VIII.

De loco Matth. XI, 25. *An eo juguletur gratia objectiva univerſalis.*

BREVIARIUM Capitis octavi.

Exceptiones Animadverſoris. Earum Examen. Quid τὸ ἀποκαλύπτειν *&* τὸ ἀποκρύπτειν *primò & propriè deſignent. Inconſequens argumentatio exploſa. Loca oppoſita locis allegatis. Confeſſio Animadverſoris retorta. Expoſitio noſtra vindicata. Expoſitio Animadverſoris oppoſita doctrina de Gratia Univerſali. Exceptiones ejus confutatæ. Elenchus abſter-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

abſterſus. Repetitio inanis dogmatis confutati. Ἀπηλλαχίας vocabulum vindicatum. Diſſimulatio objectorum. Cur ἀπηλλαχία verborum Chriſti petenda ex Matthæo. Suppoſitio incerta. Cohæſio verborum apud Matthæum. Ἀπηλλαχίας è Luca allegatæ examen. Expoſitio alia. Verba Animadverſoris retorta. Vniverſalis gratia confutata. An univerſalitas prædicationis elici poſſit ex ſpecimine LXX diſcipulorum. Argumentum Animadverſoris retortum. Vniverſalis gratia ex eo everſæ. Cauſa indiſcriminatæ prædicationis. Quid de humana auctoritate ſtatuendum.

I. CItaveram inter alia Theſi XVII. locum ex Matth. XI, 25. ut docerem, voluntatem omnes & ſingulos ad ſalutem vocandi haudquaquam univerſalem in Deo concipi debere, quia Chriſtus teſtatur, *Deum occultaſſe myſteria ſua à ſapientibus & intelligentibus, & ea retexiſſe infantibus.* Animadverſor *regeſſiſſe ſe dicit, id non pertinere ad rem, quum diſputemus de revelatione objecti externi, locus verò ſit de interiore illuminatione, iſtam ſanè, quæ fidem creat, extendi ad paucos. Non verò inde ſequi, prædicationem externam non pertinere ad plures, certum enim eſſe, Chriſtum prædicaſſe inter Corazainos, &c. inter quos prædicationis ſuæ nullum fructum ſe tuliſſe in converſione hominis vehementer indignetur.*

II. Iſta omnia à me diligenter excuſſa in Exercitationibus noſtris, & tum locus iſte vindicatur, tum exceptio Animadverſoris confutata. A quibus repetendis me abſtineo, confutaturus ſine mora ea, quæ regeruntur ab eo in Animadverſionibus.

III. Quid verò ad mea Animadverſor p. 159. 1. Inquit, *non audere me negare, agi hîc de illuminatione interna ſpiritus, & contendere, non excludi propterea revelationem externam in objecti propoſitione conſiſtentem. Id me ex eo probare, quod* τὸ ἀποκαλύπτειν & τὸ ἀποκρύπτειν πρώτως, *& in primaria ſua ſignificatione deſignent externam vel revelationem, vel occultationem rei.* Quid iſtis opponit? 1. Exclamationem tragicam, me eſſe ſecurum diſputatorem. 2. Loca quædam Eph. I, 12. 1 Cor. II, 10. Phil. III, 25. & Joh. XII, 38. ubi τὸ ἀποκαλύπτειν adhibetur de illuminatione interiore. 3. Repetit σχῆμα illud exclamatorium, me non animadvertiſſe verbum illud, quod de rebus corporeis & externis forſan *propriè* uſurpatur, ita traduci per *metaphoram* ad alia, ut ſæpenumero de ſolis rebus interioribus accipiatur.

IV. Non exclamationes exclamationibus rependam. Indignum Theologo inſtar βωμολόχε nil niſi ſonum edere, & λαρυγγίζειν. Ratione agam, non impetu. 1. Meritò non nego quod verum; Nec cauſæ quicquam, cur id negare velim. 2. *Elenchus oppoſitorum* jure à me notatus, quaſi de utroque ibi ſermonem eſſe, implicaret abſurdum. 3. Vel πρώτως τὸ ἀποκαλύπτειν & τὸ ἀποκρύπτειν externam revelationem & occultationem de-

 ſignare

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

ſignare fatetur Animadverſor, vel negat; Si fatetur, quid litigat? Si negat, cur non oſtendit oppoſitum? Imò, annon ipſe fatetur idem paucis poſt lineis, dum, inquit, verbum illud per *metaphoram traduci à rebus corporeis atque externis*, adeòque de iſtis primo effertur, de ſpiritualibus ſecundario, quia ad has traducitur. Nec *forſan primò*, ut dubitanter loquitur, ſed omninò & verè primò de corporeis & externis effertur. 4. Quæ etiam iſta argumentandi ratio? In locis aliquibus τὸ ἀποκαλύπτειν deſignat illuminationem interiorem. Ergo ſecurus diſputator eſt, qui id alibi ad externam etiam revelationem refert. An hîc ῥητορεία & exclamatio adhibenda? An ob id debet σεμνύνεσθαι, ὡς τὴν ἐν Ἄργει ἀσπίδα καθελών; An etiam opus erat convaſare in Concordantiis aliquot loca id genus? An id in controverſiam à me vocatum, vel negatum? Annon in illo ipſo etiam Matthæi loco verbum illud à me intellectum de illuminatione interiore? Annon proclive mihi, Ducem noſtrum hîc ſequi, & ex Concordantiis oppoſitæ ſignificationis exempla congerere, & Lectori ingerere loca Matth. x, 26. Luc. II, 35. XVII, 30. Rom. I, 17, 18. VIII, 18. II Theſſ. II, 3, 6, 8. I Petr. I, 5, 12. V, I? Quum ergo negare nequeat Animadverſor, hanc ſignificationem & propriam eſſe & primam, à qua altera per *metaphoram* duntaxat traducatur, an abſurdè à me verbum illud ita expoſitum? Et an quia aliquot locis aliis aliter ſumitur, & per *traductionem* vel *metaphoram*, ſequitur hoc loco in propria ſignificatione ſumi non poſſe? *Vſquene adeò abripi ſtudio vincendi?* An à propria verborum ſignificatione recedendum ſine cauſa, ſine neceſſitate, ubi ea locum habere poteſt? Quid verò eſt τὸ ἀποκαλύπτειν propriè, niſi κάλυμμα velum externum rei objectum removere, & rem velut renudare?

V. Reſponſioni meæ per συγχώρησιν conceptæ (etſi detur hîc tantùm de conceſſione vel negatione ſpiritus ſapientiæ ſermonem eſſe, eo ipſo concidere gratiam univerſalem, quia Deus noluit tales ſervari, quibus ſpiritum non indulſit, quum ſine eo non poſſit ulli ſalutariter innoteſcere) opponit, eſſe meram *principii petitionem. Affirmamus enim*, inquit, *Deum etſi paucis ſpiritum illum indulgeat, velle tamen omnes ſervari, voluntate illâ* φιλανθρωπικῇ *atque conditionatâ. Quam affirmationem noſtram ut refellat, affert nudam negationem contradicentem.* At meminiſſe debuit I. *Petitionem principii* parùm accuratè pro petitione illius quod eſt ἐν ἀρχῇ dici. 2. An ulla probabilitatis ſpecie *elenchus* iſte hîc mihi impingi poteſt? An tantùm nego, Deum velle omnes ſervari voluntate conditionali, & nudam negationem contradicentem oppono affirmationi? Annon rationem evidentiſſimam propono, quâ evertitur univerſalis illa voluntas conditionalis? Qui non vult illud aliquibus conferre, ſine quo revelatio externa nulli

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

nulli ſalutariter innoteſcere poteſt, is eos non vult ſervari. At Deus non vult innumeris id conferre, &c. Ergo. Quod argumentum eò fortius ſtringit, quia id quo ſalutaris unicè reddi poteſt iſta revelatio, à ſolo Deo pendet. 3. Nec hîc à me affirmationi iſtius propoſitionis opponitur negatio contradicens, ſed explicatio & vindicatio loci contra illam affirmationem allati. An elementa Logica ordinaria æquè ſunt proculcanda, ac Theologia ordinaria? 4. Oſtendat Animadverſor, vel ſine Dei Spiritu externam revelationem Euangelii ſalutariter innoteſcere poſſe, vel fateatur, non modò negationem, ſed & rationem ſolidam à me adjectam. 5. Affirmatio illa magiſtralis dogmatis ſatis ſuperque confutati Animadverſori pro ratione eſt, nobis non item. Hîc etiam repetitur, ſed repetitur tantùm. Scilicet multùm proficit ἡ τοῦ ὑστέρου περιστροφή!

VI. Ἀλληλουχίας vocabulum purè Pelaſgum à me adhibitum ſuggillat, ſed indulgendum aliquid morbo, quo correptus voces & optimas quidem faſtidit, & κέγχρον τρυπῶ, ne nihil dicat, indignâ Theologo καρφολογίᾳ. Addit verò, *ἀλληλουχίαν non tantùm petendam eſſe è Matthæo, qui verba iſta recitat, ſtatim atque retulit horrendum illud væ urbibus Corazim, & Bethſaida, & Capernaum denuntiatum, ſed etiam ex Luca, qui ea narravit poſtquam dixit LXX diſcipulos reverſos ex illis regionibus, in quas eos Chriſtus circummiſerat ad Euangelium prædicandum, ei renuntiaſſe, quo ſucceſſu munere ſuo functi erant. Gaviſos enim illos vehementer, quod Dæmones ipſos virtute nominis Chriſti ſubditos ſibi habuiſſent, & proſperum ſuæ legationis eventum magnoperè ſibi gratulatos, paucis enim verbis interjectis, Lucam ſic dicere; Eo ipſo momento exultaſſe Ieſum in Spiritu & dixiſſe, gloriam tibi tribuo Pater, Domine cœli & terræ, quod hæc occultaveris ſapientibus atque intelligentibus, & revelaveris ea infantibus, etiam Pater, quia ita libuit tibi: Aut igitur iſta nullam cum antecedentibus connexionem habent, aut ſunt ad eam ſeptuaginta diſcipulorum renuntiationem referenda. Quam igitur in ea occaſionem ita exclamandi nactus eſt, niſi quod in ea veluti proluſione ſpecimen aliquod editum erat futuri ſucceſſus prædicationis Euangelicæ, quæ vocatura erat promiſcuè omnes, tam ſapientes & intelligentes, quàm eos, qui pro infantibus habentur, at converſura eos ferè tantùm, qui ſunt inter homines deſpicatui, juxta illud Pauli, videte fratres veſtram vocationem; pauci eſtis nobiles, pauci ſapientes,* &c. *Quare quum ingenium humanum ut plurimùm offendatur, & exoſculatur in eo Chriſtus Patris conſilium, & ut minueret rei admirabilitatem, vel potiùs offenſionem, ex admirabilitate natam exclamat. Confiteor tibi Domine, quæque ſequuntur. Quale igitur fuit ſpecimen illud, talis res ipſa futura fuit. Septuaginta diſcipuli nomen Chriſti publicè & nullo diſcrimine apud omnes annuntiarunt. Deus virtute ſui ſpiritus, quos libuit, convertit; Apoſtoli pariter & qui Apoſtolos ſequuti ſunt, idem Chriſti nomen apud omnes indiſcrimi-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

natim promulgare debuerunt, Deus quos vocaret efficaciter & interiore gratia ſpiritus, ex abjectioribus, præteritis iis, qui putantur eſſe magni ac ſapientes, pro liberrimo & incomprehenſo beneplacito deſignavit. Sic ſentire Calvinum, ſic Bullingerum, ſic interpretem optimum quemque, neque ſe putare, quemquam è Theologis paulò nobilioribus locum iſtum aliter eſſe interpretatum. Obſervet Lector ſine ulla φιλορείας. 1. Haudquaquam ſatisfactum eſſe ab Animadverſore à me propoſitis, imò intacta pleraque manere. 2. Verba à me citata fuere ex Matthæo, non ex Luca, ἀκολουθία ergo verborum Matthæi conſideranda, non Lucæ. At apud Matthæum nulla penitùs mentio miſſionis illius LXX diſcipulorum toto iſto capite. Nec novum, interdum à Chriſto quædam diverſis occaſionibus, & diverſo fine eſſe repetita. Supponit verò Animadverſor, velut certum & indubitatum, quod maximè dubium, verba illa quæ leguntur Matth. XI. eodem tempore prolata eſſe, & eâdem occaſione, qua probata fuere illa, quæ exſtant Luc. X. Atqui ignorare non debebat, doctiſſimos complures Harmoniarum Scriptores in alia hîc ire, & hæc verba à Chriſto Luc. X, 21. poſt reditum LXX diſcipulorum non primò prolata, ſed repetita ſtatuere. Adde, optimè verba iſta cohærere cum antecedentibus in Matthæo ſine ullo hiatu. 3. Dato etiam, è Luca petendum eſſe verborum iſtorum nexum, ne ſic quidem quicquam pro Animadverſore, vel contra nos. De quo gloriantur diſcipuli? Id verò non ab Animadverſore, ſed ab Euangeliſta hauriendum, qui docet eos ideo exultaſſe, quod etiam *dæmonia* ſibi *in nomine Chriſti obnoxia* cernerent. Nec Lucas dicit, *eo ipſo momento*, quod illi affingit Animadverſor, ſed ἐν αὐτῇ τῇ ὥρᾳ, quæ non neceſſariò eandem ſignificationem habere, notum omnibus. Iſta enim phraſis latior, ſtrictior illa. Jubet verò Chriſtus diſcipulos non de eo gaudere, quod ipſis ſubjecta eſſent dæmonia, ſed quod nomina illorum ſcripta eſſent in cælo. Quibus demum ſubjunguntur verba illa. Adeòque Chriſtus apud Lucam ibi diſcipulos de eo gaudere jubet, de quo gaudebat ipſe, & cujus nomine exultabat in ſpiritu, quia nimirum Deus & externè Euangelium ſuum revelatum voluiſſet diſcipulis ſuis, ut viam ad ſalutem, & internè id animo illorum impreſſum, quamvis eſſent velut νήπιοι, oppoſiti σοφοῖς & συνετοῖς multis, quorum aliquibus Pater & externè & internè abſconditum voluit Euangelium, quibuſdam verò externè duntaxat revelatum. Nihil itaque planè obſtat, quin de utraque revelatione verba Chriſti intelligantur. Connexionem itaque optimam habent verba iſta cum antecedentibus, nec opus gloſſemate Animadverſoris. Adde non de eventu proſpero ſuæ legationis ſibi gratulari hîc diſcipulos reduces, eo ſenſu, quod Deus intus multis revelaſſet & perſuaſiſſet Euangelium, ſed hære-

bant

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

bant illi toti in externorum ſignorum & miraculorum conſideratione, præſertim in eo, quod dæmonia ſibi eſſent obnoxia. Fingit itaque Animadverſor, haudquaquam verò è Luca ſuam ἀλληλεχίαν (quod nomen tandem Animadverſoris uſu honeſtatum, utut alibi perſtrictum, nobis gratulari debemus) educit. 4. Detur etiam, in ea proluſione ſpecimen aliquod editum eſſe faventis ſucceſſus prædicationis Euangelicæ, annon externa revelatio Euangelii iſti præmittenda ſucceſſui? Annon felicitatis pars eſt, audire Euangelium, & id alicui annuntiari, quum externè etiam occultetur multis? Et quia LXX Diſcipulorum miſſio fuit proluſio aliqua, nec illi univerſaliter ad omnes mitti potuere, haudquaquam futurum erat, ut Euangelium unquam omnibus & ſingulis proponeretur? 5. Prædicatione Euangelicâ vocatos fuiſſe promiſcuè omnes, tam ſapientes & intelligentes, quàm infantes, intellectum de plurimis ἐξαγώνιον eſt, falſum verò, intellectum de omnibus & ſingulis. Eo ipſo interea, quia prædicatio iſta ſalutaris tantùm erat futura donandis gratiâ converſionis internâ, & illa tum potiſſimùm à Deo deſtinata erat iis, qui erant maximam partem deſpicatui inter homines, juxta dictum Pauli 1 Cor. 1, 26, 27, 28. Deus omnes & ſingulos haudquaquam ſalvatos voluit, cùm ſine gratia iſta converſionis, nemo mortalium non tantùm ſalvetur, ſed etiam ſalvari poſſit. 6. Cauſa, cur Chriſtus verba illa ſubjecerit, oſtenſa, nec id obſtat, quo minus in genere dicamus, ad Patris εὐδοκίαν recurrendum eſſe, ſi humana ratio miretur, Euangelium Philoſophis & ſapientibus multis haudquaquam fuiſſe revelatum, ne externè quidem, minus perſuaſum intus, revelatum tamen plebejis multis. 7. Digreditur Animadverſor ad univerſalitatem prædicationis, quod ea ex ſpecimine LXX diſcipulorum elici poſſit. At oppoſitum potiùs inde conſtat. Regeramus enim Animadverſori verba ſua κατὰ τὸ βίαιον: Quale fuit ſpecimen, talis res ipſa futura fuit. Specimen editum à LXX Diſcipulis nomen Chriſti publicè quidem & nullo diſcrimine annuntiantibus, ſed haudquaquam apud omnes, fuit particulare. Ergo & res ipſa eo deſignata fuit particularis. Dato etiam, univerſali LXX Diſcipulorum præconio, quod apertè falſum, quid id ad gratiam univerſalem? An enim in Veteri Teſtamento idem factum? Annon in Novo tantùm hoc ſpecimen datum, & in eodem documentum, non ampliùs ſolis Judæis verbum Dei annuntiandum, verùm etiam gentibus? 8. Imò, *quia Deus virtute ſpiritus ſui tantùm quos libuit convertit*, & quia Deo libuit convertere multos ex abjectioribus (præteritis iis, qui putantur eſſe magni & ſapientes) & eos pro liberrimo & incomprehenſo beneplacito ſuo ad hoc deſignare, eoſdem tunc temporis tantùm ſalvatos voluit, quum nec virtus iſta aliun-
de

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

de haberi poſſit, nec ſuppleri aliunde, nec alii poſſint ſalvari, præterquam ſic deſignati, nec id pendeat ab ulla alia cauſa, præterquam à mero Dei beneplacito. 9. Prædicationem Apoſtolorum *indiſcriminatim* inſtitutam fuiſſe, & inſtituendam, damus, nec enim illi καρδιογνῶςαι eſſe debebant, vel de decretis Dei ſoliciti, ſed de officio ſuo. Vniverſale verò fuiſſe præconium illud, & Animadverſor ipſe negat alibi, & res docet. 10. De interpretibus nobis non laborandum in argumento, quod hominum authoritate decidi non debet; Nec illi, utut nobis notoriè faventiori in tota iſta cauſa Theologiam noſtram ſuperſtruimus, præterquam quod humana teſtimonia & eorum examen nos amoliri in hoc opere compendii cauſa teſtati fuimus, nec enim humanis præſidiis ſtat caditve cauſa noſtra.

CAPVT IX.

De loco Matth. XXII, 14. *An eo evertatur gratia univerſalis?*

BREVIARIVM Capitis noni.

Contemptus Animadverſoris retuſus. Cavilla abſterſa. Ἀλαζονεία parum theologica Animadverſoris expenſa. Argumentatio ejus inconſequens. An per multos intelligendi ſint omnes hoc loco. Omnes per accidens tantùm ſunt multi. An illatio à particulari ad particulare probari debeat. An reſpondens non argumentetur. An à poſſe ad eſſe ſolidum ducatur argumentum. Multos non poſſe deſignare omnes, loco allegato Matthæi oſtenſum. Vocationis ſufficientis particularitas ex ipſo Animadverſore demonſtrata, ut & talem loco citato intelligendam. An omnes vocentur vocatione abſolutè univerſali. An illa ſufficiens ſit vel ſalutaris, aut talis concipi poſſit. Bezæ *teſtimonium expenſum & retortum. Ignoratio elenchi oſtenſa. An omnis vocatio ſit ad ſalutem. Fines varii vocationis. Ordo ejus. An ſalus ſe extendat ultra peripheriam electionis ſub conditione. Dilemmata oppoſita Animadverſori. Parabola* Matth. XXII. *expenſa & vindicata. Scopus ejus. An Iudæi omnes ad ſalutem vocati. An convivium omnibus & ſingulis Iudæis deſtinatum fuerit. An in vocatione ex noſtra ſententia ponatur illuſio. An omnes Iudæi vocati ad beneficium. Abſurda Animadverſori impacta ex parabola illa. Quo ſenſu homines vocentur ad nuptias filii Regis, & quâ intentione. Argumentatio inconſequens Animadverſoris. An Deus deſtinârit convivium non prædito veſte nuptiali, ſub conditione. Concluſio Animadverſoris exploſa.*

I. PRopoſueram inter alios etiam locos locum qui exſtat Matth. XXII, 14. ut vocationis univerſalitatem everterem, *multos* enim duntaxat à Chriſto *vocatos* dici, non omnes. Quæ repoſuit Diſſertator, à nobis accurate expenſa fuere in Exercitationibus. Vtriuſque noſtrûm dicta ut à Lectore veritatis ſtudioſo conferantur, toto animo opto.

II. Quid

II. Quid illis opponit Animadverſor? 1. *Vix ſe continuiſſe riſum*, ait, quum legeret Annotationes meas in Sectionem XXXI. Notus eſt Σαρδώνιος γέλως, ſic multi dentium ſepto tenus rident, premunt altum corde dolorem! Lector expendat quæſo à nobis dicta, & modeſtiam viri Theologi! 2. *Iratum* me ſcripſiſſe cavillatur, quod regeſſerim dicterium de acumine, & eos de eo ſolicitos eſſe dixerim, *qui novum ſemper callem quærunt, veteris viæ pertæſi.* An ego vel ille iratus ſcripſerit, Lectoris candidi judicium eſto, ex collatione Exercitationum mearum, & Animadverſionum ipſius. Illas reperiet modeſtas & placidas, has bile, felle, dicteriis, ſarcaſmis diobolaribus ſingulis propemodùm paginis fartas. 3. Addit, me *de ſoliditate ne cogitaſſe quidem*, quod Adverſarii præjudicium nec mihi officit, nec cauſæ. Ad *judicium* Lectoris non obnoxii audacter provoco. Diſtinguet ille facilè pro candore ſuo πορφύραν περὶ τὴν πορφύραν, & quis noſtrum feſtucis pugnet, quis armis ſolidis. 4. *Salebroſæ & impeditæ diſputandi rationi me aſſuetum* pronuntiat. Et hîc Lector æquus ſententiam inter nos dicat, comparatis ſcriptis noſtris. Salebrarum cæteroquin & obſcuritatis accuſationem ab Exercitationibus meis abſterſit confeſſione ſua unus è potiſſimis Animadverſoris & Theologiæ ejus Patronis, cui omnia ſumma tribuit. 5. Addit magnifica verba & cothurno digna! *Mirabitur*, inquit, *ſe per tramites quoſdam planos illos & apertos, viâ ipſi hactenus incognitâ circumactum quidem, quia huc illuc fugitantem neceſſe habui eum proſequi, ſed tamen ad veritatis cognitionem aliquando ductum.* An Virum Theologum, ſingularem patientiæ & lenitatis Chriſti imitationem præ ſe ferentem deceat iſta ὕβρεις & θρὶξ ὕστριχος, judicabunt omnes. *Menelaum* ſaltem, ſi non Chriſtum, audire debuiſſet, docentem vetus illud οὐ μὲν καλὸν ὑπέρβιον εὐχετάασθαι. Iſtos verò *tramites planos* & *apertos* nec hactenus, qui meus ſtupor eſt, videre potui, nec quicquam in his Animadverſionibus reperi, præter contumelias, dicteria, coccyſmos perpetuos, & confutatarum poſitionum ac diſtinctionum aliquot febriculoſarum aliquoties jam exploſarum repetitiones continuas. Qui ipſi ſanè tramites non novi ſunt, ſed triti retro, non quidem ulli Theologorum Orthodoxorum, ſed dehoneſtamentis noſtri Ordinis, & Patriarchis Hæreticorum. Abſit, ut ſequar unquam Animadverſorem *per hos tramites* tam alienos ab omni candore & moderatione! Vtinam verò talia non mihi tantùm, ſed toti orbi Reformato incognita forent, melius longè ageretur cum Eccleſiis Gallicanis, & Reformatis omnibus! ſcilicet *novi tramites* erant detegendi hactenus incogniti, quibus liceret gradi ad vitam. Abſque novo hoc novi orbis detectore foret, vel nulla vel ſalebroſa tantùm nobis patuiſſet in cælum via. Miſeri verò & infelices Patres

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

noſtri, qui ante *novæ* iſtius *viæ* repertorem denati fuere! Miſeri Martyres noſtri hujus felicitatis noſtrorum temporum expertes! An ego *huc vel illuc fugitem* & *quî me perſequatur*, qui meris digreſſionibus Lectori illudit & cauſæ, judicent omnes. Ad veritatis cognitionem me ab infenſiſſimo etiam hoſte deductum revera mihi gratularer, & ſemper victor abirem ac triumphator erroris. Si etiam hoc beneficium ab Animadverſore mihi obtigiſſet, ultro id gratus faterer, ſed nullus mortalium eſt, cui minus hîc debeam, quàm ipſi, quippe qui id genus ſpeculationibus ordinariè Lectorem circumducit, quæ nihil niſi bombos pariunt, & umbras volitantes, *tricaſque, apinaſque, & ſi quid vilius iſtis.*

III. Quid verò ſubjicit dicteriolis iſtis? 1. Addideram, inquit, *omnes eſſe multos.* Egregium verò εὕρημα & conſequentia magnifica! Omnes ſunt multi: Ergo ubi de multis ſermo, ibi omnes intelligendi ſunt. Sic *ad veritatis cognitionem* eramus *deducendi!* Et hi ſunt *tramites plani & aperti!* At præterquam quod id univerſaliter ſumptum, falſum ſit, & ſumptum particulariter nihil concludat, quid hoc ad rem! 2. Oſtendi, *quod omnes faciant multitudinem, id eſſe per accidens, & non per ſe.* Regerit, *id non ad rem noſtram ullo modo attinere.* At meritò id à nobis oppoſitum: Si enim *per accidens* omnes ſint multi, & pauci etiam poſſint eſſe omnes, præter rem utique ex eo quod *multi* dicuntur vocati, contendit omnes eſſe vocatos. An verò hæc obſervatio ad rem non attinet, & non jugulat gloſſema Animadverſoris?

III. *Adjeceram*, inquit, Rom. v. & Dan. XII. *multos ſignificare omnes. Id in priori loco à me agnoſci, in poſteriori vero nonniſi per* συγχώρησιν: *Me etiam quærere, quæ ſit argumentationis ipſius firmitas, quum tamen non argumentetur, ſed reſpondeat: Multi interdum deſignant omnes: Ergo hoc loco* Matth. XXII, 14. *& utrum hoc ſit acutè argumentari, à particulari ad particulare concludere?* Quid verò opponit. 1. *Tantam rerum multitudinem atque varietatem mihi non permiſiſſe meminiſſe, quo ordine procedat noſtra diſputatio. Me argumentari, ſe reſpondere tantùm, multos ſignificare poſſe omnes. Id ſe probare ex locis in quibus id ſit manifeſtum, me ipſo fatente. Quod enim factum eſt in uno loco, fieri potuiſſe in alio, idque ſufficere ad reſponſionum mearum confutationem. Vir magnus*, addit, *neſcio quâ re perturbatus, poſtulat, ut fundamentum meæ argumentationis oſtendam. Cur, niſi quia voluit ipsâ re demonſtrare ſe non fuiſſe de acumine ſolicitum?* Quid hîc quæſo Lector præter μαισωνικὰ σκώμματα & vitilitigationem Theologo indignam? 1. Quid ſolidius Confutatione meâ, concluſionem *à particulari ad particulare* ductam eſſe inconſequentem? Multi interdum ſumuntur per omnibus: Ergo hoc loco Matt. XXII, 14. vel enim hæc illatio ſolida eſt, vel non: Si ſolida eſt, novam Philo-

ſophiam

ſophiam procudit nobis Animadverſor æquè ac novam Theologiam, & eradendus erit Canon Logicus ex Ariſtotele, *ἀμφοτέρων τῶν ὅρων ἀντων ἐν μέρει, μηδὲν συμπεραίνεται.* Sin ſolida non eſt, annon meritò à me illa rejecta? 2. Cavillatur, quod nullum in argumentatione iſta fundamentum eſſe dixi, & opponit, *ſe reſpondere non argumentari.* Quaſi verò in omni reſponſione non ſemper quædam ſit argumentatio? An reſponſio ſonus eſt ſine ſenſu? Annon in ea ſemper ratiocinatio quædam? Annon hîc intellectum vult, ideo quia Rom. v. & Dan. x i i. *multi* ſignificant omnes, vocabulum iſtud eandem ſignificationem habere poſſe Matth. x x i i. Annon hæc eſt argumentatio quædam? An qui ratiocinatur, non argumentatur? Et annon ratiocinatur reſpondens? Annon dicit ſe id probare ex locis illis, & quod factum eſt in uno loco, fieri potuiſſe in alio? An probatio rei alicujus ex alia non poteſt dici argumentatio? Cui etiam non ſolenne, reſponſionibus ſuis addere & inſerere argumentationes contra Adverſarium? Quid obvium magis in diſputando? 3. Egregia etiam reſponſio: *multos poſſe* ſignificare omnes: Ergo hoc loco ſignificare. An à *poſſe* ad *eſſe* ſolida datur illatio? Imò hîc non poteſt ita ſignificare, ut demonſtratum à nobis, falſum enim, omnes vocatos vocatione illâ de qua Chriſto ſermo, nimirum per ſervos & verbum, nec *ſine inſania* id affirmari poſſe ipſe docet. 4. An ego hîc de acumine ſolicitus fuerim, an ille de cauſa ſua, judicet Lector! An etiam *magnum* eſſe oportet ad tigilla id genus ſubruenda?

IV. Addit: *Tandem ait, Chriſtum eſſe loquutum de vocatione quæ fit per ſervos hoc eſt per prædicationem, quam vocationem, ſe fatente, nemo dixerit eſſe univerſalem quin inſaniat.* Et ſubjicit. 1. *Hoc facile ſe concedere ſine ullo cauſæ ſuæ detrimento. Nam per omnes ſe intelligere, non universè cunctos homines, ſed eos tantùm omnes, ad quos prædicatio dirigitur.* At 1. Eo ipſo cadit vocatio univerſalis ſufficiens ad ſalutem, qualis nulla dari poteſt extra verbum, quippe quod ſolum *miniſterium ſpiritus* eſſe fatetur, ſine miniſterio verò ſpiritus nulli ſalutaris eſſe poteſt vocatio. 2. Si eos tantùm omnes intelligit, ad quos prædicatio dirigitur, & prædicatio non dirigitur ad innumeros mortales, ne hodieque quidem, particularis eſt vocatio, non univerſalis, de qua Chriſtus loquitur. Et id bene à me probatum ex illo loco. 3. Et quia ut addit, *adhuc ex illis eliguntur oppido pauci*, & ſoli illi ſalvari poſſunt qui ita eliguntur, voluntas ſalvandi particularis eſt, non univerſalis. Et fruſtra fingitur voluntas conditionalis ſalvandi non electos, nec niſi cum Dei & non electorum ludibrio fingi poteſt.

V. Addit: *Etſi universè omnes homines verbo Dei non vocentur, non ſequi reliquos, qui eâ multitudine non continentur, non vocari vocatione abſolutè univerſali.*

verſali. Ipſum magnum Bezam in notis minoribus ad Rom. x, 13. *vocationem quidem eam, cujus præco eſt mundi opificium, negare eſſe ſufficientem, quod certo quodam ſenſu*, inquit, *longè veriſſimum eſt, at eam appellare univerſalem.* 1. Omnes homines vocari vocatione *abſolutè* univerſali, etiam eâ cujus præco eſt mundi opificium, falſum eſſe docent myriades multæ infantium extinctorum extra Dei fœdus. 2. Vocatio illa aut eſt ad Chriſtum & Euangelium, aut non: Si eſt, Mundi opificium Chriſti & Euangelii præco eſt: Si non eſt, non poteſt ullo modo eſſe ſalvifica, vel ſalutaris, vel ad ſalutem ducere. 3. *Bezam* vocationem, cujus præco eſt Mundi opificium, appellare *univerſalem* in Notis Minoribus ad Rom. x, 13. nec in editione Anno 1569. nec in editione Anni 1580. reperitur. Oſtendat nobis Animadverſor, in qua reperiatur, aut ſe hîc vel falſum vel fefelliſſe fateatur. Si tale quid etiam exſtiterit aliquando in primis editionibus notarum Bezæ, id ab ipſo Auctore expunctum fuit per δευτέρας φροντίδας. Habentur verò verba Bezæ in editione Anni 1580. in hunc verſum, quæ cauſam Animadverſoris evertunt: *Vera*, inquit *Beza, invocatio eſt veræ fidei teſtimonium, vera autem fides veræ vocationis, vera autem vocatio veræ electionis.* Illa ergo demum Bezæ vera vocatio dicitur, quæ fidem parit, & invocationem veram, & ex electione eſt. Mirum, cæteroquin audere Animadverſorem *Magnum* magno ſuo merito *Bezam* pro ſe citare, quem novit & alibi & hîc ſuæ ſententiæ eſſe planè adverſum, eo ipſo quia, ut ipſe hîc tradit, negat *eam eſſe ſufficientem.* Debebat verò oſtendere Animadverſor, quî illa ſufficiens ſit, & quo ſenſu. An *mediatè* fortè? At ſic æquè ſufficiens vocari poteſt, ac elementa grammatica ſunt ſufficientia ad eruditionem, aliquot nummi ad divitias? Hoc verò ludere eſt, non ratiocinari. 4. De qua vocatione etiam inter nos diſceptatur, an de vocatione ad Deum Creatorem? Haudquaquam, ſed de vocatione ad Deum Redemtorem, & λύτρον ejus. An ſic innumeris ſufficiens data fuit prædicatio? Quî etiam cenſentur vocati? Homines utique mortui in peccatis, cæci, ſurdi. An iſta vocatio ullo modo ſufficiens vocari poteſt, quæ cæcis lumen, ſurdis profert ſonum? Nec quicquam præterea facit.

VI. Addit, ſe *uſurpare poſſe frequens meum* κατὰ τὸ βίαιον: *Nam ſi pauci ſunt electi, plures verò vocati, latius multò patet vocatio quàm electio. Quum igitur vocatio illa ſit ad ſalutem, aut eam eſſe illuſoriam magnâ ſui parte, aut extra electionis peripheriam ſub conditione extendi. Id ipſum parabolam Chriſti manifeſtè evincere, quam ea verba clauſerunt; Regem enim illum qui fecerat nuptias filii ſui, qui ſervos ſuos quoquoverſum miſſitaverat, primò ut vocarent eos quibus convivium deſtinatum erat, deinde, ubi venire renuerant, ut alios accerſerent promiſcuè atque indiſcriminatim, omnes quoſcunque invenirent per vias & compita viarum*

malos

malos pariter ac bonos, hominibus non illuſiſſe, ſed egiſſe ſeriò, & ſi impurus ille qui veſtem nuptialem non attulerat, ſed ſeſe ad eam rem exornaſſet convenienter, nunquam ejiciendum fuiſſe è convivio. At nequicquam iſta obtenduntur ab Animadverſore: Nam 1. Peccat *ignoratione Elenchi.* An enim unquam negatum à nobis, multò latius patere vocationem externam quàm electionem? Annon id à nobis & alibi & his ipſis Chriſti verbis expreſſum? An verò quæſtio non eſt inter nos, an vocatio ſit univerſalis, haudquaquam verò, an latius pateat electione? Quale ergo hoc βίαιον? 2. Cur ſupponit τὸ κρινόμενον, omnes vocatos eſſe ad ſalutem? Hoc enim καθόλου aſſertum, falſum eſt, aſſertum κατὰ μέρος, nec nobis nec cauſæ noſtræ officit. At vocatio aliqua ſæpe datur ad *officium*, ad *humiliationem*, ad *convictionem*, ad *coërcitionem*, ad *exactionem debiti*, qualis fuit illa, quâ compellatur ſervus Matth. XVIII, 24, 25. Nec Deus ulli illudit à quo exigit τὸ μετανοεῖν, quod primum eſt quod in vocatione proponitur. A quo Johannes incipit, à quo Chriſtus, & Petrus Actor. II, 28, 39. Imò ipſe Deus Gen. III. terrore & minis homini peccatum ſuum impingens, antequam ei proponat promiſſionem gratiæ. 3. Si *ſalus ultra electionis peripheriam ſe ſub conditione extendit*, vel attingi poteſt ab illis qui extra electorum peripheriam ſunt conſtituti, vel non; ſi poteſt, poſſunt ſalvari non electi, & poteſt aliquis *venire ad Chriſtum*, etſi *Pater* eum *non trahat*, & poſſunt credere *non ordinati ad vitam æternam*, & poteſt *aſſequi non electio*, quæ egregia novæ Theologiæ emblemata ſunt. Sin attingi non poteſt, falſum, eam ſe extendere ultra electionis peripheriam. Et conditio illa vel præſtabilis eſt non electis, vel non; Si eſt, recurrunt abſurda ſupra dicta: ſi non eſt, fruſtra ſalus ſub ea ultra electionis peripheriam ſe extendere dicitur. Si ſalus etiam ultra electionis peripheriam extenditur, ſub conditione, vel extenditur à Deo ſub intentione, ut non electi ſerventur, vel non. Si prius, ſervabuntur, nec enim intentio Dei fruſtranea eſſe poteſt, vel Deus excidere fine ſuo: Si poſterius, ad ſalutem talium non tendit iſta vocatio, ſed ad fines alios. 4. Parabolam Chriſti evincere quod vult Animadverſor, falſum. *Scopus* ejus tantùm eſt, oſtendere, Judæorum pervicaciam, qui primò vocati per Prophetas, & poſt per Apoſtolos, vocationem reſpuerint, & pœnas horrendas ſuo jumento ſibi accerſiverint, in eorum verò locum vocatas eſſe Gentes, inter quas etiam ſint futuri hypocritæ. An ex eo ſequitur, Deum Judæos omnes per Prophetas & Apoſtolos vocatos ſalvari voluiſſe? Quaſi verò vocatio reſpectu multorum non fuerit merè *exactiva officii* vel merè *imperativa obſequii!* Annon illi vocati primò ad pœnitentiam? An Deus ignorabat etiam, illos pœnitentiam agere non poſſe, niſi illis cor carneum daret, pro lapi-

deo, quod tamen innumeris haudquaquam dare conſtituit? An ergo tales quibus id dare non conſtituit, eâ intentione vocare poterat, ut illi ſalvarentur? 5. An Judæis etiam omnibus & ſingulis convivium deſtinatum erat? Id verò vel *abſolutè* omnibus deſtinatum fuit, & ſic omnes veniſſent, vel ſub conditione. Et quid eſt deſtinare aliquid ſub conditione quam præſtare non poſſis, quæcunque impotentia intercedat, modò invicta ſit, quàm id ipſum non deſtinare? An fingendæ ſunt in Deo deſtinationes rerum non futurarum, & quæ fieri non poſſunt, & quæ ſunt contrariæ ipſi Dei decreto? An vel apud hominem ſapientem & eventus præſcium talia locum habent? 6. Nulla illuſionis hîc datur ſpecies, quia vocantur omnes, qui vocantur, ad *officium*, quod & Deus ab illis poterat exigere, & illi debebant præſtare. Si *excipiat* Animadverſor, illos vocatos fuiſſe ad *beneficium*, quia vocati dicuntur *ad convivium*, regerimus. I. Non vexandam eſſe parabolam, ſed applicandam ad ſcopum, & *formale* ejus reſpiciendum, non *materiale*. Aliàs ſequeretur, Deum intentione ſua excidere, nullum Judæorum veniſſe, Deum de novo aliquid velut inexſpectatum diſcere, & ex poſt facto demum conſilia capere, & quæ ſunt alia id genus. II. Dici hîc homines vocari ad *nuptias filii Regis*, quarum celebrationem demum ſequitur convivium: Nuntium verò de nuptiis filii Regis hîc adumbrat nuntium lætum de Chriſti Filii Dei exhibitione in carne, ut ſibi deſponſet Eccleſiam ſuam. Ad hoc nuntium amplexandum invitantur homines. Et quia in nuptiis convivia ſolent celebrari, hîc etiam ſermo de convivio, per quod intelliguntur bona, quæ conſequentur illi, qui ad nuptias illas Filii ſunt acceſſuri, ut oportet. Quia verò adventus ille ad nuptias, & gaudium propter nuptias illas priùs exiguntur, & participatio convivii ſuſpenditur ab iſta conditione, nemo verò iſtud de Filii Dei incarnatione nuntium excipere poteſt, ut oportet, niſi pater trahat ipſum, eo ipſo patet, illos duntaxat à Deo ad nuptias illas vocari hac intentione, ut iis & convivio eas ſequente potiantur, quibus ipſi gratiam facere placet acceſſus & gaudii illius: Reliquos verò convinci duntaxat ſui ſtuporis & reddi ἀναπολογήτους. Et ſanè quamvis ad nuptias externas poſſit quivis vocari ſine gratia ſpeciali, ſine tali tamen nemo poteſt venire ad nuptias Filii Dei cum Eccleſia ſua, & ad eas, ut oportet, per fidem accedere. Eo ipſo itaque quia hîc in ἀποδόσει intelliguntur ſpirituales illæ nuptiæ, & exigitur adventus ille ſpiritualis, & convivium demum ex eo ſuſpenditur, illis duntaxat deſtinatum cenſeri debet, quibus Deus gratiam dat & veniendi & gaudendi propter iſtud. XII. Nexus datur ultro Animadverſori, ſi impurus ille qui veſtem nuptialem non attulerat, ſeſe ad eam rem exornaſſet convenien-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

ter, eum nunquam fuiſſe ejiciendum è convivio: Iſta enim cohærent, officii præſtatio & beneficii conſequutio. An verò illi Deus ſeriò deſtinavit convivium ſub conditione, ut ſe ad id veſte conveniente exornaret, quem novit & malum eſſe & mendicum, nec veſtem vel habere vel habere poſſe, & quam novit, niſi ſe dante, nullomodo haberi poſſe, illi verò eum ſe dare non velle? An verò Deus etiam talem ad officium compellens, non novit eum id nec præſtiturum, nec per impotentiam ſibi attractam præſtare poſſe? Eò itaque redit tota iſta ſubtilitas, homini iſti mortuo in peccatis & malo incorrigibiliter ſalutem deſtinatam fuiſſe ſub conditione, ut actum vitalem exereret, adeòque ne mortuus ſit in peccatis, vel incorrigibiliter malus. Hi ſcilicet ſunt *plani* illi & *aperti tramites* admiratione digni, per quos eramus deducendi! De Calvini verbis quæ attingit, & ſarcaſmo ſubjecto ſolicitus non ſum. De priori quidem, ob inſtitutum noſtrum de humana auctoritate hîc non litigandi, ut quæ ad ſummam rei non facit, ad quam cæteroquin proclive nobis foret multa excipere. De poſteriori verò, non magis ſolicitus eſſe debeo, quia ſacra ſanctè & graviter tranctanda, nec contaminanda iſta purpura luto vel ſordibus.

CAPVT X.

De loco Actor. XIV, 16. *An eo evertatur gratia univerſalis.*

BREVIARIVM Capitis decimi.

Querela injuſta Animadverſoris. Digreſſio non neceſſaria. Inefficacis vocationis πρόβλημα *expenſum & retortum. Animadverſoris contradictio. Abſurda varia. Vocatio extra verbum non tantùm inefficax eſt, ſed etiam inſufficiens in genere objecti. Gratiæ efficacis mala deſcriptio. Verba Pauli vindicata. Quo ſenſu ſiverit Deus gentes ſuis ipſarum viis incedere. Quî Deus ſe non reliquerit* ἀμάρτυρον *reſpectu Gentilium. An omnis invitatio ad pœnitentiam ſit ex intentione ſalvandi. Aſſertio falſa Animadverſoris, revicta. Invitationis ad pœnitentiam & fidem diverſitas. Spei & fiduciæ ſalutis propoſitio diverſa. Verba Animadverſoris retorta. Invitationis ad pœnitentiam particularitas demonſtrata. Vocationis particularitas etiam in N. Teſtamento.*

I. ADduxeram eâdem theſi locum ex Actor. XIV, 16. oppoſita ab Animadverſore in Diſſertatione à me cum cura expenſa, nec quicquam prætermiſſum, quod non cum ramento & pulviſculo omni excuſſum eſſet.

II. Quid hîc Animadverſor? 1. *Accuratè*, inquit, *à ſe reſponſum.* De eo verò Lectoris æqui judicio ſtandum, non Animadverſoris, qui animad-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

vertet nihil reſponſum fuiſſe, quod ullo modo à me poſita convellat. 2. Conqueritur de multitudine à me oppoſitorum, quod prolicuerit ipſi peculiarem περὶ τοῦ γνωστοῦ diſputationem. Illis multis verò potiùs reſpondendum erat, quàm digreſſione non neceſſaria meditationes jam diu ante paratæ Lectori cum ſummo faſtidio obtrudendæ. Quî etiam eo penſo defunctus fuerit, videbitur ſuo loco. 3. *Hoc unum ſat eſſe ad ſolutionem argumenti dicit. Duplicem eſſe rationem revocandorum hominum ex iis viis in quibus errant; efficacem atque inefficacem. Inefficacem illam, quæ conſiſtit in mera objecti repræſentatione extrinſecus oblata, quam nulla virtus interior comitatur. Efficacem verò, quæ ita objectum extrinſecus proponit, ut addat præterea virtutem aliquam, cujus ope mens intus ita comparatur, ut objectum non reſpuat. Hanc quia Deus ad Gentilium converſionem non adhibuit, dicitur eos ſiviſſe ambulare atque errare palantes in viis ſuis. Illam quia ſequutus eſt, dicitur ſe non reliquiſſe ἀμάρτυρον, & eos ad pœnitentiam invitaſſe. Quando igitur,* addit, *de hoc uno inſtituta eſt, inter me & virum doctum diſputatio, num Deus objectum hominibus in illa μαρτυρίᾳ Providentiæ obtulerit, quo ad pœnitentiam & ad ſpem ſalutis invitarentur, non autem an inſtrumentum aliquod efficax ad eorum converſionem admolitus ſit, quod factum non eſſe certiſſimum eſt, inutiliter ex eo loco probatur id, de quo nulla controverſia eſt, quum id, de quo diſceptatur inter nos, omninò intactum prætermittatur.*

III. Quid verò frigidius & inutilius iſtâ reſponſione! 1. Peccatur *ignoratione elenchi.* Quæritur inter nos, an Deus revera velit omnes & ſingulos ſalvari. An verò talis voluntas vel homini ſapienti adſcribi poteſt, ſi velit *inefficacem* tantùm adhibere *rationem* homini revocando ab errore vel præcipitio, ſi *efficacem* poſſit ſine ullo bonitatis ſuæ diſpendio, nolit tamen? Quid interea ſine iſta juvat aliquem adhibere agendi rationem, quam ſciat non tantùm non eſſe efficacem, ſed & neceſſariò & inevitabiliter futuram talem, & quæ talis eſt ex decreto illius ipſius, qui ita omnia diſpenſare voluit, ut certò homo in errorem & præcipitium iſtud, quamvis ſuâ ſponte & ſuâ culpâ incideret? Annon inde meritò infertur, potiùs noluntas tales ſalvandi quàm voluntas? 2. Annon Animadverſor multis rationibus contendit contra celebrem quendam Theologum, gratiam ſubjectivam aliquam extendentem ad omnes vocatos per verbum, fruſtra poni iſtam gratiam, niſi ponatur efficax? Annon multò magis optimo jure etiam id ipſum in eum retorqueri poteſt, prout à nobis regeſtum fuit in Anterotematibus noſtris, ad quæ compendioſo reſpondendi genere ſilendo reſpondit, idque, ut innuit, ex Medicorum Conſilio. 3. An ſi ſcias hominem oculis orbum eſſe, & ipſi proponas clariſſimam etiam facem, capacem ad omnes omnino tenebras externas diſpel-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

diſpellendas, ſeriò dici potes velle ut ille videat, præſertim ſi in tua manu ſit, cæcitatem illius curare, nolis tamen? Annon impotentia invicta ſimilis (in quo uno comparatio inſtituitur) in homine animali, quamvis diverſi generis dicatur, ad intuitionem ſalutarem luminis ſibi propoſiti? 4. Non tantùm *inefficax* dicenda iſta ratio, ſed *inſufficiens* etiam, idque non tantùm *ratione eventus* ſed & *naturâ ſuâ*, in genere etiam *cauſæ objectivæ*, quippe quæ vel repræſentat Deum Trinunum, Meſſiam & expiationem peccatorum per eum, vel ſufficiens in hoc etiam genere dici nequit. Talem verò lucem omnibus & ſingulis in natura à Deo exhibitam, vel in ea videri potuiſſe, falſum. Ratio itaque talis non eſt ratio hominem ab errore revocandi, ſed ratio tantùm eum in errore relinquendi. 5. Peccat denuò Animadverſor *elencho definitionis*, gratiæ efficacis, quaſi in eo duntaxat conſiſtat, ut *addat virtutem aliquam cujus ope mens ita comparetur ut objectum non reſpuat*. An verò converſionis gratia mentem tantùm ita afficit, ut eam comparet ne reſpuat objectum? 6. Falſiſſimum, Paulum ideò dicere, *Deum ſiviſſe gentes ſuis ipſarum viis incedere*, *quod efficacem iſtam vocationem ad gentilium converſionem non adhibuerit, etſi exhibuerit externam & inefficacem*. Gloſſema iſtud diſertè evertit verba Spiritus ſancti. Quo enim ſenſu dicitur Deus prioribus ætatibus ſiviſſe gentes omnes ſuis ipſarum viis incedere? Annon quia illis ſub œconomia Veteris Teſtamenti prius euangelizari non curavit, prout curavit euangelizari per Paulum Athenienſibus? Annon evidentiſſima *antitheſis* eſt in verbis quæ habentur v. 14. & 15? *Euangelizamus vobis, ut convertamini* ἀπὸ τέτων τῶν ματαίων ad Deum vivum. Iſtud verò beneficium antehac gentibus non obtigiſſe addit, quippe quos Deus ſiverit ſuis ipſarum viis incedere. Et ſanè hîc idem dicit Apoſtolus, quod à Davide dictum Pſal. CXLVII. ſuprà oſtendimus, *quod Deus verba ſua, jura & ſtatuta Iſraëli* patefecerit, gentibus non item. Annon idem iſtud exprimitur ab Apoſtolo Epheſ. II, 12. gentes tum fuiſſe *ſine Chriſto, alienos à politia Iſraëlis, peregrinos à fœderibus promiſſionis, ſpem non habentes, & ſine Deo?* Falſum itaque, eâ tantùm de cauſa, quia Deus efficacem vocationem non adhibuit ad gentilium converſionem, eum dici *ſiviſſe gentes ambulare in viis ſuis*. Annon Euangelium dicitur myſterium σεσιγημένον reſpectu gentilium à temporibus ſeculi, & manifeſtatum tantùm per Scripturas Propheticas, haudquaquam verò per viam providentiæ? Rom. XV, 25. 7. Quî Deus ſe non reliquiſſe dicatur ἀμάρτυρον, reſpectu gentilium, non ex gloſſemate Animadverſoris, ſed ex ipſius Apoſtoli verbis, & commentario ſequente petendum: In eo verò conſiſtere dicitur, quod *pluvias* illis *dederit cœlitus* & *tempora fructifera*, & *corda eorum impleverit cibo & gaudio*? An hoc eſt hominem ducere ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

Deum Redemptorem, & repræſentare τὴν σοφίαν τὴν ἐν μυστηρίῳ de Meſſia & peccatorum per eum expiatione, quæ ſola fundamentum poteſt eſſe ſpei & fiduciæ veræ remiſſionis peccatorum? An qui novit cor pœnitere neſcium hominum, & illud emollire noluit, talibus voluit eo fine iſta proponere, ut vel ad pœnitentiam revera perducerentur, vel ad ſalutem? Nec omnis invitatio ad pœnitentiam gratioſa eſt, ſed ſevera quandoque & merè *exactiva officii*, quæ haudquaquam eo fine proponitur homini corrupto, ut per eam perveniat ad vitam. 8. Falſum, de hoc uno inſtitui inter nos diſputationem, num *Deus objectum hominibus in illa μαρτυρίᾳ providentiæ obtulerit, quo ad pœnitentiam & ad ſpem ſalutis invitarentur.* At de plurimis aliis diſputamus? An Deus habuerit voluntatem univerſalem conditionatam omnes & ſingulos ſalvandi? An Chriſtus redemptionem univerſalem conditionatam exhibuerit Deo Patri? An Deus omnes & ſingulos mortalium invitaverit ad iſtius Redemptionis amplexationem, & conditionis, hoc eſt, fidei præſtationem? An iſta non ſunt controverſa inter nos? Si ſunt, cur diſceptationem noſtram ad hoc unum redigit? Si non ſunt, cur de illis litigat? Nec excipere poteſt hîc, de hoc uno controverti. Patet enim ex Theſi mea XVII; ubi hunc locum adduxi, me ex eo concluſiſſe, Deum non duxiſſe gentes illas, quas ſivit ſuis ipſarum viis incedere, ad Deum Redemptorem, & ad τὴν σοφίαν τὴν ἐν μυστηρίῳ, ſufficientem ad converſionem, etiam in genere *gratiæ objectivæ*, qualis nulla datur extra revelationem Chriſti. Aliud verò eſt, exhibere objectum, quo pœnitentia à te exigitur, aliud exhibere objectum, quo inviteris ad fidem, aliud etiam eſt, teſtimonium, quo ſpes aliqua præferri videatur placabilitatis Dei, aliud, quo præfertur argumentum fiduciæ fundatum in actuali Dei placatione. *Pœnitentia* ſimpliciter ut officium exigi poteſt, & ab homine præſtari debet, ut tale, quamvis nulla adſit ſpes veniæ. Aliàs ſine Euangelii vel gratiæ propoſitione nemo debuiſſet agere pœnitentiam de peccatis à ſe admiſſis, quo nihil abſurdius. Nec *ſpes duntaxat ſalutis* aliqua proponitur in Euangelio, ſed & fiducia, & ejus in Chriſto acquiſitio, nec placabilitas duntaxat Dei, ſed & actualis ejus placatio. 9. Eo ipſo etiam, quia certiſſimum eſt, Deum *inſtrumentum aliquod efficax* ad hominis converſionem *admolitum non eſſe*, nec admoliri voluiſſe, inutiliter planè & jejunè dicitur Deus habuiſſe voluntatem eos ſalvandi, quibus neceſſarium ejuſmodi inſtrumentum admoliendum erat, ut illi poſſint ſalvari. 10. Oſtendat etiam nobis Animadverſor rationem iſtius teſtimonii, & objectum invitans ad pœnitentiam & ſpem, reſpectu myriadum multarum, quæ ſubductæ è vivis antequam vel pœnitentiæ vel ſpei nomen aut naturam concipere poſſent? 11. Imò

cùm

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

cùm in N. Teſtamento fateatur *diſtinctam Chriſti cognitionem* neceſſariam eſſe ad ſalutem, poſtquam vidit à Synodis & amicis ſuis propriis exploſam fuiſſe *fidem* à ſe propoſitam *ſine cognitione Chriſti*, an diſtincta Chriſti revelatio obtigit plurimis gentibus & innumeris inter illas individuis, in N. etiam Teſtamento? An ergo gratia objectiva ſufficiens? Iudicet jam Lector, quis noſtrûm ſolidè cauſam ſuam ex hoc loco demonſtrârit, & an id inutiliter probarim, de quo nulla controverſia eſt, id verò de quo diſceptatur inter nos, omnino prætermiſerim intactum, quod mihi contra fas omne hîc impactum it Animadverſor.

CAPVT XI.

An locis Matth. x, 5. & Act. XVI, 7. *evertatur gratia univerſalis.*

BREVIARIVM Capitis undecimi.

Repetitiò perpetua eorundem notata. An mera repræſentatio objecti proponatur cum intentione ſalvandi. Vniverſalis repræſentatio objecti, everſa. Voluntatis Dei duplicis diſtinctio, inanis. Voluntas εὐαρεστίας *malè & explicata & applicata. Quid Deus intendat. Aliud, Deo aliquid gratum eſſe, ubi eſt, aliud, ut id ſit in ſingulis.* Velleitates *Deo adſcriptæ, exploſæ. Loquutio* ἀκυρόλογος. *Deum noluiſſe objectum neceſſarium extrinſecus omnibus proponi probatur. Mira Animadverſoris diſputandi ratio. Voluntas univerſalis omnes ſalvandi everſa ipſiusmet verbis. Illatio mira oppoſiti ex oppoſito. Vocationis inſufficientia reſpectu multorum. Quî Deus aliquid vel efficere velit, vel fieri. Objectio de ſapientia Dei retorta in Animadverſorem. Quî naturæ ſapienti conveniat invitatio ad pœnitentiam. Invitatio univerſalis ad ſalutem everſa. Declinatio quæſtionis aperta. Ignoratio Elenchi, & mutatio ſtatus controverſiæ. Vocationis particularitas probata.* Τοῦ χρηστοῦ τοῦ Θεοῦ *allegatio inanis. Ignoratio alia Elenchi, & declinatio quæſtionis. Verba Animadverſoris retorta. Cauſa prædicationis Euangelii ſunt ſoli electi. Particularis vocatio & particularis ſalvandi voluntas, oſtenſa. Mandatum prædicationis geminum confuſum ab Animadverſore. Verba Animadverſoris retorta contra univerſalem vocationem. Invitationis per* τὸ χρηστὸν *inſufficientia.*

I. DVximus argumentum eadem Theſi XVII. ex locis iſtis, & demonſtravimus, iis gratiam univerſalem everti. *Exceptiones* quin etiam Animadverſoris cõfutavimus κατὰ πόδα in Exercitationibus noſtris, cauſam noſtram non contumeliis, nec conviciis, nec dicteriis, vindicando, qualibus armis pugnat ubique, ſed denſâ vel verborum Scripturæ vel rationum congerie.

II. Quid nobis hîc reponit Animadverſor? 1. *Reſponſionem paulò generaliorem ad hæc loca pendere ex ſuperiore. Vti duplex eſt ratio vocandi homines ad ſalutem, una quæ conſiſtit in mera objecti repræſentatione externa, altera quæ*

ſita eſt in adhibitione efficacitatis alicujus internæ, ſic duplex, inquit, *eſt Dei in eo negotio voluntas. Vna eſt vehemens & definita, quæ omnia impedimenta perrumpere conſtituit, ut rem quam perficere deliberatum habet, tandem aliquando det effectam. Altera conſiſtit in* εὐαρεσίᾳ, *quæ eò quidem propendet & inclinatur, ut & rem, quam intendit, gratam habeat atque acceptam, & eam effici procuret, quantùm id objecti propoſitione atque externa invitatione impetrari poteſt: Non verò eò uſque vehementiæ progredi, ut quæ in malitia ingenii humani obſtacula ſita ſunt, illa pervincere adhibitione omnipotentiæ moliatur. Conſtare quidem certè, Deum noluiſſe ſalutem vel gentium vel Samaritanorum, apud quos Euangelium promulgari noluit, ab ea voluntate, quæ nihil reliqui ſibi facit, quo minus id revera præſtet, quod conſilio deſignavit. At non inde ſequi, Deum eorum noluiſſe ſalutem ab ea voluntate, quæ conſiſtit in* εὐαρεσίᾳ *quæque externâ invitatione & objecti propoſitione contenta eſt. Vt enim ex eo quod inſtrumentum illud ſolum efficax apud eos non eſt adhibitum à Deo, rectiſſimè colligitur, Deum noluiſſe eos vocare efficaciter: ſic eo quod illos objecti externi repræſentatione invitavit, colligere atque concludere promptum eſſe, non vacaſſe eum omni voluntate tales ſervandi. Nimirum ut non decet ejus ſapientiam, quum aliquid deſtinato conſilio efficere vult, non admovere inſtrumenta abſolutè neceſſaria: ſic illius naturæ cum ſapienti tum veraci non convenire, quemquam ullo modo invitare ad eam rem, quam omnino non præbere decrevit.*

III. Obſervet Lector. 1. Eandem diſtinctionem perpetuò repeti centies exploſam, & confutatam. 2. *Rationem vocandi conſiſtentem in mera objecti repræſentatione externa* ſitam exhiberi non poſſe, eâ intentione ut ille ſalvetur, quem nôris nec oculos habere, nec mentem diſpoſitam ad ejus receptionem, ob defectum incorrigibilem & inſuperabilem ſive is *moralis* dicatur ſive *naturalis*. Et quem curare poſſis, nolis tamen. 3. Vniverſalem objecti repræſentationem ſupponi, non probari, objectum enim quod neceſſariò hîc repræſentandum eſt, Chriſtus eſt & actualis Dei per eum placatio, quæ nunquam univerſaliter propoſita fuere. Imò ne in Novo quidem Teſtamento ad omnes hactenus œconomiæ Chriſti miniſterium pertigit. Oſtenſum etiam, ne τὸ γνωστὸν quidem τοῦ Θεοῦ omnibus & ſingulis mortalium, vel per ſtuporem, aut defectus naturales alios, hebetudinem v. g. aut ſenſuum aut rationis, vel per ætatem etiam objici potuiſſe. 4. *Non alicujus tantùm efficacitatis internæ adhibitione opus eſt*, ſed vorticordiæ, ut ipſe diſputat contra Theologum celeberrimum. 5. His ipſis locis à me allatis tollitur evidenter univerſalis propoſitio objecti, & à gentibus ac Samaritanis, & ab incolis Bithyniæ, idque ex ordinatione Dei, è quibus plurimi ſublati, antequam Euangelium ad loca illa perveniret. 6. Duplex in eo negotio Dei voluntas ſupponitur, non probatur.

Et

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

Et repetuntur tantùm nova Scholæ placita, ut demonſtratum. Vna tantùm verè & propriè Dei voluntas eſt, quam hîc vocat Animadverſor *vehementem* ac *definitam*, quæ omnia impedimenta perrumpere conſtituit, ut rem det effectam. Nemo qui ſapit aliam voluntatem habet, ſi effectus ab eo ſolo pendeat, & eum ſeriò deſideret, & nôrit aliter eum obtineri non poſſe. 7. Voluntas εὐαρεστίας & malè explicatur, & malè Deo affingitur, quod eo propendeat & inclinet, ut rem, quam intendit, gratam habeat & acceptam, & eam efficere procuret, quantum id objecti propoſitione & externâ invitatione impetrari poteſt. Nihil enim Deus intendit, quod non fiat, vel efficacitate ipſius, ſi bonum ſit, vel permiſſione ipſius, hoc eſt, non impeditione & directione, ſi ſit malum. Imò nihil Deus intendere propriè dicitur, præter gloriam ſuam, nihil enim intendit accuratè loquendo, quod non ſummè amabile eſt. Quis quæſo hominem non prorſus ſtupidum intendere dicat, quod ſciat non tantùm non futurum, ſed etiam ne fieri quidem poſſe, & quod ne fieret apud ſe jamdudum conſtituit, ſi res ab eo uno pendere ſupponatur? Ipſa ſanè converſio, & ſalus vel *bonum* tum *virtutis* tum *felicitatis* ubicunque datur, non poſſunt non Deo grata eſſe, ſed Deo gratum eſſe, ut in omnibus ſint, id verò falſum. Si enim hoc gratum fuiſſet Deo, nihil obſtare potuiſſet, quominus darentur in omnibus, & Deus ſapientiſſimè providiſſet, ut in omnibus talia eſſent, nec ei rei quicquam interceſſiſſet, vel intercedere potuiſſet. 8. Nemo ſapienter dici poteſt intendere aliquid per objecti propoſitionem, & externam invitationem, quod ſcit per ea impetrari non poſſe, non magis quam ſi quis dicat intendi face cæci oculis admotâ, ut videat. 9. Indignæ Dei majeſtate & ſapientiâ ſunt iſtæ loquutiones, *voluntatem Dei eò uſque vehementiæ non progredi, ut obſtacula pervincere, adhibitione omnipotentiæ, moliatur.* Quid hoc enim aliud eſt quàm *velleitates*, deſideria inania, volitiones graduales, & magis vel minus vehementes, contra ſanam omnem rationem, Deo adſcribere? Imò quia Deus novit, niſi adhibeat omnipotentiam ad pervincenda iſta obſtacula, ut loquitur, fruſtranea fore omnia reliqua, & tamen eam adhibere non vult, talem eventum ab eo intendi, dici ſapienter nequit. Nec molitione anxiâ Deus opus habet ad pervincenda obſtacula, ſola voluntas Dei operi iſti & omnibus aliis perficiendis ſufficit. 10. Non tantùm conſtat, Deum noluiſſe vel Gentium vel Samaritanorum ſalutem iſtâ voluntate, quæ revera præſtat, *quod conſilio deſignavit*, ſed & loco iſto probatum, Deum noluiſſe Euangelium extrinſecus etiam, & quidem ſub œconomia N. Teſtamenti, multis ex illis proponi, adeòque Deum noluiſſe objectum iſtud repræſentari, ſine cujus cognitione ſalus dari non poterat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

rat. Egregia verò iſta diſputandi ratio! Probatum à me expreſſiſſimis locis, Deum objectum multis propoſitum noluiſſe; reſpondet Animadverſor, non inde ſequi, Deum noluiſſe eorum ſalutem ab ea voluntate, *quæ objecti propoſitione contenta eſt.* Quid projectum magis & putidum? At annon prohibuit Paulum & Apoſtolos adire tales, & illis annuntiare Euangelium? Quid verò hoc eſt, niſi impedire illos ne proponerent objectum, & nolle id multis proponi? An tales externè invitati ad Chriſtum, quibus beneficium iſtud innoteſcere noluit? Iſta revera mira ſunt, & oſtendunt, quò uſque præconcepta dogmata tuendi vel libido vel pertinacia deducat. 11. Et quia rectiſſimè colligitur ex eo, quod inſtrumentum illud ſolum efficax apud eos adhibitum non eſt à Deo, Deum noluiſſe eos vocare efficaciter, rectiſſimè etiam inde colligitur, Deum noluiſſe tales ſervari, cùm nonniſi hoc uno medio adhibito homines ſervari poſſint. Qui enim non vult erga hominem, verbi gratiâ, in mare demerſum, illud unum remedium adhibere, quo inde extrahi poteſt, ille hominem perire vult in aquis, non ex eis emergere, quando in ipſius manu eſt, illi & funem tendere, magis ſi in ipſius manu eſſet, illi facultatem & voluntatem dare funem apprehendendi, nollet tamen. 12. Notet etiam Lector egregiam illationem! Probatum à nobis, Deum noluiſſe diſcipulos ſuos ire in viam gentium, & in urbes Samaritanorum, vel Paulum & Timotheum contendere Bithyniam verſus, adeòque noluiſſe illis Euangelium annuntiari: Hinc ille colligit, Deum illos (de iſtis enim hîc nobis ſermo & ipſi Animadverſori immediatè antè) *objecti externi repræſentatione invitaſſe,* adeòque non omni voluntate tales ſervandi vocaſſe. Quibus hîc exclamationibus non opus foret? At eo ipſo, quia illud noluit, noluit illis objectum externum neceſſarium cognitu ad ſalutem, ſub Novo ſaltem Teſtamento, repræſentari. Sin idem de aliis objiciatur, quibus objectum externum repræſentatum, varii à nobis vocationis externæ fines indicati, qui & ſancti ſunt & ſapientiſſimi, etſi nullâ voluntate tales ſalvandi ſuppoſitâ. Et ſanè tales tantùm dici poſſunt invitati fuiſſe per τὸ γνωςὸν τοῦ Θεοῦ ad pœnitentiam. At illud nec ſufficiebat ampliùs, ſaltem in N. Teſtamento; *ex hypotheſi* ipſius Animadverſoris, nec quicquam erat niſi exactio officii. 13. Nihil etiam Deus vel efficere vult vel fieri, quod *non deſtinato conſilio* velit, nec enim alia ſummè ſapientis voluntas eſſe poteſt, qui conſilia irrita & inania habere non poteſt ſine naturæ ſuæ perfectiſſimæ everſione, quæ homini vel minimùm provido in culpam imputari ſolent. Quotieſcunque itaque aliquid revera vult, inſtrumenta abſolutè neceſſaria admovet. 14. Invadit Animadverſor ſæpè acriter in me, quando dico, aliquid ſapientiæ Dei non convenire, & inſultat mihi procaciter, quaſi ſapientiæ

pientiæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

pientiæ Dei rationes omnes perſpectas mihi eſſe cenſeam. Vel itaque ipſe perſpectas eas omnes habet, quod an ſibi tribuat nos docebit, vel ſi eas perſpectas non habet, aut ego ex ſapientia Dei argumentum ducens abſolvendus ſum, vel ipſe juxta mecum damnandus. Proclive enim hîc mihi regerere, eum rationes omnes ſapientiæ Dei perſpectas non habere, adeòque non ſequi tale quid, non decere ejus ſapientiam, vel *illius naturæ ſapienti non convenire.* 15. Adde, & ſapienti & veraci naturæ omnino convenire, hominem invitare ad rem, quam præſtare debet, nimirum pœnitentiam, quamvis ejus præſtandæ facultatem ei conferre nolit, quod ipſe reſpectu innumerorum fateri cogitur. Si obtendatur ab Animadverſore invitatio ad ſalutem, ſupponit eam univerſalem eſſe, non probat, & eo ipſo, quia Deus eam ſuſpendit à conditione à ſe ſolo pendente, nec aliunde parabili, & decrevit ejus gratiam paucis largiri, noluit omnes ſalvari, non voluit, non magis quàm ſi quis proponat captivo liberationem, ſi cancellos ferreos perrumpat, quamvis nôrit eum loco ſe movere non poſſe, ille liberationem captivo illi promittere cenſeri non debet, ſed potiùs miſeriæ illius illudere. Chriſti verò in miniſterio verbi proceſſus ſanctiſſimus eſt & ſapientiſſimus exigendi τὸ μετανοεῖν, interdum ad *converſionem*, interdum ad ſolam *convictionem* & humiliationem, utrumque pro libertate ſua & jure partim αὐτοκρατορικῷ, partim ſubnixo hominis officio. Nec unquam is illudit alii qui exigit ab eo id quod debet, etſi ſuo jumento impotentiam id præſtandi ſibi accerſiverit.

IV. Videamus jam *ſpeciales* Animadverſoris reſponſiones 1. *Specialius*, inquit, ad *priorem locum reſponderi poteſt, miſſionem illam diſcipulorum Chriſti, cujus mentio eſt* Matth. x, 5. *pertinuiſſe ad id Chriſti miniſterium, de quo ſupra dictum eſt, quum rationem reddidimus cur* διάκονος τῆς περιτομῆς *appellaretur. Sic enim Dei ſapientiâ comparatum erat, ut quamdiu Chriſtus in terris degeret, ejus prædicatio ſolis Iudæis addiceretur. Poſtquam cœlo receptus eſt, Deique veritas atque amor erga populum iſtum teſtatus fuit, tum ſalutis nuntius ſeſe ad reliquos populos late diffudit. Interea, ubi vox Apoſtolorum ſilebat,* τὸ χρηστὸν τοῦ Θεοῦ *ex omnibus mundi partibus ſeſe exerens, homines ſonorâ, ut loquitur Calvinus, prædicatione alloquebatur.* Obſervet Lector 1. Declinari ab Animadverſore ſtatum quæſtionis, quæritur inter nos, an objectum ſufficiens ad ſalutem, adeòque doctrina Euangelii, ſub Novo ſaltem Teſtamento omnibus propoſita fuerit, vel non: Probatam dedimus partem negativam allegatione loci Matth. x, 5. quia Euangelium Gentibus & Samaritanis proponi diſerto Chriſti interdicto diu non debuit. Reſpondet Animadverſor, miſſionem illam diſcipulorum pertinuiſſe ad id Chriſti miniſterium in terris, ubi ejus, ut miniſtri circumciſionis, prædicatio

ſolis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

ſolis Judæis addici debebat. At non quærimus *de cauſa*, cur id factum ſit, ſed *de re*, an id factum ſit? De *cauſa* non litigamus, nec dubitamus, ſapientiſſimè Chriſtum intra fines Gentis Judaicæ ſe continuiſſe. Quia verò tale, ex voluntate Dei, eſſe debuit Chriſti miniſterium, negamus meritò, gentibus & Samaritanis Deum eo tempore voluiſſe objectum ſufficiens propoſitum ad ſalutem. Nec agitur hîc tantum de Chriſti prædicatione, ſed & de prædicatione Apoſtolorum à Chriſto inſtitutorum, quos & ipſos voluit ſe in prima miſſione quæ Matth. x. intra fines gentis Judaicæ continere. 2. Quot etiam homines exſpirarunt inter Gentiles & Samaritanos, antequam Chriſtus cælo reciperetur, & ſalutis nuntius ſeſe ad reliquos populos latè diffunderet? Ipſe fatetur in Defenſione Calvini, non tantùm longo temporis tractu ad id opus fuiſſe, ſed ne hodieque quidem Euangelium populis omnibus innoteſcere. Sin Deo aliter viſum fuiſſet, potuiſſet & amorem ſuum erga populum Judaicum ſufficienter teſtari, & tamen Euangelicum lumen gratiæ æquè diffundere ac lumen naturæ. 3. An verò τὸ χρηστὸν τοῦ Θεοῦ ex omnibus mundi partibus ſeſe exerens hominibus propoſuit Chriſtum & placamentum per eum Deo exhibitum? Id verò nec Calvinus dicit, nec verum eſt. Agimus verò non de prædicatione Dei Creatoris, ſed de prædicatione Dei Redemptoris, & de ſapientia Dei quæ in myſterio eſſe dicitur, ut diſertè habet Theſis noſtra XVII. Nihil ergo agit Animadverſor iſtâ exceptione.

V. An verò melius rem gerit loco poſteriore? *Ad poſteriorem*, inquit, *ſpecialior reſponſio in promptu eſt. Quia nulli tum in Bithynia electi vocandi erant, opera autem Pauli & Barnabæ erat alibi magis neceſſaria, ſpiritus qui eorum miniſterium regebat atque moderabatur, quique illis in mandatis dederat, ut facem Euangelii per univerſum terrarum orbem circumferrent, eos aliquantiſper avocavit ab eis locis, ad quos eos ferebat animi ſui impetus, ut operam iis navarent quorum tempus appetiverat, ut ad Chriſti cognitionem efficaciter vocarentur. At interim idem* τὸ χρηστὸν τοῦ θεοῦ *alios ad pœnitentiam invitabat.* At 1. Quid hîc denuo præter meram *ignorationem Elenchi?* Quæritur, an Deus omnibus objectum neceſſarium ad ſalutem repræſentatum voluerit per vocationem externam, oſtendi, id non factum, ex eo quod Deus prohibuit Apoſtolos, ne incolis Bithyniæ aliquandiu annuntiarent Euangelium. Quid hîc regerit Animadverſor? *Cauſam* adducere conatur, cur id Deus prohibuerit. At non agitur *de cauſa* prohibitionis, ſed *de re*, annon prædicatio Euangelii certis locis à Deo diu prohibita fuerit, adeòque annon concidat univerſalis vocatio ad ſalutem neceſſaria? 2. Si cauſa prohibitionis, ne prædicaretur Euangelium, fuit, quod nulli tum in Bithynia electi vocandi erant: Ergo directus finis prædicationis Euangelii & *per ſe* eſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

eſt electorum vocatio, adeòque illorum converſioni deſtinatur miniſterium verbi non verò converſioni aliorum. Et ſanè, ſi, ubi nulli electi ſunt vocandi, Euangelium non prædicatur, propter illos tantùm prædicatur per ſe, quod abſurdum alibi videtur Animadverſori. Sua itaque denuò hîc vineta cædit. 3. Cur etiam Deus operam Pauli & Barnabæ alibi magis neceſſariam eſſe voluit, niſi quia alios elegit alibi, non in Bithynia, alios alibi converti voluit, non hîc, & ſemper manet particularitas iſtius vocationis, quam ex hoc loco demonſtravimus, adeòque & particularis voluntas de ſalvandis hominibus. 4. Falſum, Spiritum ſanctum in prima miſſione diſcipulis Matth. x. in mandatis dediſſe, ut facem Euangelii per univerſum terrarum orbem circumferrent. Mandatum illud poſtmodum demum datum Matth. XXVIII, 19. 5. Non quæritur, an Spiritus eos avocârit, ſed annon quia eos avocavit, Deus noluerit multis Euangelium proponi, qui extincti fuêre antequam illis annuntiaretur. 6. Et quia *multorum tempus nunquam appetit*, ut ad Chriſti cognitionem efficaciter vocentur, imò ut vel vocentur etiam externâ vocatione, ſine qua ſalvari non poſſunt, Deus utique tales ſalvari noluit. 7. Invitatio ad pœnitentiam per τὸ χρηστὸν τοῦ Θεοῦ nec ſufficere poterat, ut quæ ducebat tantùm ad Deum Creatorem, non verò ad Deum Redemptorem, nec ad *beneficium* Euangelicum (quorum *diſtincta cognitio* in N. Teſtamento neceſſaria) ſed ad *officium* duntaxat, quum fateatur Animadverſor ſolam vocationem per verbum eſſe *miniſterium Spiritus*, ſine quo tamen fieri non poteſt, ut quiſquam ſalvetur.

CAPUT XII.

Vindiciæ Primæ Rationis: *Voluntatem univerſalem miſerendi nec cum* ſapientia *Dei, nec cum ejus* bonitate *conciliari poſſe.*

BREVIARIUM Capitis duodecimi.

QVerela iniqua Animadverſoris. Falſa ejuſdem aſſertio. Animadverſoris contradictio. Mala fides ejuſdem in falsò mihi affictis. Eadem contra ipſum retorta. Declinatio confutandorum. Repetitiones inanes. Breviloquentia Animadverſoris demonſtrata. Inutilis Lectoris circumductio. Inanis diſtinctio mediorum ſufficientium & neceſſariorum. An oportuerit Deum media ſuppeditare. Abſurda aſſertio, homines non debuiſſe Deum placare. Quæ media neceſſaria fuerint ad ſalutem. Axioma Animadverſoris, hominem non teneri præſtare, quod non poteſt. *Abſurda varia. An placationis juſtitiæ divinæ manifeſtatio univerſalis fuerit vel ſit. Verba Animadverſoris retorta. Quis finis manifeſtationis placationis juſtitiæ divinæ. An ad eam omnes confugere potuerint. Media abſolutè neceſſaria ad ſalutem non omnibus ſuppeditata. Ne placabilitatis quidem*

Dei manifeſtatio univerſalis eſt. Petitio τοῦ ἐν ἀρχῇ. An Deus placationis ſuę juſtitię aliquam omnibus dederit ſignificationem. Τοῦ γνωστοῦ interpretatio precaria. Via ad indifferentiam religionum aperta. Verba Animadverſoris retorta. Quî aliquid dicatur ſufficiens. Abſurda ſuppoſitio. Similia Animadverſoris, inania. Suppoſitiones alię inutiles. An placatio exhibeatur ſub conditione tantùm, ut ad eam confugiamus. Abſurda Deo & Chriſto affictа. Argumentationis noſtrę firmitas. Nulla media multis ſuppeditata. Deum propriè non velle omnium & ſingulorum ſalutem, probatum ex Animadverſore. Prędeſtinatio univerſalis ab eo everſa. Quę ſint εὐαρεστίαι Animadverſoris. An eliciantur ex Dei proprietatibus. Abſurda Deo affictа. Vota inania & alia Deo non digna. An in Deo ſint virtutes ad certam creaturę qualitatem determinatę. Loquutio ἀκυρόλογος & abſurda. Animadverſoris contradictio. An bonitas Dei non potuerit amare creaturam peccatricem. Abſurda Animadverſoris aſſertio. Diſtinctio amoris communicationis & complacentiæ. An Deo tribuenda ſit voluntas conditionata reſpectu Adami integri. Quî ipſi felicitatem voluerit. Voluntatis univerſalis conditionatę everſio. An Deus diverſis voluntatis actibus decreverit lapſum Adę. An Deus velit aliquid, quod novit nunquam futurum. Miſericordię Dei deſcriptio vitioſa. Abſurda ex ea conſequentia. Dilectio conditionata everſa. An Deus non poſſit miſericordia tangi hominis, ſi in peccato indureſcat. Illatio inanis & abſurda. Illatio inconſequens alia ab ignoratione actuum ſapientię divinę. Vnde metiendę ſint rationes ſapientię Dei. An Deus dici debeat ſequi rationes in actibus ſapientię. An ejus ſapientia ſequatur naturam rerum. Falſa cauſa terrę ſuſpenſę in medio mundi. Abſurda & in ſufficiens illatio. Miſericordię conditionalis abſurditas. Miſericordię actus primus erga peccatorem, & neceſſarius quidem. An qualitatem in objecto poſtulet, an verò det. Petitio τοῦ ἐν ἀρχῇ. Miſericordię actus duo conjungendi erga hominem. Imò unus tantum adęquatus conſtituendus. Miſericordia Deo tributa ab Animadverſore eſt voluntas eum damnandi. An fingenda in Deo miſericordia abſoluta & conditionata. Iſtius abſurditas. Illius ſufficientia. An miſericordia abſoluta eliciat actum conditionatę. Contradictio Animadverſoris. Inutilitas gratię objectivę ſolius ob duplex hominis malum. An malum phyſicum moveat miſericordiam condonatricem. Aſſertio abſurda Animadverſoris. Vnde arceſſenda ſit motio miſericordię Dei. Abſurdum impactum ſententię Animadverſoris. Miſericordię conditionatę abſurditas. Ignoratio Elenchi, & mutatio ſtatus quęſtionis. Hortatio ad pœnitentiam duplicis generis eſt. Noluntas Dei de multis ſervandis probata. Status quęſtionis denuo mutatus. Digreſſio inutilis. Exceptio abſurda. An Deus abolitionem vitii ſpoponderit ſub conditione. An fidem polliceatur & quî. Ignoratio elenchi notata. An dicendum dari ſpiritum ob fidem. Aſſertio Animadverſoris de adoptione retorta. Relatio alia fidei ad adoptionem & ſalutem, alia ad voluntatem ſalvandi. Status quęſtionis iterum mutatus. Verba Animadverſoris retorta. Quî Deus velit dare fidem, an abſolutè, an ſub conditione. Confeſſio & Catecheſis Eccleſiarum Gallicarum vindicata. Declinatio objectorum notata. Brevitas Animadverſoris. Putida obſervatio ſuper τῷ ἀδυνάτῳ. Digreſſio inutilis. Alia ejuſdem commatis. Diſtinctio inanis potentię. Ἀδολεσχία notata & mera verborum ludibria. Confuſio duplicis ſtatus hominis. Annon in multis malum ethicum coincidat cum Phyſico. Vſus & rectus uſus facultatum confuſus. An morale vitium conſiſtat univerſaliter in malitia & ignorantia affectata. Verba Animadverſoris retorta. Verum & bonum Euangelicum an omnibus ſint objecta. Prępaſtatio fidei eſt ἀδυνάτων τι corruptis ſecundùm ipſum Animadverſorem. Elenchus parium inter promiſſiones & minas demonſtratas. Finis varii exactorum debitorum. Cauſa varię pœnarum non electorum. Orthodoxorum Theologorum reſponſio perſtricta.

Exer-

Exercitio juſtitiæ nihil decedit ſapientiæ vel bonitati Dei. Iuſtitiæ patefactio finem ſuum aſſequitur non patefactio bonitatis. Synodus Dordracena *laudata. Promiſſionis conditionalis inutilitas oſtenſa. Argumentatio Animadverſoris expenſa. Vtilitates variæ promiſſionum reſpectu non electorum. Animadverſoris verba retorta. Falſa ſuppoſitio gemina. Annon utilia interdum evadant damnoſa.* Τὸ ἐν ἀρχῇ *cum contradictione notatum. Conſequentia vana. An fides non electis ſit aliquo modo poſſibilis. Abſurda varia. Inane* εὕρημα *de facultatibus in homine reliquis. Illatio Animadverſoris inanis. Argumentum illius novum. Ejus examen. Comparatio duplicis impotentiæ expoſita & reſtricta. Ignoratio Elenchi notata, & paralogiſmus à dicto ſecundum quid. Obſervatio beneficii conditionata an detur, cum intentione ſalvandi. An vel fides vel ſalus pendeant à voluntate hominis corrupti. Abſurda varia impacta Animadverſori. Hallucinationis accuſatio abſterſa. Comparatio à cæco allata, vindicata.* Ἀφιλόσοφον *Animadverſoris dictum repetitum. Comparatio vexata præter rem. Conceſſio Animadverſoris retorta. An cæcitatis naturalis cauſa ſit in inopia facultatum naturalium. Dictum* ἀφιλόσοφον. *Ignoratio Elenchi notata, & diſputandi ratio obſervata ab Animadverſore.*

I. ACtum retro de *locis Scripturæ*, & illi à nobis vindicati: Sequuntur vindiciæ *rationum* à nobis oppoſitarum dogmati de Gratia Vniverſali. Antequam *primam rationem* noſtram aggrediatur Animadverſor 1. Rhetoricatur ſuper prolixitate mea. At nequicquam. Nec enim digreſſiones ullæ à me more ipſius quæſitæ, ſed κατὰ πόδας. Diſſertatio illius excuſſa, & quod à me petiit, accuratè reſponſum ad ſingula, & ſophiſmatibus ac exceptionibus ac diſtinctionibus ejus obviam itum, ne quid diſſimulatum à me queri jure poſſet. Cauſæ quin etiam prolixioris paulò ſcriptionis à me oſtenſæ præfatione ad Lectorem, quam hominibus æquis gratam fuiſſe non tantùm auguror, ſed etiam ex Magnorum Virorum relatu ſcio. 2. Cavillatur, *non poſſe viginti folia perlegi, quin vel omnia argumenta mea occurrant vel eorum certè, magna pars, ut vix unum aut alterum ex eis deſideretur.* At vel hoc verum, & ſic non opus erat LXX voluminibus, ad confutationem mearum Exercitationum, nec à me penſum ab ipſo exactum, quod totam ipſius vitam occuparet, ut magnificè queritur alibi, & quod præſtari non poſſet. Annon compendio etiam ſic ſatisfieri potuiſſet omnibus à me dictis? Et haudquaquam opus erat lacinioſo volumine, quod omnium patientiam laſſaret, & extorqueret vetus illud δότε μοι λεκάνην. Vel id falſum, adeòque aſſerendum non erat tantâ cum fiducia tanto veritatis vindici. Alterutrum etiam falſum eſſe neceſſe eſt, ut vel omnia viginti paginis occurrant vel non omnia: Si prius, poſterior aſſertio inanis eſt, ſi poſterius, prior falſa eſt, ſi etiam *viginti paginis* omnia occurrant à me producta in Opere toto Exercitationum, vel id demonſtratum nobis dabit Animadverſor, vel reſorbebit à ſe temerè dicta. Si tota etiam materia ad viginti paginas reduci

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

reduci poteſt, annon prolixitatis dicam ſibi ipſi ſcribit, quippe qui immane quantum prolixitatem omnium quotquot ſunt ſcriptorum ſupergreſſus eſt, ſpiſſo volumine & majore forma, minore etiam charactere exſcripto, oppoſito viginti pagellis. 3. Mihi contra candorem omnem affingit, *à me dici, me operam dediſſe, ut quacunque ex parte unum ex tribus voluminibus aperiretur, nemo eſſet tam incurioſus, vel negligentior, vel tam faſtidioſus in legendo, cui vel invito magna pars iſtorum argumentorum ob oculos non verſaretur*. Cauſam non dico, quin, ſi tale quid à me dictum fuerit, ludibrium debeam Lectori; ſin hoc mihi affingat Animadverſor, ut affingit, cauſæ nihil erit, cur non malâ fide, ne quid durius dicam, mecum egiſſe videatur. Hoc revera faſſus ſum in præfatione ad Lectorem, *iteratis vicibus eadem à me argumenta inculcata, ſed datâ operâ. Nec enim quoſvis Lectores nos ita propitios nobis polliceri poſſe, ut omnia à capite ad calcem excutiant nec de re prius pronuntient, quàm totam cognoverint. Lectoribus itaque, qui hinc inde quædam delibant pro arbitrio, me conſultum voluiſſe, ut ubique nodis nexis cuneos ſolidos adhibitos reperirent, nec illis opus eſſet anxiâ perquiſitione, quid ad rem & cauſam alibi dictum eſſet. Id & cum Lectoris compendio fieri, & ingenuum diſputatorem decere.* An verò iſta ſimilia ſunt, dicere, ideo quædam repeti, ut nodis nexis reſponſiones ſuis locis aptatæ reperirentur, & dicere, *id operam me dediſſe, ut nemo eſſet tam incurioſus & negligens in legendo, cui vel invito magna pars iſtorum argumentorum ob oculos non obſervaretur, quacunque in parte unum ex tribus voluminibus aperiret.* Tuam fidem Lector! Confer & judica, an hæc affingere deceat virum Theologum, Fratri, & quâ ſui & Lectoris fiduciâ hoc & plurima id genus alia ita confidenter affirmet Animadverſor! Judicet, an hoc ſit Chriſtum imitari, an ultrò περπερεύεσθαι? 4. Fruſtra itaque addit, ubi illa à me in hac diſputationis parte refutata fuerint, cauſam me dicere non poſſe, cur non eâdem operâ ingens illa moles disjecta eſſe diſſipataque judicetur. Falſo verò fundamento iſta ſuperſtructa eſſe, jam oſtenſum. Præterquam quod ſi id verum eſſet, à tam operoſa ſcriptione ſibi temperare debuiſſet Animadverſor, & rationem æquè audire ac conſilium Medicorum.

II. His magnâ ῥητορείᾳ prolatis, primum argumentum meum aggreditur, quod per univerſum Exercitationum Opus *fuſum* eſſe dicit. Si id infirmum ſit, ne ſemel quidem proponi debuit: Sin firmum, prout firmiſſimum eſt, quamvis centies repetitum ſit, nihil amittit ob id roboris. 1. Truncat, non repetit integrè argumentum noſtrum cum ἀποφορᾷ & ἀνθυποφορᾷ quadam propoſitum Theſi VII. 2. Dicit, *ſe hunc paralogiſmum fusè refutaturum in prima parte ſpecialiorum Animadverſionum, hîc tamen breviter expediendum eſſe.* At quid opus iſtâ repetitione? Vel enim hîc

ſuffi-

ſufficienter à me dicta (quæ *paralogiſmum* vocat, non probat) refutat, vel non. Si non, debuit ea ſufficienter refutare. Sin id fecit, hoc loco, quid opus fusâ illâ refutatione in parte ſpeciali? Sic vel in parte ſequente ſpeciali ſufficienter à me dicta confutat, & ſic eadem fruſtra hîc ponit, vel non, & ſic fuſa etiam ipſius refutatio ſufficiens non eſt. An moroſus iſte repetitionum exagitator continuis repetitionibus Lectori faſtidium creare debebat, & me interea repetitionum vel confuſionis arguere? Obſervet etiam Lector, *breviter* rem expediri ab Animadverſore, quando paucis lineis opponit paginas tredecim ingentes majori formâ & minori charactere. An juſtam ampliùs de mea prolixitate querendi occaſionem habeat, vel ex ſola collatione iſta liquebit.

III. Quî verò rem ipſam aggreditur? 1. *Diſtinguenda,* inquit, *eſſe media, quæ ſunt ad ſalutem cùm neceſſaria, tum ſufficientia etiam. Alia enim eſſe, quæ Deum omnino ſuppeditare nobis oportuit, quia ipſi illa ad ſalutem nobis procurandam adhibere nec potuimus, nec debuimus. Alia verò eſſe, quæ ipſi per nos adhibere debuimus, atque ideo potuimus aliquando. Nam ſi nullo modo id poſſemus, ne præſtare quidem certè propterea teneremur. Ad prius illud genus duo pertinere, juſtitiæ divinæ placationem, quam ipſi per nos præſtare non potuimus in æternum, & placationis illius manifeſtationem, ut ſpe excitati ad eam confugeremus. Nec enim per nos nos divinare potuiſſe, Dei juſtitiam eſſe vel placatam, vel placabilem, niſi id ipſe Deus nobis revelaſſet. Ad poſterius pertinere illum motum animi, qui ſpe ex ea manifeſtatione concepta ad Dei clementiam & placabilitatem confugiat. Prioris autem illius gratiæ media, ut ſunt abſolutè neceſſaria, ſic etiam eſſe omnibus ſuppeditata. Nam & Deum Redemptorem dediſſe, qui juſtitiam ipſius placaret pro omnibus, modò ad Dei clementiam & miſericordiam confugerent, & Deum placationis illius ſuæ juſtitiæ omnibus aliquam ſignificationem dediſſe. Aliis per verbum in quo τὸ πιστὸν revelatum eſt, aliis per opera providentiæ, in quibus manifeſtum factum τὸ γνωστὸν, hoc eſt, id quod de Deo, deque ejus bonitate & placabilitate erga genus humanum cognoſci debet. Id à ſe in ſecunda parte evidentiſſimè demonſtratum. Vt autem media illa erant abſolutè neceſſaria, ſic etiam à Deo ſemel ſubminiſtrata ſufficientia facta eſſe. Id enim ſufficiens eſſe, quod ita naturâ ſuâ comparatum eſt, ut ſi adhibeatur ad id, cui efficiendo deſtinatum eſt, id det effectum, ut pharmacum eſt ſufficiens ad ſanam valetudinem reſtituendam, quod morbum certiſſimè depellit, ſi hauriatur, & pecunia eſt ſufficiens ad debitum aliquod exſolvendum, quæ obligationem exæquet, ſi perſolvatur, & ſerra eſt ſufficiens ad lignum aliquod ſcindendum, quæ revera id dividit, ſi ad id admoveatur, & tractetur ex arte. Quando igitur & placatio illa juſtitiæ divinæ à Chriſto facta nobis ſalutem conferre poteſt, ſi ad Dei miſericordiam confugiamus, & placationis illius revelatio ſpem ingerere poteſt, & nos ad ſe allicere, tanquam ad ſalutis perfugium, ſi mentem*

tem atque animum ad ea convenienter appellemus, dubitari non poſſe, quin media ad ſalutem ſufficientia dici poſſint. Cur enim quod omnibus aliis rebus cuique in ſuo genere conceditur, duabus illis, quibus in ſuo genere nihil omnino deeſt, à nobis denegaretur? Si ergo argumentatio, quæ negat voluntatem univerſalem miſerendi conciliari poſſe, cum ſapientia & bonitate Dei, *nulla alia re nititur, niſi quod nec ſummè ſapientis eſt, nec ſummè boni, velle ſalutem cujus vel nulla ſuppeditantur media, vel inſufficientia ſaltem, illam corruere, quia media ſunt omnibus ad ſalutem, eaque ſufficientia, adminiſtrata.*

IV. Obſervet Lector paucis lineis iſta omnia dici potuiſſe, ſine tanto ſchemate, ſufficientia media omnibus fuiſſe adminiſtrata, & quæ illa forent: Magno tamen conatu nihil agi, & quædam repeti ſine probatione, quædam abſurdè proponi. 2. Fruſtra diſtinguit hic media *neceſſaria* & *ſufficientia*. Quæ enim hîc neceſſaria ſunt, ſufficientia etiam ſunt, & quæ ſufficientia, etiam neceſſaria. 3. Obſervandum, *non oportuiſſe* Deum ulla media nobis ſuppeditare, ſed ex mero beneplacito ſuo ſuppeditaſſe, quæ ſuppeditavit, ut cui liberum erat homines æquè relinquere in ſua pernicie ac Angelos. 4. Notet etiam Lector, inter media, quæ Deum nobis ſuppeditare oportuit, *quia ipſi illa adhibere nec potuimus, nec verò debuimus*, referri *placationem juſtitiæ divinæ*. An verò illam placare non debuimus, quamvis non potuerimus ex nobis? Quid verò magis vel inconſideratum, vel ἀθεόλογον? 5. Omnia media & interna & externa à Deo ſuppeditanda erant illis, quos ſalvos cupiebat, non aliqua tantùm. Inter quæ (quoad externa) ex potiſſimis fuit revelatio Chriſti & placationis Dei per eum, quæ haudquaquam omnibus conceſſa. 6. An ideo, *quia debemus* præſtare aliquid, *id poſſumus*? Annon ſatis, nos *id potuiſſe*, quamvis id *non poſſimus* ampliùs? Obſervet verò Lector axioma Animadverſoris: *Si nullo modo id poſſemus, ne præſtare quidem certè propterea teneremur.* Si hoc obtineat, nec Diaboli, nec damnati, nec reprobi in terris ceſſare debent à Deo & Chriſto inſectando. Nec obæratus tenebitur ſuo creditori, ſi ſolvendo non ſit. En injuſtè à Deo exactum, ut Iſraëlitæ *hoc facerent*, hoc eſt, *manerent in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis.* Et iniquè exactum fuit debitum à ſervo Matth. XVIII. Et quia ſpiritualiter mortuus non poteſt evigilare, id eum non debere dicendum erit. Quàm cruda talia! Annon ſufficit, id *nos potuiſſe* etſi non poſſimus ampliùs, idque culpâ & vitio noſtro. 7. *An placationis etiam juſtitiæ divinæ manifeſtatio* unquam univerſalis fuit, vel hodieque eſt? At hoc inter media eſt, quæ Deum omnino nobis ſuppeditare oportuit, ſecundùm Animadverſorem. An actualis iſta placatio vel divinari potuit ab homine ſine revelatione, vel ἐν τῷ γνωϛῷ τȣ̃ Θεȣ̃ legi? 8. An etiam hic tantùm finis eſt mani-

manifeſtationis placationis juſtitiæ divinæ, ut *ſpe excitati ad eam confugeremus?* Et non potiùs, ut *cum fiducia* accedamus *ad thronum gratiæ* nobis manifeſtatum? Et quâ ſpe ad illam placationem poterant confugere gentiles, quibus totâ vitâ ſuâ iſta placatio nunquam innotuit? Nec quæſtio eſt *de nobis*, ſed de innumeris quibus illa placatio nunquam propoſita fuit. Si etiam *divinare non potuimus*, ut fatetur, *juſtitiam divinam eſſe placandam*, quî ad illam innumeri poterant confugere ut ad placatam, vel certò placandam? Quid verò magis ἀθεόλογον, quàm Deum hoc revelaſſe in operibus naturæ? 9. *Placabilitas* Dei confundenda non eſt cum ejus *placatione*, de hac nobis ſermo, non de illa. Iſtius manifeſtatio neceſſaria erat ad ſalutem, & ſine ejus manifeſtatione & amplexatione nulla poterat dari ad ſalutem via. An ex placabilitate Iudicis vel Principis ſolidè colligi poteſt actualis ejus placatio? Prioris itaque generis media, quæ *abſolutè neceſſaria* eſſe fatetur, omnibus haudquaquam ſunt ſuppeditata. Imò ne placabilitas quidem Dei manifeſtata dici poteſt myriadibus multis hominum, qui non adolevere, nec ad ullam ætatem maturam pervenere. 10. Sine motu animi confugientis ad clementiam Dei & placationem actualem, nulla ſalus. Cui ergo hoc medium non datur, illi non dantur omnia neceſſaria & ſufficientia ad ſalutem. Et fruſtra de objectivæ gratiæ communicatione philoſophatur Animadverſor. 11. Deum Redemptorem dediſſe *qui juſtitiam ipſius placaret pro omnibus modò ad eam confugerent*, aſſeritur ſine probatione, quod eſt ipſum κεκινόμενον, nec repetendum ſed probandum. 12. Deum *placationis* illius *ſuæ juſtitiæ aliquam omnibus dediſſe ſignificationem*, ſupponitur denuo non probatur. Ipſe alibi *placabilitatis* tantùm Dei ſignificationem datam fateri cogitur. Nec placatio actualis ulli innoteſcere poteſt niſi per verbum. Et ſi per opera providentiæ innotuit, natura eſt præco Chriſti, & *opera providentiæ* ſunt tuba Euangelii. Quod Socinianæ & Pelagianæ pulpæ eſt. 13. Τὸ γνωστὸν eſſe id, quod de Deo cognoſci *debet*, ſumit hîc Animadverſor, quod à nobis diſertè negatum & impugnatum novit. Dato etiam, non conceſſo, per τὸ γνωστὸν manifeſtum factum eſſe id, quod de Deo deque ejus placabilitate erga genus humanum cognoſci *debet*, quæſtio eſt de actuali *placatione*, quam τὸ γνωστὸν manifeſtare ſine ſumma audacia aſſeri nequit. Si etiam ita ſe res habet, innumeri per ſolum γνωστὸν ſervari potuere inter gentiles. Et quid obſtat, quo minus, quod fieri poterat, actu fieret, in aliquibus ſaltem? Annon hîc non rima ſed porta patens ad indifferentiam Religionum, imò ad contemptum verbi divini, ſi ſine eo per τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ homo ſufficientem ad ſalutem viam inveſtigare poteſt? 14. Si *placationis actualis manifeſtatio eſt* inter media abſolutè neceſſaria, & *illius* per quem

facta

facta eſt placatio ſaltem ſub N. Teſtamento, ut fateri cogitur, debuit verbum Euangelii neceſſariò omnibus manifeſtari, ſi Deus voluit omnes ſalvari, quod tamen haudquaquam factum. 15. *Sufficiens* aliquid dicitur χεἰκῶς in ordine ad indigentiam per illam ſufficientiam explendam, & quod ſufficiens dicitur, debet eſſe proportionatum ſtatui illius cui ſufficere cenſetur. An verò, ſi pars morbi, & potiſſima quidem, ſit averſatio ab omni pharmaco, & delirium illud, quamvis voluntarium, delirium tamen incorrigibile ſit & inſuperabile, an pharmacum ſufficiens ſeriò dici poteſt, quod tantùm morbum depellit, ſi hauriatur? Annon opus erit alio adhuc remedio, quod efficiat, ut hauriatur, & ut delirium illud vel amoveatur vel coërceatur? At in negotio de quo agimus, quod etiam in Theſibus diſertè oſtendimus, & quod prætermiſit ſtudio Animadverſor, agitur de morbo, quem ille vocat, *impotentiam moralem*, & de ejus curatione. Dicere ergo, remedium eſſe ſufficiens, ſi hauriatur, eſt dicere, remedium eſſe ſufficiens ad morbum depellendum, ſi pars morbi & potiſſima quidem jam ſit curata. Quod eſt tragelaphos fingere, non ratiocinari: Similia itaque de pharmaco, de pecunia, de ſerra, inutilia ſunt. Nec ſi ferrum vel ſaxum ſit dividendum ſerra, quæ ligno dividendo duntaxat apta eſt, ſufficiens dici poterit. Sic quum hîc quæſtio ſit de homine ſaxeo & ferreo, imò plus quam tali, mortuo nimirum in peccatis ſuis, illi nunquam ſufficiens cenſeri poteſt medium iſtud gratiæ objectivæ ſub conditione tali propoſitum, quam ille adimplere non poteſt, & quam Deus novit illum adimplere non poſſe. 16. Supponit denuo Animadverſor apertè falſum, *placationis juſtitiæ divinæ à Chriſto præſtitæ revelationem omnibus factam*, quod apertè falſum. Pone etiam illam *ſpem* ingenerare poſſe, & nos ad ſe allicere, *ſi mentem ad eam appellamus*, quid id ad innumeros, quibus nunquam propoſita fuit? Et quid id ad illorum ſalutem, qui mentem ad hoc appellere non poſſunt? Imò cùm placatio illa juſtitiæ divinæ à Chriſto exhibita (quam cum placabilitate confundit Animadverſor per meram ſophiſticam, inter quæ tamen diſcrimen evidentiſſimum eſt) inter alia efficiat, ut ad miſericordiam Dei confugiamus, ut qui promeritus eſt morte ſuâ omnem gratiam partim juſtificantem, partim ſanctificantem, quî placatio exhiberi potuit ſub illa conditione, ut ad eam confugiamus, niſi ſimul dicatur eſſe exhibita, ut gratiam ad eam confugiendi ejus meritò conſequamur? Sub hac conditione aliàs id factum, ſtatuere, ut mentem & animum homines ad eam convenienter appellant, quos novit & Deus & Chriſtus ſe ad iſtud objectum nec appellere poſſe, nec velle, propter eam quâ laborant impotentiam inſuperabilem, quodcunque illi tribuatur nomen, id verò eſt nugari, non diſputare.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

ſputare. Jure itaque à nobis in mediis illis quædam deeſſe demonſtratum, quominus univerſalia vel ſufficientia dici poſſint. Adeòque argumentum noſtrum firmiſſimum manet : Quum media ad ſalutem ſufficientia omnibus ſubminiſtrata non ſint, nec ſummè ſapientis eſſe, nec ſummè boni, velle ſalutem illorum, quibus vel nulla ſuppeditantur media, vel inſufficientia ſaltem. Infantibus exſtinctis inter gentiles nulla prorſus media ſuppeditata eſſe, adultis inter eos quædam quidem ſuppeditata, ſed inſufficientia planè ad ſalutem, ut oſtenſum. Et eò redit tota Animadverſoris, impedita æquè ac ſalebroſa ratiocinatio, Deum hominem mortuum velle reſuſcitare, modò primò vivat ex parte, & ſe ipſe proripiat ex ſepulchro.

V. Subjicit, à me addi, *nec ſummè ſapientis eſſe, nec ſummè boni, velle id quod volens novit nec futurum, nec fieri poſſe.* Regerit verò. *Dei voluntatem diſtinguendam, & conſiderandam in duplici genere actuum, alios enim nihil aliud eſſe quàm decreta quædam circa rerum eventus ab æterno conſtituta, ut fuit voluntas creandi mundum, voluntas condendi homines, & quæ ſimilia. Alios nihil aliud eſſe quàm* εὐαρεςίας *quaſdam elicitas ex Dei proprietatibus, quæ ſeſe in eo habent ad modum virtutum naturalium, ut eſt bonitas, & miſericordia condonatrix, & ſi quæ ſunt in Numine aliæ virtutes ad certam quandam creaturæ qualitatem determinatæ. Iam autem velle aliquid priore illo modo, quod noris neque futurum unquam, neque verò eſſe poſſe, nec ſummè ſapientis eſſe, nec ſummè boni. At nec quidquam unquam Deum tale voluiſſe eo modo, neque velle ſtatui à ſe in eo negotio de quo agitur. Non enim à ſe dici, Deum voluiſſe omnes homines ſervari ab ea voluntate, quæ verſatur in decernendis rerum eventibus. Id ſi Deus ita voluiſſet, procul dubio perfeciſſet. De poſteriori volendi modo non eſſe æquè liquidum. Itaque proprietates illas Dei paulò attentiùs conſiderandas.* Obſervet Lector 1. De actibus voluntatis Dei, quæ *decreta* ipſius dicuntur, Animadverſorem nobis largiri, Deum ſic non velle omnium & ſingulorum ſalutem. Quum verò actus iſti ſint ſoli voluntatis Dei propriè dictæ actus, Deus propriè loquendo non vult omnium & ſingulorum ſalutem. 2. Si ſic etiam Deus non vult omnium ſalutem, reſorbere cogetur *prædeſtinationem* ſuam *univerſalem*, quam vernaculo Tractatu Lectori crudè ingeſſit, quum prædeſtinatio omninò pertineat ad decreta circa rerum eventus conſtituta, & æquè firma ſit ac immota, ac voluntas creandi Mundum, & condendi homines. Excenturianda etiam cum hac prædeſtinationis univerſalis & conditionalis perverſa nomenclatione, *prima miſericordia univerſalis & conditionalis*, quam fingit alibi, ut re eadem & ſenſu, ſono tantùm diverſa. 3. Vt voluntas Filium in terras mittendi abſoluta fuit, ſic fuit etiam abſoluta *pro quibus* mittendus eſſet, nimirum pro Dei Filiis vel

ovibus. Nec miſſio illa vel objecti ejus limitatio ſuſpenſa fuit ab ullius conditionis exactione, ſed à mero Dei beneplacito. 3. δ'αρεσίαι illæ, quas elicitas fingit Animadverſor, ſecundùm Theologiæ ſuæ ſenſum, ex Dei proprietatibus, nihil aliud ſunt, quàm *velleitates*, quas ipſi adſcribunt Novatores, nomine mutato, ſervatâ re. Nec Deus elicit ex proprietatibus ſuis actus imperfectos & evanidos rerum nunquam futurarum. Hominum etiam & creaturarum aliarum eſt, *elicere actus ex proprietatibus ſuis*, non Dei, qui perfectiſſimus actus eſt, & ſuum velle. Religioſius itaque de Deo & cautius nobis loquendum, nec in argumento controverſo ἀκυρολογίαι & καταχρήσεως adhibendæ. 4. Dicere, Deum elicere ex ſuis proprietatibus actus voluntatis, qui ferantur in id quod eliciens novit nec futurum unquam, nec fieri poſſe, eſt nobis reponere id ipſum quod à nobis abſurditatis arguitur, utpote ſapientiæ ipſius contrarium. 5. Imò non tantum ἀκυρολόγως & per duriſſimam κατάχρησιν, ſed & falsò ſupponitur, dari *volitiones elicitas* ex Dei proprietatibus in Deo, qui, ut dictum, & puriſſimus actus eſt, & in puriſſimo ſemper actu, eſſet verò in potentia ad aliquid & mutationi obnoxius, ſi ex ejus proprietatibus elicerentur volitiones id genus. Nec fingenda ſunt in Deo quæ imperfectionem involvunt, & non niſi imperfectis entibus conveniunt, ubi accurata diſputatio de rei alicujus veritate inſtituitur. Prout itaque revera nulli tales ſunt actus in Deo *ex proprietatibus ejus eliciti*, ſic nec tales *velleitates* rerum quæ nec futuræ ſunt, nec fieri poſſunt, idque ex decreto Dei. Et quid abſurdius, quàm Deum *velleitatem* habere illorum, quæ non vult fieri? Annon hoc eſt vota inania Deo adſcribere, & quid obſtare poterat, quo minus quod ſic vellet Deus, reverâ fieret? 6. Ἀθεόλογον etiam, *in Deo eſſe virtutes ad certam quandam creaturæ qualitatem determinatas*. Sic enim Creator ſecundùm aliquid ſui penderet à creatura, vel virtutes & actus ejus, quod abſurdum. Aliud verò, Deum exercere actus aliquos, ſecundùm qualitates quæ in creatura reperiuntur, aliud, ipſius *proprietates* vel *virtutes eſſe determinatas ad certam quandam creaturæ qualitatem*. A quo enim determinatæ ſunt, an à creatura? At quæ ejus in Creatorem vel poteſtas, vel actio? An à Deo ipſo? At in illo non eſt determinans & determinatum. An etiam habuit ab æterno virtutes determinatas ad certas creaturæ qualitates, cùm nec creaturæ eſſent, nec ullæ earum qualitates? An verò poſt creaturas conditas, & quando cœpit habere virtutes determinatas? Et quî id ſtatui poteſt ſine mutatione Dei? Aliter & religioſius de Deo & ſentiendum & loquendum. 7. Si *velle* aliquid *priori modo nec ſummè ſapientis eſt*, nec ſummè boni, baſis totius Theologiæ Animadverſoris *prædeſtinatio* nimirum *Vniverſalis conditionata* corruit, ut quæ ad prius

hoc

hoc volendi genus, hoc eſt, decreta Dei non poteſt non pertinere? Et vel in ſe hîc arietabit Animadverſor, vel ſtatuere cogetur, Deum *hoc modo* velle aliquid non futurum, & quod fieri non poterat. *At*, inquit, *non dicimus Deum voluiſſe ſervari omnes homines ab ea voluntate quæ verſatur in decernendis rerum eventibus.* Imò verò diſertè dictum ab Animadverſore dum prædeſtinationem univerſalem conditionatam finxit, quæ utique occupatur in decernendo eventu, hoc eſt, ſalute omnium omnino hominum ſub conditione fidei: Videtur ſanè Animadverſor, adeò nihil mecum commune habere velle, ut quia memoriæ vim διασυρτικῶς in me commendat, eam à ſe, ut dotem ſe inferiorem exulare velit. 8. Si *de poſteriori volendi modo id non æquè liquidum*, cur id temerè affirmat? Et cur id genus δυσαρεσίας Deo affingit?

VI. Pergit verò Animadverſor, ut iſtam rem non æquè liquidam faciat liquidiorem: *Ad bonitatem quidem quod attinet*, inquit, *illa in Deo virtus eſt, quæ creaturam perfectè ſanctam amat, neque amare non poteſt, quæque creaturam peccatricem non amat, neque verò poteſt amare, ſicut enim eſt virtus ad iſtam creaturæ qualitatem atque conditionem determinata, ut neque ubi illa non occurrit, ſeſe exerat, neque ſeſe non exerat, ubi occurrit. Reducamus igitur animi cogitatione Adamum in Paradiſum, & eum in integrum reſtituamus. Certè nemo dubitare poteſt, quin Deus eum in integritate collocatum amet, quique velit ei, ſi perſtet in eo ſtatu, reddere perpetuam ſuam felicitatem. Sic igitur erat olim Deus affectus erga hominem, quamdiu in integritate perſtitit, tametſi noverat neque futurum unquam, neque verò fieri poſſe, ut Adam ſuam illam felicitatem perpetuò retineret. Etenim lapſum ejus non modò certiſſimè prævideratt, ſed etiam futurum eſſe decreverat, eis ſcilicet voluntatis actibus, qui in eventibus rerum decernendis verſantur. Quocirca ſummi boni eſſe poteſt, velle aliquid quod novit nunquam eſſe futurum. Eſt autem in Deo miſericordia bonitas quædam, quæ ſimplicis bonitatis metas excedit, quæ talem ſe erga hominem patefacit, ut eum peccatorem diligat, ſi reſipiſcat à peccato, ſi non reſipiſcat, non diligat, eadem neceſſitate, quam ſuprà bonitati attribuimus. Non poteſt enim Deus non miſereri hominis peccatoris, ſi peccati ſeriâ pœnitentiâ tangatur, ſi in peccato indureſcat, non poteſt ejus miſericordiâ tangi. Quando igitur miſericordia bonitas eſt, quidni pariter eâ miſericordiâ incitatus voluerit omnes homines ſervari, modò crederent, tametſi certò noverit, id nunquam eſſe futurum? Eſtne aliquid, vel in natura Dei, vel in objecto circa quod miſericordiæ virtus occupata eſt, quod prohibeat, quo minus idem illi conveniat, quod ſuprà vidimus convenire bonitati?* Iſta verò partim falſa, partim aliena à re, omnia verò inutilia Animadverſori. Nam 1. Si bonitas Dei creaturam peccatricem non potuit amare, non potuit Deus ulli creaturæ peccatrici deſtinare ſalutem, & media ad eam perveniendi, nec

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

ejus liberationem à peccato & peccati appendicibus procurare, quæ ſanè amoris documenta ſunt, & ſummi quidem, quo major dari non poteſt. Quamvis verò Deus amare non poſſit creaturam *quà* peccatrix eſt, poteſt tamen amare creaturam, *quæ* peccatrix eſt. Annon Deus nos dicitur amaſſe, antequam amaverimus ipſum? Antequam verò amaremus ipſum, annon eramus creaturæ peccatrices, & hoc unum tantùm? Annon Chriſtus etiam pro *impiis* & *hoſtibus* ſuis mortuus fuit, qui tales erant *antecedenter* & *objectivè*? Annon ante vocationem eramus *ſine ſpe* & *ſine Deo*, oves extra caulam, populus adducendus, adeòque nihil niſi creaturæ peccatrices? An verò vocatio Dei actus amoris non eſt? Diſtinguendus itaque erat Animadverſori *amor communicationis* & *complacentiæ* cum Scholaſticis, idque ex Scriptura. Δυσκηπαλίας itaque vel moroſus hîc eſſe non debebat, nec ſibi metuere ab hiſpidioribus Scholaſticorum vocabulis, quando illa pulpam continent & medullam ſalutarem. *Amore communicationis* ſanè Deus etiam fertur in creaturam, quæ peccatrix eſt, non juſta: Etſi non *amore complacentiæ*. Et ſi Deus creaturam peccatricem priori modo non potuiſſet amare, omnibus in æternum fuiſſet pereundum. Falſiſſimum ergò quod ſubjicit Animadverſor, virtutem iſtam, hoc eſt, bonitatem Dei *ad iſtam creaturæ qualitatem atque conditionem ſic eſſe determinatam, ut ſe non exerat ubi illa occurrit.* Quî enim aliàs potuiſſent peccatores vel eligi à Deo, vel electi vocari? An electio & vocatio non ſunt actus vel exercitium ſummæ bonitatis? Annon ſe exeruêre erga illos in quibus nulla occurrebat bonitas? Annon eligendo & vocando Deus amabilitatem & bonitatem in ſubjecto ponit, non invenit vel ponit antequam inveniat? 2. Falſum, in Deo concipiendam eſſe *voluntatem conditionatam* reſpectu Adami integri, de reddenda perpetua ei felicitate ſua, *ſi perſtet* in eo ſtatu. Nec enim Deus dubius eſſe poterat vel ignarus, eum non perſtiturum, conſtituit enim ab æterno ne perſtaret, non vel impellendo ipſum ad lapſum in genere *cauſæ phyſicæ*, vel illum ei ſuadendo in genere *cauſæ moralis*, ſed naturam illi mutabilem largiendo, & media circa ejus tentationem ita adminiſtrando, ut certò lapſurus eſſet, quamvis liberrimè ſimul & ſuâ culpâ. Et ſanè quum Deus remedium peccati, hoc eſt, Redemptorem ab æterno præſtituerit filiis ſuis, non poterat iſta præſtitutio non præſupponere certam lapſus *futuritionem.* Non itaque voluit Deus Adamo felicitatem, *ſi perſtaret*, ſed *quandiu perſtaret*. Quouſque verò perſtiturus eſſet, & quando declinaturus ab officio, conſilio divino erat determinatum, quamvis ſine ulla vel neceſſitatis *abſolutæ* vel *brutæ* aut *phyſicæ* vel *coactivæ* introductione. Et hoc ipſe in ſequentibus fateri cogitur, ſic Deum fuiſſe affectum erga hominem, quandiu in

integri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

integritate perſtitit, & Deum noviſſe, *fieri non poſſe, ut Adam ſuam felicitatem perpetuò retineret: Deum enim non modò lapſum ejus certiſſimè prævidiſſe, ſed etiam futurum eſſe decreviſſe. Si verò fieri non poterat, ut Adam felicitatem ſuam retineret perpetuam*, & voluit Deus omnes unius Adami peccato involvi, corruptione ſaltem generali, (quandoquidem reatus imputationem contra Scripturæ ipſius declarationem, & totam Orthodoxorum Scholam negat hodie Animadverſor) & innumeris nulla prorſus media ex ea emergendi largiri, aliis inſufficientia planè, ut ſupra demonſtratum, evertitur neceſſariò voluntas iſta univerſalis, conditionalis, quam Deo affingit. 3. Non dicendum erat, Deum lapſum hominis decreviſſe, *eis voluntatis actibus*. Id enim factum uno & ſimpliciſſimo voluntatis divinæ actu. 4. Notet Lector illationem egregiam Animadverſoris; ex eo quod Deus Adamum felicem eſſe voluit, *quandiu perſtaret*, concludit Deum poſſe velle aliquid, quod novit nunquam eſſe futurum. Quid ἀσυλλόγιστον magis? Eo ipſo enim quia Deus lapſum illius voluit, ut fatetur, noluit eum in felicitate perſtare, niſi uſque ad lapſum ejus. 5. Miſericordiam Dei peſſimè deſcribit, nimirum *eam peccatorem diligere, ſi reſipiſcat à peccato*. Si non reſipiſcat, non diligere, eadem neceſſitate, hoc eſt, non poſſe diligere. Atqui ſic in æternum nobis omnibus fuiſſet pereundum. Nec quicquam alienius ab œconomia miſericordiæ Dei circa hominem peccatorem. An enim negari poteſt ab homine ſano, Deum noſtri miſertum fuiſſe, *antequam vel reſipiſceremus actu, vel poſſemus reſipiſcere?* Annon enim donum reſipiſcendi eſt effectus miſericordiæ divinæ? ſi verò miſericordia exeri non poſſit erga non reſipiſcentes, & neceſſariò quidem, nec eos diligere, quî ullus mortalium poſt peccatum objectum divinæ miſericordiæ eſſe potuit? Quales enim in ſe erant omnes? Nil niſi peccatores & impœnitentes, & neceſſariò quidem, ex peccato primo? Annon Joh. III, 16. per *mundum* vult intelligi Animadverſor omnes in univerſum homines? Atqui illi omnes non poterant non eſſe peccatores, & impœnitentes *antecedenter*, & ut tales Deo objici. Et tamen Deus mundum iſtum dilexit intellectum de omnibus & ſingulis hominibus ſecundùm Animadverſorem, & ſummè quidem, adeò ut maximum donum illi dederit? Nec excipi poteſt, dilectionem iſtam eſte conditionatam, diligere enim pœnitere & credere neſcios incorrigibiliter, ſub conditione, ut pœnitentiam agant & credant, illis illudere eſt, non bene velle. Sanè Deus non poteſt non miſereri hominis, ſi peccatorum ſeriâ pœnitentiâ tangatur, ratione certitudinis nexus iſtius à ſe conſtituti, at ut homo ſeriâ iſtâ pœnitentiâ tangatur, opus Deum ejus prius miſereri, & illi decernere donum reſipiſcentiæ. 6. Falſum, Deum non poſſe *hominis mi-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

ſericordia tangi ſi in peccatis indureſcat. Annon enim induruerant in peccatis Manaſſes, latro converſus, publicani varii, & plures alii quorum tamen miſericordiâ Deus tactus fuit, & illos ad ſe pertraxit, & effecit ut pænitentiam agerent. 7. Quæ quæſo concludendi ratio? *Quando miſericordia bonitas eſt, quidni eâ miſericordiâ incitatus voluerit omnes homines ſervari, modò crederent, tametſi certò noverit id nunquam futurum.* Quî iſta cohærent & quibus fidiculis? Doceat nos nexum Animadverſor. Miſericordia ſanè bonitatis quædam ſpecies eſt, quæ ſe exerit erga miſerum, ſed ut bonitas Dei ſeria eſt & efficax, ſic & miſericordia, & objectum illud in quod fertur reddit felix, non *ſi* vel *modò* hoc vel illud habeat aut faciat, quod novit objectum nec habere nec facere poſſe, *ſed ut* id & habeat & faciat, ipſi actu conferendo conditionem illam, ſine qua felix eſſe non poteſt. 8. Satis jam demonſtratum, *in natura* Dei eſſe aliquid quod prohibeat, quo minus Deus id velle dici debeat, quod certò novit nunquam futurum. Vt verò hoc bonitati Dei non convenire demonſtratum, ſic iiſdem argumentis patet id miſericordiæ ejus tribuendum non eſſe.

VII. Addit Animadverſor, *ſapientiam Dei ſpectari poſſe in actibus duorum generum. Alios enim actus ſapientiæ eſſe, in quibus Deus aliquas idoneas rationes ſequutus eſt quidem, at quæ tamen à nobis non animadvertuntur in rebus ipſis circa quas occupata fuit, ſed ſunt in ipſo Deo abſtruſæ: de eo genere actuum exclamaſſe Apoſtolum, ὦ βάθος! &c. Alios tales eſſe, ut rationes quas Deus ſequutus eſt in eis, in rebus ipſis perſpiciamus: verbi gratiâ, in natura terræ rationem dari, quod Deus eam ſuſpendit in mundi medio. Ad prius illud genus actuum referri non poſſe, quod à me dicatur, hoc ſummè ſapientis non eſſe, nec enim nos poſſe de ejus convenientia vel diſcrepantia judicare.* 1. Fatemur libenter, actuum ſapientiæ divinæ rationes ſæpe nobis ignotas eſſe, ſæpe notas. An verò ſequitur, ſi actuum ſapientiæ Dei rationes ſæpe nobis ſint ignotæ; Ergo nos dicere non poſſe, ſummè ſapientis non eſſe, id velle quod non tantùm novit non futurum, ſed & fieri non poſſe? Annon ſic obtentu ignorantiæ rationum ſapientiæ divinæ omnia liceret nobis affirmare, & abſurdiſſima quævis conſilio Dei tribuere hoc prætextu, quod ſapientiæ Dei rationes nobis ſint ignotæ? Quid non licebit Socinianis, Pontificiis, aliis id genus ex hoc principio inferre? 2. An ſummè ſapientis eſſe poteſt, quod non tantùm exiguæ ſapientiæ hominis non eſt, ſed etiam quod non poteſt eſſe niſi hominis inſani? Satis nobis, nos debere ſapientiam Dei metiri, partim ex perfectione ſumma naturæ ejus, partim ex verbo ipſius, ex quibus conſtat, Deum nihil velle, quod non vel faciat, vel fieri procuret, nec volitiones ejus eſſe obnoxias aut mutationi, aut impedimento, quo minus eas exequatur potenter. 3. Ἀκυρολόγως etiam dicitur

de

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

de Deo, *eum in actibus ſapientiæ ſequi aliquas idoneas rationes.* Hominum hoc eſt, non Dei, *rationes ſequi.* Sapientia Dei rationes ponit, non ſequitur, & ipſa ſumma ratio eſt. 4. Abſurdè dicitur, *Deum rationes ſequutum eſſe, quas in rebus ipſis perſpicimus.* Nec enim illius ſapientia ſequitur naturam rerum, vel menſuram aut rationes ſuas petit à rebus, ſed facit ut res ſint quod ſunt, & ſic, ut circa res fiat, quod ab æterno conſtituit. Sic parum ſapienter dicitur, cauſam cur Deus terram ſuſpendit in Mundi medio eſſe, quod corpus omnium graviſſimum ſuo motu ad mundi centrum tendebat, ſed cauſa arceſſenda eſt ab eo quod Deus terræ hanc naturam indere voluerit, ut eſſet corpus graviſſimum, aliàs ſi ſuo motu eò tendit terra, etſi à Deo ibi ſuſpenſa non fuiſſet, eò deſcendiſſet ipſa ex ſe. Collocatio itaque terræ, & ejus ſuſpenſio in mundi medio arceſſenda eſt à mera Dei voluntate. Nec ibi ſuis librata ponderibus ſubſiſtit, velut per cauſam naturalem, ſed per meram Dei potentiam ibi ſuſtinetur, æquè ac nubes in aëre. 5. Falſum, abſurditatem illius rei (ſummè nimirum ſapientem aliquid velle, quod non tantùm novit non futurum, ſed nec fieri poſſe) in nulla alia re conſiſtere poſſe, *niſi quod Deus vel miſericordiam ſuam ſinit ferri tantùm in objectum minimè ſuum, & quod cum ipſius ingenio non congruit, vel etiamſi in objectum congruens feratur, in id non feratur ſatis vehementer, & ceſſare debeat, vel progredi ulterius, & τὴν εὐαρεσίαν convertere in eam voluntatem, quæ rerum & eventuum futuritionem certò decrevit.* At quæ quæſo hîc ſcintilla ſanæ rationis? 1. Si abſurdum eſſet, ſummè ſapientem id velle, quod non tantùm novit non futurum, ſed etiam fieri non poſſe, id vel in eo conſiſteret, quod Deus miſericordiam ſuam ſineret ferri in objectum non ſuum, vel ſineret eam in id non ferri ſatis vehementer: Quaſi verò ſufficiens iſta eſſet enumeratio, & quaſi abſurda plurima alia ex hac propoſitione non ſequerentur! Nec ſanè niſi ſenſu communi opus eſt, ut pateat, ſummè ſapientis eſſe non poſſe, tale quid velle, quod hominis vel ignorantis eſt, vel levis, vel temerarii, vel inſani adeòque tale quid Deo affingi non poſſe, quin majeſtatem Dei conculcatam velimus, & dejectam infra miſelli etiam hominis prudentiam. 2. Quid abſurdius quam fingere, Deum velle miſereri hominis miſeri, ſed ſub conditione ne miſer ſit, ex parte ſaltem, quamvis nôrit, illum & ita miſerum eſſe, nec aliter quam miſerum eſſe poſſe? Annon hoc eſt illudere potius miſeriæ alicujus, quàm illius miſereri? Et annon præſtat dicere, talem vel miſeri miſereri non velle, vel non ſincerè ejus miſereri, vel eum debere ita illius miſereri, ut miſer re ipſâ miſericordiæ iſtius fructu potiri poſſit? Aliàs hiſtrioniam exerceri, non miſericordiam. 3. Nec opus, miſericordiam divinam *vel ceſſare, vel progredi ulterius, vel εὐαρεσίαν convertere in voluntatem*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

tem quæ rerum & eventuum futuritionem decrevit: ſed opus, dicere, vel Deum non miſereri ad ſalutem multorum peccatorum, vel efficacitatem ejus actu ſe exporrigere erga eos in eorum converſione & ſalute. Qui *Vaſa miſericordiæ* ſunt, ſunt deſtinati ad gloriam & gratiam. Rom. IX, 23. & utramque actu conſequuntur, & qui tales non ſunt, ſub irâ relinquuntur & neutram vel conſequuntur, vel conſequi poſſunt. 4. Fruſtra philoſophatur, miſericordiam peccati condonatricem ferri in objectum in quo ſit peccatum, nec enim de eo quæſtio inter eos qui cucurbitæ non ſunt. Falſum verò, miſericordiam à peccatore exigere fidem & pœnitentiam, quin ipſa eam prius ponat. Exeritur ſanè miſerationis divinæ actus aliquis erga peccatorem pœnitentem & credentem, ſed prius exeritur actus illius alius erga peccatorem, in pœnitentiæ nimirum & fidei collatione, & cui talem actum non confert miſericordia, erga illum revera non exeritur, cùm miſer non tantum eum non habeat, ſed nec habere ullà ratione poſſit ex ſe. Et fruſtra omnis miſericordia ſub conditione iſtâ ipſi proponitur, ut habeat quod habere non poteſt. De *determinatione miſericordiæ ad certam qualitatem*, ſuprà actum, & ἀκυρολογία notata. 5. Etſi miſericordia Dei objectum eâ qualitate deſtitutum non complectitur actu, ut eâ deſtitutum maneat, complectitur tamen *antecedenter* eâ deſtitutum, ſed *conſequenter* à ſe in ea ponendum. Nec poſtulat ab objecto talem conditionem, ſed dat, & fruſtra poſtularet, niſi daret. Et quî iſtam qualitatem Deus exigit ab extinctis inter gentiles in tenera ætate? 6. Egregia etiam iſta diſputandi ratio? *Teſtatur*, inquit, *Deus ſe eſſe miſericordem erga omnes homines, at eâ lege & conditione, ſi credant & reſipiſcant.* Atqui hoc ipſum eſt τὸ ἀμφισβητούμενον, quod & pro authoritate nobis regerit, & miſericordiam Dei reddit hiſtrionicam erga omnes eos, quos novit conditionem iſtam nec habere nec habere poſſe, & quam illis largiri non vult. 7. *Miſericordiæ* Dei *actus* alios conditionem *in objecto requirere*, alios *objecta ſua conſtituere & veſtire iis qualitatibus, quæ ab aliis actibus poſtulantur*, libenter concedimus, ſed non *diviſim*, verùm *conjunctim*, non quod Dei miſericordia feratur in miſeros, à quibus conditionem tantùm requirat, quos tamen iſta qualitate non veſtiat; ſic enim fruſtrà in illos ferretur, non ſeriò, ſed quia Deus primò in eos fertur ut eos veſtiat qualitate conveniente, pœnitentiâ & fide, deinde eam ab illis exigit. Diſſociare itaque actus illos reſpectu miſeri non tantùm deſtituti conditione iſtâ, ſed qui eâ non poteſt non eſſe deſtitutus, eſt miſeriæ illius illudere, non verò ei remedium emergendi ex ea obtingere velle. Prior itaque miſericordia inanis erga hominem reſipiſcere neſcium, & neceſſariò quidem ſtatuitur, niſi accedat illa quæ non reſipiſcentem reſipiſcentiâ donat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

nat. 8. Haudquaquam revera diverſa ſunt iſta genere actuum miſericordiæ divinæ, propriè loquendo, ſed unus & ſimpliciſſimus actus, iſque adæquatus, & qualitatem neceſſariam dandi,& per ejus exactionem ac præſtationem miſerum ſalvandi. Et quamvis diverſa eſſent, conjuncta tamen ſtatuenda forent, & nonniſi conjunctim conſideranda in ſumma & ſapientiſſima miſericordia qualis Dei eſt: Et ſanè ubi miſericordia Dei ſe exerit, ibi uterque actus iſte reperitur. Nec ſalutis ſub conditione iſta oblatio actus miſericordiæ ſeriæ & ſinceræ eſſe poteſt,reſpectu illius quem Deus novit eâ deſtitutum eſſe, & eam habere non poſſe ſine voluntate conditionis ipſius conferendæ, ſed potiùs actus ſeveritatis & voluntatis tales damnandi. Fruſtra itaque argutatur Animadverſor, *miſericordiæ abſolutæ non eſſe conditionalis actum præſtare, nec conditionalis præſtare actum abſolutæ.* Miſericordiam enim talem *conditionalem* in Deo dari, ipſum κενόμενον eſt; & fingitur in Deo *abſoluta* una, *conditionalis* altera; non entis verò nulla ſunt accidentia. Nec quæritur quo actu hoc vel illud præſtet miſericordia Dei, ſed an præſtet, & an præſtet unum ſine altero? 9. Repetit nudè Animadverſor ipſum κενόμενον, non eſſe ullo modo concedendum, *nemini miſericordiam Dei offerri quæ verſatur in remiſſione peccati, cui non pariter indulgeat eam qualitatem, quæ peccati condonationem antecedere debet*; ipſa enim rei abſurditas & per ſe patet, & abundè à nobis demonſtrata: hoc enim eſt miſericordiam offerre miſero ſub conditione ne ex parte miſer ſit,& illi acerbè inſultare, ut oſtenſum: utique ſuſpendere miſericordiam erga aliquem ab ea qualitate, quam ſcias in eo non eſſe, nec eſſe poſſe, niſi te dante, reverâ eſt ejus non miſereri. 10. *Miſericordia abſoluta* ſanè (nec enim alia eſt) erga neminem ſe exerit, qui non fructum, non alterius miſericordiæ, ſed illius ipſius conſequatur. Aliam verò non dari quàm abſolutam reſpectu miſerorum conditione iſtâ deſtitutorum, ſine aperto ludibrio dici non poſſe, demonſtratum. Dato etiam, non conceſſo,duos iſtos actus dari, ponunt illi ſe mutuò & tollunt, quia neuter ſerius eſſe poteſt ſine altero, vel utilis miſeris; velle enim dare homini fidem & pœnitentiam ſine ſalute, eſt miſerum in *miſeria phyſica* relinquere velle,velle illi dare ſalutem, ſub conditione fidei & reſipiſcentiæ, quam ſcias ipſum nec habere, nec habere poſſe, & quam nolis ei dare, eſt illum relinquere velle in miſeria & *phyſica* & *ethica* ſimul, & ipſum ludibrio habere. *Abſoluta miſericordia* ſola ſufficere poteſt ad ſalutem miſero, nec opus ullâ *conditionali*: Illa enim & conditionem dat, & per conditionem ſalutem. Et ineptè dicitur, *abſolutam miſericordiam conditionatæ actum elicere.* Nec enim elici poteſt actus rei, quæ non eſt. Abſoluta etiam per actus ejuſmodi ſe exerit erga miſerum, qui ipſi ad ſalutem ſufficiunt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

& eum ad eam revera perducunt. Adde, ipſum Animadverſorem actus utriuſque miſericordiæ ita diſtinxiſſe, ut ab uno actus alterius poſtulari non debeat, cur ergo hîc dicit, *abſolutam miſericordiam conditionatæ actum elicere?* II. Conditionatus actus miſericordiæ fingitur, non datur, vel quamvis concederetur eum dari, inanis foret & inutilis naturâ ſuâ, & neceſſariò quidem, miſeris conditione deſtitutis ſine abſoluto. Nec opus, abſolutum ſequi conditionatum, cùm abſolutus ſolus conditionem efficiat & per eam ſalutem. Conditionatæ itaque miſericordiæ ſolius declarationem, ex hypotheſi Animadverſoris, ſapientiæ Dei convenire haudquaquam retro ab eo demonſtratum.

VII. Addit Animadverſor; Me urgere, *homines eſſe duplici malo naturaliter obnoxios, unum eſſe ſitum in reatu, & obligatione ad pœnam quam peccato contraximus, alterum in ipſo vitio quod nobis inhæret. Poſterius autem malum eſſe priore gravius, utpote quod conſiſtit in privatione virtutis, quum alterum conſiſtat in privatione felicitatis duntaxat.* I. Meritò à me dictum, nec ſummè boni, nec ſummè ſapientis eſſe velle miſereri omnium reſpectu *mali phyſici*, nec omnium tamen *malum ethicum* curare velle, hoc eſt, velle hominem ſalvari, ſed ſub conditione ut pœnitentiam & fidem ipſe ponat, quam tamen ei, ut ut invictâ ad utrumque impotentiâ laboranti, largiri nolit. 2. Homines & duplici iſti malo obnoxios naturaliter eſſe, & vitium eſſe malum gravius reatu, ne ipſe quidem Animadverſor negare poteſt. *Malum phyſicum naturâ ſuâ magis aptum eſſe ad movendum eam miſericordiam quæ à nobis condonatrix appellatur*, & falſum eſt & abſurdum. Annon enim miſericordia condonatrix σχέσιν dicit ad id quod condonandum eſt, & condonari debet vel poteſt? *Miſericordia* enim *condonatrix* ἐκ τῆ πρός τι eſt, & alicujus condonatrix; Cujus verò eſt condonatrix? An mali *ethici* vel *phyſici?* *Phyſici* eſſe non poteſt, quia id condonatione opus non habet, ſed curatione; Id verò condonatione opus habet, quod condemnationem conciliat; tale verò eſt malum *ethicum*, *non phyſicum*. *Miſericordia curatrix*, ut ita loqui liceat, occupatur circa *malum phyſicum*, *miſericordia* verò *condonatrix* occupatur circa *malum ethicum*. Si etiam *magis aptum ſit malum phyſicum* ad movendam iſtam miſericordiam, *malum* ſaltem *ethicum* aptum erit ad eam aliquatenus movendam, quod poſtmodum negat. Propriè tamen loquendo nec *malum phyſicum*, nec *malum ethicum* aptum eſt ad movendam miſericordiam condonatricem, aliàs æqualiter eam moveret: Cùm enim *malum phyſicum* æquè ac *ethicum* in omnibus miſeris natura ſua idem ſit, quî magis in hoc aptum eſt movere miſericordiam condonatricem quàm in alio? Haudquaquam itaque motio iſtius miſericordiæ arceſſenda ab *objecto*, ſed à *ſubjecto*, non à *malo ethico* vel

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

co vel *phyſico* hominis, ſed à ſolo Dei beneplacito. 3. *Malitiam per ſe miſericordiam non concitare, ſed odium*, extra controverſiam eſt; Quid verò id ad rem? An enim à nobis dicitur miſericordiam Dei à *peccato concitari?* Annon id quæritur, an ſit ſapientis, velle miſereri alicujus reſpectu *mali phyſici*, non curato *malo ethico*, ſine cujus tamen curatione *ex malo phyſico* nemo emergere poteſt. 4. Deum teſtari, *ſe hominum non miſereri, niſi ſub ea conditione ut dent operam, ne vitio ſuo miſeriâ ſuâ ampliùs digni ſint*, & falſum eſt & ridiculum, ſi illorum vitium tale ſit, ut non poſſint non dare iſtam operam, & non eſſe non miſeri & miſeriâ digni. De talibus verò hic agitur, qui iſti miſericordiæ objiciuntur in hoc ſtatu; an talium Deus miſereri ſeriò dicatur. Indigniſſimum itaque revera Dei bonitate & ſapientiâ eſt dicere, *Deum velle miſereri omnium reſpectu mali phyſici, ſi modò deſiſtant à malo morali, quo ſeſe miſeriâ digniſſimos reddidere*. Idem enim eſt ac dicere, Æthiopem à morbo curandum modo deſinat eſſe niger. Æquè enim impoſſibile eſt homini, quod unum ſpectamus (quæcunque potentiæ diſtinctio adhibeatur) à *malo phyſico* ſe curare, ac *à malo* illo *ethico*, quod æquè incurabile ex ſe ac prius. Nec *ingenium virtutum Dei*, ut loquitur Animadverſor, tale eſt, nec Deus ita iis uti poteſt, quin deſinat eſſe quod eſt. 5. Peccatur *ignoratione elenchi*. Nec enim quæſtio eſt, an Scriptura homines hortetur ut reſipiſcant, hoc eſt ut à *malo morali* ad bonum morale ſe convertant, ut compotes ſint remiſſionis & liberationis ab ira ventura, hoc eſt à *malo phyſico*: ſed quæſtio eſt, an qui vult tantùm hortari homines ut reſipiſcant, & non illis gratiam facere reſipiſcentiæ, quamvis ſciat eos non magis ex ſe reſipiſcere poſſe, quàm non eſſe quod ſunt, & reſipiſcentiæ donum nonniſi à ſe dari poſſe, ſeriò velit eos liberari ab ira ventura? Certum quidem, reſipiſcentiam medium eſſe quo homo liberatur à *malo phyſico*, ſed & certum, hortationem iſtam interdum veluti *legalem* eſſe, hoc eſt, merè *imperativam* obſequii, interdum velut *Euangelicam*, hoc eſt, ejus *operativam*, & talem quidem eſſe vel hac horâ vel aliâ reſpectu filiorum Dei. Suſpenſio itaque liberationis ab ira ventura, ab hoc medio, & iſtius negatio oſtendunt noluntatem Dei de talibus ſalvandis, quibus hoc negare conſtituit. 6. Ἐξαγώνιον, apud Ezechielem, Pſaltem, & paſſim alibi proponi ablationem *mali phyſici* ſub conditione ablationis *mali moralis*: an verò id in quæſtione? Annon potiùs id in quæſtione eſt, an talia proponens, & prius à poſteriori ſuſpendens, iſtius verò gratiam non faciens omnibus, omnium tamen ſalutem ſeriò velit? 7. Digreſſio inutilis additur ab Animadverſore de juſto nexu *mali phyſici* cum *malo morali*, & de liberatione ab illo poſt remotionem iſtius: nec enim iſta ullo modo nos feriunt. 8. Quod addit: *Deum adeò miſericordem fuiſſe,*

ut utrique illi malo, phyſico ſcilicet & morali remedium adhibere voluerit: Id vel *univerſaliter* factum cenſet, vel *particulariter*. Si *univerſaliter*, id in omnibus curatum fuiſſet, quod falſum: Si *particulariter*, nihil concludit pro gratia ſua univerſali. Si excipiat, id *univerſale* quidem fuiſſe, ſed *pependiſſe ex eadem conditione, ſi modò homines eo uti non dedignarentur:* Iſta exceptio multimodis abſurda eſt. Offerre enim alicui remiſſionem reatus ac liberationem à dolore, ſub conditione quam ſciat eum non habere, nec habere poſſe, eſt beneficia iſta illi non offerre, & non velle eum liberare, ſed id nolle. An etiam ſub conditione iſta beneficium illud oblatum iis qui nihil unquam vel de remedio adhibito, vel de liberatione illa audivere? An illis etiam qui ne per ætatem quidem illa audire potuere? Quid magis etiam ridiculum, quàm dicere, *Deum abolitionem vitii pariter in eodem Redemptore ſpopondiſſe, in quo Spiritum ſanctificationis poſuit, qui omnibus unà cum remiſſione communicaretur, ſub conditione, ſi homines eo uti non dedignarentur?* Hoc eſt, Deum abolitionem vitii ſpopondiſſe ſub conditione modo homines ex parte vitio iſto non laborarent, quo tamen non poterant non laborare, & quo conditionem iſtam exigens eos laborare incurabiliter ſcivit. Annon incredulitas Animadverſori pars eſt iſtius vitii, & una è potiſſimis quidem? Id ſanè negari nequit, niſi vitium non ſit, ſed virtus. Sin incredulitas pars ſit iſtius vitii, & quidem incorrigibilis ex ſe, annon abolitio iſtius vitii ſpondetur ſub conditione, ut pars ejus non habeatur? Annon etiam fides eſt donum Spiritus ſanctificantis? Si ſit, ineptum eſt, donum Spiritus ſanctificationis ſpondere ſub conditione, ut jam præhabeatur, ſecundùm aliquid ſaltem ſui. Sin non ſit, à quo eſt fides? An naturæ vel gratiæ opus eſt? Tum ſi fides jam habeatur, jam ſunt ſanctificata corda, quia *fide purificantur. Non dedignari* etiam *uti conditione*, eſt eam amplecti, adeòque jam credere. 9. Peccat *ignoratione elenchi* denuò Animadverſor, dum probat ex Joh. VII, 38, 39. diſtinguendum eſſe inter Spiritum quem Chriſtus jam credentibus communicat, & fidem ipſam, ob quam jam præſtitam Spiritus ille communicatur. Quis hoc in controverſiam vocat inter nos? An inde evertitur vel Spiritum ſanctum non eſſe cauſam efficientem fidei, vel fidem haberi poſſe quin Spiritus ſanctus operetur in cordibus credentium? Extra controverſiam cæteroquin, habentibus fidem, Spiritum ſanctum dari ſecundùm gradus ulteriores ſanctificationis, quippe cujus gradus dari conſtat. Malim tamen dicere, *habentibus fidem* dari Spiritum, quam *ob fidem*, ne id opportunum ſit adverſariorum cavillis. Et prius docetur loco citato Joh. VII, 38, 39. non poſterius. Adoptionem conferri iis tantùm qui crediderunt, nec nos, nec noſtram cauſam ferit, nec quicquam

facit

facit pro Animadverſore. Imò quia Deus iis tantùm vult conferre adoptionem qui crediderunt, eos tantùm vult ſalvari, quibus vult dare ut credant. Fides etiam vocari poteſt conditio antecedanea adoptionis, ſed non voluntatis ſalvandi, de qua quæſtio eſt, haudquaquam verò de illa. Niſi verò digreſſionem omnem evitare conſtitutum nobis eſſet, multa etiam ad illum locum, quem alludit Animadverſor ex cap. 1. Johan. notare poſſemus, quî & quo ſenſu iſta à Johanne dicantur. An verò ſi adoptionis conditio antecedanea ſit fides, & fides ſit conditio antecedanea ſalutis, ſequetur eandem eſſe conditionem antecedaneam τȣ̃ velle Dei de ſalute hominum? An cauſa vel conditio poſterioris eſt etiam cauſa vel conditio prioris? 11. *Spiritum adoptionis indulgeri ideo quia jam adoptio donata eſt*, fruſtra adjicitur, & probatur ex Gal. IV, 6. nec enim in quæſtione inter nos eſt, *quibus* indulgeatur ſpiritus adoptionis, vel *propter quid*, ſed an ſub conditione fidei Deus velit tollere vitium in hominibus, in quibus una ex præcipuis vitii partibus eſt incredulitas. Quid opus etiam anxiâ probatione, fidem præcedere aliquam ſpiritus adoptionis donationem? Cur eo ſe fatigat? Hoc verò probandum erat, fidem non haberi à Spiritu ſanctificante, vel dari poſſe in ullo, antequam Spiritus ſanctificans in eo fuerit operatus. Eo ipſo verò quo fides ut conditio neceſſaria præcedit, & quidem ex ordine à Deo inſtituto, & adoptio ac Spiritus Sanctificans qui eam comitatur, ut res promiſſa conditioni ſuccedunt, iis dona iſta poſteriora haudquaquam Deus vult, quibus non vult fidem. Sub qua enim conditione iis volet fidem? Si ſub nulla, dabit illis fidem: Si ſub aliqua, quænam illa eſſe poterit? An ſi homo admittat prædicationem Euangelii & hortationes ad fidem? Quid verò inde ſequitur? nimirum Deum hominibus dare velle fidem, ſub conditione ſi illam jàm habeant? Admittere enim talia, eſt jam credere. 12. Fruſtra Animadverſor eſt, dum docet Eccleſias noſtras hanc doctrinam eſſe amplexas, & hactenus Dei beneficio firmiter tenuiſſe, Confeſſ. Art. XXII. & Catech. Sect. XX. quæ ſit ipſiſſima Calvini doctrina. Vtinam verò Animadverſor hæreret illis quæ amplexæ ſunt Eccleſiæ noſtræ, & habent partim in Confeſſionibus ſuis, partim in Catecheſibus, abſtinuiſſet ſe à dogmatibus plurimis heterodoxis vel invehendis vel propugnandis. Ne latum quidem unguem, per Dei gratiam, recedo vel à Confeſſione illa, vel à Catechiſmo, & ad Symbola illa ipſa Eccleſiarum Gallicanarum toto animo & à me tradita examinari poſt Scripturam cupio, & tradita ab Animadverſore. Doceat ex illis Animadverſor *prædeſtinationem* ſuam *univerſalem conditionatam, redemptionem univerſalem, fidem ſine cognitione Chriſti, tria fœdera, non imputationem peccati Adami*, & alia id genus. Diſertè

etiam habet Articulus XXII. Confeſſionis, nos *per fidem regenerari*: Adeòque Spiritum Sanctum fidem in nobis producendo nos ſanctificare. Ergo prima ſemper Spiritus operatio eſt fidem ingenerare: Secunda per fidem ingeneratam nos regenerare. Ex his judicabit jam Lector accuratus, quî vel mea everſum, vel ſua ſtabilitum iverit Animadverſor!

VIII. Addit, me pergere: *Nec ſummè boni, nec ſummè ſapientis eſſe, velle omnium miſereri, ſeu reſpectu mali phyſici, ſeu reſpectu mali moralis, ſub conditione planè impoſſibili. Fidem autem illam eſſe rem præſtitu planè impoſſibilem iis quibus Deus eam gratiam non indulget, quæ ex miſericordia abſoluta deſcendit.* Meritò ſanè iſta à me oppoſita Animadverſori, quæ ut *lethalis arundo* hærebunt ſemper lateri Theologiæ ſuæ. Quî verò hoc telum altè ſibi adactum evellere conatur? *Iſtam objectionem*, inquit adeò fusè *refutatam à ſe in prima parte ſpecialiorum Animadverſionum, ut vix ſit eam attingere nunc neceſſe.* Cur verò bis illam occupat, & cur non ſemel ſufficienter ſolvit? Quid opus duplici confutatione? Annon ideo duntaxat hoc dicit, ut Lectorem amplâ ſpe diſtineat, eo ipſo verò ſatis teſtatur, ſe hîc ei non ſatisfacere? Solemne hoc Animadverſori eſt, cùm reſpondendum eſt, Lectorem hiantem deſtituere, & μεγαλεῖα ſua alibi præſtita jactare, ſed ſine deſignatione paginarum, in quibus ſibi trophæum ejuſmodi erexit. *Pauca* interea Lectorem hîc habere vult, & tamen pauciſſimis lineis meis ſex propemodum paginas opponit alienæ prolixitatis cenſor, cui omnia à ſe dicta, *pauca*, dicta ab aliis, *multa*, quia ſe unum audiri vult, & impatienter fert, ullum ſibi obloqui. 2. Quæ hæc nova etiam ſapientia? *Impoſſibile eſt*, inquit, ἀδύνατον, hoc eſt, caput eſt κεφαλή. Scilicet opus erat iſta nos docere vel Lectorem! Annon quod de ἀδυνάτῳ ſubjicit, illud eſſe *ad quod efficiendum nulla δύναμις eſt comparata*, idem ſine Græcatione dicere poterat, *impoſſibile eſſe ad quod efficiendum nulla potentia eſt comparata.* 3. Quid opus erat addere, *nullam δύναμιν ad aliquid efficiendum comparatam eſſe*, dici *vel abſolutè vel reſpectu creaturarum tantùm. Et abſolutè quidem nihil eſſe ἀδύνατον, niſi quod ſeſe repugnantiâ & contradictione ſubvertit. Et talem non eſſe fidei impoſſibilitatem, quod* probat aliquot rationibus; an hoc eſt reſpondere ad rem? Cui bono iſta digreſſio? An hoc docendi eramus? 4. *Inquit, in creaturis δύναμιν ad fidem præſtandam neceſſariam duobus modis conſiderari debere: Vel enim ſtatui, illam conſiſtere in potentia aliqua naturali, vel conſiderari, ut eſt ſita in potentiæ naturalis conſtitutione, & comparatione aliqua, quæ potentiæ operationes vel juvet vel præpediat.* Quid verò opus prolixè probare in hominibus eſſe δύναμιν, hoc eſt intellectum & voluntatem? An id etiam docendi eramus? Et an ſine iſtis potentiis homines poterant eſſe homines? An ob id ſequitur, fidem hominibus corruptis

& in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

& in peccatis mortuis eſſe poſſibilem? Annon ſic in damnatis erit potentia ad Deum ſalutariter cognoſcendum & amandum? Habent ſanè & illi intellectum ac voluntatem, & intellectum quidem vero comprehendendo, voluntatem bono expetendo à natura comparatam. Et hoc eſt partim ἀληθὲς, partim ὀρεκτὸν. Nihil aliud ipſis deeſt, quàm quod facultates illas ad talia obſequia rectè & ordine non applicent. Annon itaque hoc ludere eſt in re ſeria? Annon ſic & cœcus δύναμιν habet ad viſum, ſurdus ad auditum, & defectus tantùm eſt in potentia ſecunda, ſive in organis? 5. Quò verò iſta ratiocinatio grandiloqua redit? Si homines facultates ſuas intellectum & voluntatem ad objecta debita rectè atque ordine applicarent, fides eſſet illis præſtabilis, hoc eſt, ſi homines corrupti non eſſent corrupti, ſi mortui in peccatis non eſſent mortui, adeòq; ſi non eſſent quod ſunt, & quod non poſſunt non eſſe, & ſi mortui illi exererent actum vitalem, *fides illis eſſet res præſtabilis*. Hoc verò meram ἀδολεσχίαν dicerent, qui ſcapham ſcapham vocarent. At de quibus ſermo, quî credere debent? Annon de hominibus mortuis in peccatis, & omnino mente cæcis, voluntate pravis, affectibus rebellibus, & incorrigibiliter quidem talibus? Quî fides illis eſt res præſtabilis ſecundùm Animadverſorem? Si non ſint ita cæci, pravi, rebelles? Eſtne hoc diſputare, an illudere Lectori? Et hoc ipſum jam in Theſibus occupatum prætermittit ſecurè Animadverſor, quod tamen centrum eſt difficultatis, & rhetoricatur de iis quæ non faciunt quicquam ad cauſam. 6. Non pugnat ſanè, nec cum ſapientia Dei, nec cum ejus bonitate, ut ſalutem velit vel promittat, ſub conditione talis operationis, ad quam naturalem facultatem conceſſit, quamdiu iſta facultas talis eſt qualem conceſſit: pugnat verò, quando iſtam facultatem in homine planè corruptam novit, & incorrigibiliter quidem, ei felicitatem promittere cum intentione, ut ſalvari poſſit, ſub conditione ne facultatem corruptam habeat. Haudquaquam itaque confundendus *ſtatus inſtitutus* & *deſtitutus*. Sic, ſi Rex ingentem gazam conceſſiſſet gratioſo, dum eam illum habere novit, poteſt ei polliceri dignitatem ſeriò, ſi eam benè cuſtodiat, vel eâ bene utatur; Sin nôrit, gazam iſtam vel negligentiâ ejus, vel aliis de cauſis prorſus dilapidatam eſſe & interverſam, dicere, Regem illi polliceri ſeriò iſtam dignitatem ſub eadem conditione, eſt dicere, Regem iſtam dignitatem illi revera nolle. 7. Fruſtra philoſophatur de vitio duplici *phyſico* & *ethico*, quo δύναμις laborare poſſit, quum nôrit, controverſiam eſſe de poſteriori. 8. Quo ad infantes innumeros exſtinctos inter Gentiles in cunis, & quo ad multos qui naturâ ſtupidi, & nihil hominis præter formam externam habent, quales integræ etiam gentes, & quo ad phrenetico-

tico-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

ticos varios, revera vitium illud *phyſicum* potiùs eſt quàm *ethicum*, adeòque cùm ſapientiæ & bonitati non conveniat, talibus aliquid promittere, *quorum facultates naturali vitio ſunt præpeditæ*, reſpectu iſtorum ſaltem concidet univerſalitas promiſſionis, quum tales, ſive per naturam ſive per verbum vocentur, ab ea etiam parte facultatibus illis non valeant, nec mente utantur vel conſilio, nec etiam vel per ætatem, vel per naturæ hebetudinem iis uti poſſint. Falſum verò, eos *oppidò pauciſſimos* eſſe, quibus tale aliquod ἥττημα uſum intellectus præripit, myriades enim talium dantur. Etſi talibus *gratiæ rejectio & contemptio* non imputatur, & iſta ſola damnationis ſit cauſa, tales revera ſalvandi erunt; Sin illi dicantur damnari propter peccatum originis, quod ſecum ferunt, gratia non poteſt dici univerſalis, ne *objectiva* quidem, quippe quæ talibus nunquam objicitur, nec objici poteſt. 9. Non agitur de *uſu* intellectus & voluntatis ſimplici, ſed de *recto uſu* iſtarum facultatum, quem quum non *præpediat* tantum ἥττημα quoddam, ſed *impediat* omnino moralis quæ in utraque facultate ſupponitur eſſe corruptio, abſurdè & omnino præter rem urgetur uſus naturalis reliquus adhuc iſtarum facultatum, quem tamen nec habent, nec habere poſſunt. 10. Vel etiam *univerſaliter* dicit, ***vitium morale conſiſtere in malitia, pertinacia, ignorantia affectata, amore rerum terrenarum acerrimo, Dei contemptu, & pulchri atque honeſti averſatione vehementi***, & ſic falſum dicit, quia vitium iſtud univerſale non eſt, nec vel infantibus ſuprà commemoratis vel ſtupidis gentibus, vel phreneticis impingi poteſt: Vel *particulariter*, & ſic non ſalvat promiſſionis ſub iſta conditione propoſitionem univerſalem. Vbi verò talia ſunt *ibi aliquid odio digniſſimum eſſe* nemo ambigit, nec iis tantùm mentes *mirum in modum occupatæ ac præpeditæ*, ſed & incorrigibiliter per naturam. Et quia *tanta vis eſt earum rerum, ubi ſemel inoleverunt, ut rectas & legitimas mentis ac voluntatis operationes intercipiant, & pertinaciſſimè obſtinent, ne in apprehenſione* τοῦ ἀληθοῦς καὶ τοῦ ἀγαθοῦ *quod in Euangelio fulget, convenienter verſentur*, & incorrigibiliter quidem per naturam; An ſummæ ſapientiæ & bonitati convenit, talem vim inolitam noſſe in omnibus, & tamen illis promittere ſalutem ſub conditione, ne iſto vitio laborent, quo ſcit eos non poſſe non laborare ſine ope ſua ſingulari, quam tamen illis haudquaquam decrevit? 11. Supponit etiam Animadverſor ſine probatione, illud ἀληθὲς & illud ἀγαθὸν, quod in Euangelio fulget, omnibus revera fuiſſe revelatum quod eſt πρῶτον ψεῦδος, & ab Apoſtolo confutatum Rom. x, 14, 15. 12. Si etiam eo reſpectu præſtatio fidei hominibus omnibus in corruptione ſua à Deo relictis ſit ἀδυνατόν τι, καὶ τὸ βίαιον, ſub conditione ἀδυνάτῳ Deus dicitur ſalutem polliceri innumeris: Adeòque nec Sapientiâ utitur in eâ diſpen-

diſpenſatione nec bonitate, quia id eâ intentione dicitur facere, ut ſalventur.

IX. Audiamus verò rationes, quæ oſtendant, vitium iſtud & ἀδυναμίαν iſtam non impedire, *ne Deus omnibus hominibus ſeriò & miſericorditer, ac ſapienter ſalutem promittere poſſit*, quas Animadverſor pollicetur, uno obſervato in anteceſſum, ſemper ipſum ſupponere, talia omnibus & ſingulis mortalium ſub conditione ejuſmodi promiſſa eſſe, quod non tantùm falſum, ſed ne fieri quidem potuit, reſpectu multorum, ut demonſtratum. Sic verò diſputat: Primùm *ſi talis ἀδυναμία vetat, ne Deus quicquam hominibus ſpondere poſſit, vetabit pariter, ne quid iis poſſit pœnarum denuntiare. Haud enim eſt cum ejus juſtitiâ atque ſapientia congruentius, ut poſſit fidem ab hominibus exigere cum interminatione pœnæ, ni pareant, ſi fides eſt res præſtitu impoſſibilis, quàm convenit ejus cùm bonitati tam ſapientiæ, at poßit fidem ab hominibus exigere cum promiſſione remunerationis, ſi non credere res eſt illis omnino inevitabilis. Nemo igitur ex non-electorum numero pœnas dabit ideò, quia non credidit, quod tamen Scriptura S. falſum eſſe clamat.* At revera primâ iſtâ ratione nihil futilius, ob *Elenchum parium & conſequentiæ* evidentem, quamvis enim ἀδυναμία illa vetet, ne Deus quicquam hominibus ſeriò ſub conditione ut ea non laborent ſpondere poſſit, haudquaquam tamen vetat, quo minus poſſit iis pœnas decernere; Ratio diverſitatis eſt, quia ἀδυναμίαν illam non dedit homini, ſed eam homo ſibi attraxit, & culpâ ſuâ & ſponte ſuâ. Vt itaque creditor non amittit jus ſuum in debitorem, quia is foro ceſſit, & in impotentiam ſolvendi ſe ſua culpa conjecit, minus Deus. An ſapienter poterat herus Matt. XVIII. ſpondere ſervo dignitatem, ſub conditione, ut illa decem millia talentorum exſolveret? Illuſiſſet reverâ ſervo potius quàm ei quicquam promiſiſſet. Potuit tamen jure herus ille & à ſervo exigere illa talenta, & ob non præſtitam ſolutionem eum in carcerem conjicere, & tortoribus objicere. Adde, *fidem* ab omnibus & ſingulis haudquaquam exigi, minus cum interminatione pœnæ, ut demonſtratum, quod tamen ſemper ſupponitur ab Animadverſore. Exactio verò debiti poteſt urgeri à ſuperiore, ad oſtendendum jus ſuum, ad convictionem debitoris & humiliationem, ad correctionem ejus aliquam, ad aliorum terrorem, aliorum verò ſolatium, qui iiſdem quidem debitis attinentur, ſed quæ exactor illis condonare ſe velle teſtatur. Omnes itaque ex non Electorum numero pœnas debent, tum quia non crediderunt multi Dei verbo, aſſerenti Chriſtum eſſe Filium Dei & Salvatorem, tum quia alii ſimpliciter pœnitentiam non egêre, nec ſe convertêre ad Deum, ad quæ tenebantur naturali debito. 2. Virorum doctorum reſponſio quam tangit Animadverſor, qui dicunt, *ho-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

minem quod Deo creditori ſuo decoxit Deo jus non eripuiſſe, quominus debitum exigeret, vel ſolida eſt, vel non; ſi ſolida eſt, cur eam perſtringit? ſi non, cur non probat eam talem non eſſe, quod nunquam ullo acumine præſtabit. 3. Nec verò vel Sapientiæ Dei vel bonitati aut rectitudini quicquam decedit, ſi juſtitiæ ſuæ exercitium denuntiet hominibus, niſi deſiſtant eſſe id quod ſunt, & quod non poſſunt non eſſe, quia quod hoc ſunt, quod ſunt, hoc eſt, mali & corrupti, ſua culpa ſibi contraxere, & alii eſſe debent, & Deus alioquin amitteret jus ſuum in hominem, nec poſſet ab eo exigere quod ipſi dedit, & quod ille conſervare & reſtituere debet, vel uti de poſitum quoddam, quæ omnia ne quidem inter homines ſanos locum habent. Adde, exactionum id genus fines dari varios, ut oſtenſum, nec Deus eâ intentione ab iis exigit quod debent, quaſi expectet eos id præſtituros, ſed ob fines illos ſupra deſignatos, & alios id genus. Adde, juſtitiæ patefactionem in exactione mera debiti, ſpectare illius exitium, à quo exigitur cum rigore debitum, & Deum talem à quo debitum exigit tantùm, punire velle, meritò itaque ei denuntiat iram ſuam, niſi habeat & reddat vel depoſitum, vel debitum, ut convincatur quod & illud acceperit, & reddere teneatur. Abſurdiſſimum verò ex adverſo, Deum dici intendere vel velle ſalutem eorum quos novit ἀδυναμίᾳ illâ credendi laborare, & eam in æternum ejurare non poſſe, & ſatis eſſe, eum miſericordiam ſuam illis patefacere, & ſalutem polliceri eâ lege ut eam ejurent. Judex poteſt ſeriò homini denuntiare, ut reſtituat bona interverſa, quamvis eâ reſtituere non poſſit, ut convincatur de culpa ſua & juſtitia judicii; Sin minus, futurum, *ut luat in corpore, quod non habet in ære.* Sed judex ſeriò non poteſt promittere ejuſmodi homini impunitatem, minus dignitatem, ſub conditione ut ea reſtituat, quæ novit illum nec reſtituturum, nec reſtituere poſſe, nec iſtius reſtitutionis ullum dari medium niſi ſe dante, quod tamen haudquaquam illi dare decrevit. Quamvis itaque Deus & interminans pœnam homini niſi credat, & promittens ſalutem ſi credat, ex æquo proſpiciat homines non credituros, prius tamen ſapienter facere poteſt, & pro jure ſuo, poſterius non, quia priori intendit quod reverâ homini poſtmodum infligit, nimirum exitium, poſteriori non item, quia non aſſequitur quod intendit. Prioris fines graves dantur, poſterioris non item. Falſum itaque, vel non electorum reſpectu ſalutis promiſſionem eſſe ſeriam, ſapientem & miſericordem, vel non eſſe non electis imperandum ut credant. Nec itaque *Miniſtros prophetas* eſſe oportet, ut credendi ac reſipiſcendi mandatum ad ſolos electos dirigant, ſatis enim illos inculcare officium & debitum commune. Nec Synodus Dordracena malè mandatum fidei & pœnitentiæ omnibus com-

commune eſſe voluit, quibus Euangelium annuntiatur, modò ordo ſervetur in mandati iſtius propoſitione, quod Synodus illa non à fide ſed à pœnitentia inchoari ſapienter voluit, præter actuum fidei diverſorum ordinem obſervandum, à nobis in Exercitationibus demonſtratum.

X. Reverâ ἀδυναμίαν credendi prohibere, quominus Deus eâ laborantibus ſalutem velle & promittere ſeriò poſſit & ſapienter, ut ut eam ab illis auferre nolit, inde inter alia provenit, quod promiſſio illa nequit eis eſſe utilis. Quid opponit Animadverſor? Hoc ipſum ſanè negare non poteſt, quod unum ſufficit ad evertendam promiſſionem iſtam univerſalem conditionatam, quam ponit. Quid verò addit? *Si promiſſio iſta,* inquit, *illis non poſſit eſſe utilis, nec debere eſſe damnoſam. Atqui ex promiſſione gratiæ grave damnum ad incredulos accedere, quum talium pœnæ longè ſint futuræ atrociores quàm eorum, qui in legem offendêre duntaxat: Conſentaneum itaque eſſe, ut ex Euangelii prædicatione ſalutem aliqua ratione conſequi poſſe dicantur.* Argumentationis iſtius tota vis huc redit; Si promiſſio ſalutis non poſſet ullo modo eſſe utilis non electis, eſſet illis damnoſa tantùm. Conſequens abſurdum; Ergo & antecedens. Reſp. 1. Supponi falſum, illam nullo modo eſſe utilem multis, quamvis illis non ſit utilis ad ſalutem, nec proponi ſapienter à Deo poſſe, niſi illis ad ſalutem ſit utilis. At utilis eſt multis ad coërcitionem aliquam, ad honeſtiorem converſationem, ad abſtinentiam à gravioribus flagitiis, adeòque ad mitiorem punitionem. Vbi verò hoc ultimum, ibi, ut Animadverſor ipſe docet, aliquod miſericordiæ exercitium datur. *Fit enim miſericorditer, quando aliquis magnâ maledictionis parte levatur.* 2. Supponitur falſum aliud, *ferri non debere, quemquam ex ulla re magnum damnum accipere debere, ex qua nullum omninò emolumentum capere poteſt.* At annon ex nativitate infantium gentilium ex Adamo corrupto, magnum illi damnum accipere coguntur, nullum verò omninò emolumentum, idque ex ordinatione Dei? An dubium etiam, ex propoſitione promiſſionis, *hoc fac & vives,* multis Iſraëlitis grave tantùm damnum, & ſeveriores pœnas acceſſiſſe, quàm experiuntur ii quibus verbum illud Dei legale & jura ac ſtatuta propoſita non fuere? 3. Falſiſſimum, *conſentaneum eſſe, ut ex Euangelii promiſſione ſalutem aliqua ratione non electi conſequi poſſe dicantur*; quod eſt & τὸ ἐν ἀρχῇ & contradictionem implicat, illos qui ἀδυναμίᾳ ſalutem conſequendi laborant, eam *aliquâ ratione conſequi poſſe,* adeòque ἀδυναμίᾳ non laborare. Fruſtrà itaque falſiſſimo iſti fundamento quod novit à nobis negari, ſuperſtruit conſequentias ſuas, *non eſſe ergo illis fidem rem adeò ab omni parte impoſſibilem, quin eis ſalus ſeriò ſapienter & miſericorditer offerri queat,* tametſi ἀδυναμίᾳ illâ vitioſâ & inſuperabili laborent. Præterquam verò quod iſta ſint

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

ἀντίγραφα & ἀθεόλογα, *non electis fidem eſſe aliquâ ratione poßibilem*, adeòque poſſe aliquem venire ad Chriſtum, quamvis Pater eum non trahat, poſſe aliquos audire vocem Chriſti, quamvis non ſint oves Chriſti, poſſe aliquos credere quamvis non ſint ordinati ad vitam æternam: Si fides non electis non ſit impoſſibilis ex omni parte, non ſunt planè & ab omni parte corrupti: Nec quæſtio, an ἀδυναμία illa ſit *vitioſa & vituperabilis*, quâ laborant, ſed an ſit ἀδυναμία revera ſic dicta, & totalis quidem, & an arbor iſta mala fructus ullos bonos ullâ ratione ferre poſſit? Salus itaque eâ laborantibus ſeriò, ſapienter & miſericorditer offerri nequit. Egregium verò εὕρημα, ideo fidem eſſe aliquâ ratione poſſibilem talibus, quia poſt peccatum iis conſervatæ ſint à Deo facultates intellectus & voluntatis, vero credendo, & bono expetendo à natura deſtinatæ. Quaſi verò quæratur, an homo corruptus homo ſit, homo verò homo non eſſet, niſi facultates intellectus & voluntatis haberet. An verò ſequitur, hominem has facultates corruptiſſimas, & incorrigibiliter quidem tales habentem, poſſe exerere actum illarum non corruptum? An ſequitur, hominem mortuum in peccatis actum vitalem edere poſſe? An cæcus, quia habet *potentiam* viſivam *primam* poteſt elicere actum viſionis, quia iſta potentia ad actum illum naturaliter eſt deſtinata? Annon in Diabolis etiam & damnatis facultates iſtæ adhuc ſunt reliquæ? Conſervari ſanè oportuit iſtas facultates, quia ſine illis homo ne homo quidem eſſet, ſed ideo conſervatas eſſe, ut ſic fides vel ſalus hominibus non electis eſſent poſſibiles, id verò ſplendidè ſupponitur, non probatur.

XI. In *tertia ratione* mira Sophiſticatio apparet, & ſtudium contradicendi apertæ veritati. Argumentum breviter tale eſt: Si ſapientiæ & miſericordiæ Dei non convenit, hominibus aliquid promittere, ſub ea conditione, ad cujus præſtationem habent quidem facultates, ſed *vitio inemendabili* præpeditas, eo quod non convenit illi aliquid promittere iis ſub ea conditione, ad quam præſtandam nullam habent facultatem, ſequitur utrobique eandem rerum illarum diſconvenientiam inter ſe eſſe. Falſum *conſequens*, Ergo & *antecedens*. Conſequens falſum eſſe ex eo probat, quia ἀδυναμία ex facultatum inopia orta excuſat, ea verò quæ conſiſtit in facultatum vitioſitate morali, nullam excuſationem habet, & quò illa major, tantò meliorem præbet excuſationem, quò verò major iſta, tantò deteſtabilior eſt, & minus excuſanda. *Reſp.* 1. Peccari *elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον *& paralogiſmo à dicto ſecundum quid*, vel inſufficienti enumeratione. Satis enim utrobique impoſſibilem & non attingibilem reddi eventum, & bonum quod ſub ejuſmodi conditione promitti dicitur. Id verò hîc reperitur. Quemadmodum enim ille, qui facultates non habet ad

ad aliquid præſtandum, nunquam illud præſtare poteſt: Sic nec ille, qui facultates inemendabili vitio præpeditas habet, unquam illud præſtare poteſt, quod non niſi ab eo præſtari poteſt, qui facultates vel integras habet, vel inſtauratas. Et hac quidem in parte coincidere utramque impotentiæ ſpeciem moralem & naturalem, negare non audet alibi Animadverſor, quod unum iſtâ comparatione intendimus. 2. Per συγχώρησιν, dato non conceſſo, exigi eandem rerum illarum diſconvenientiam inter ſe; Annon æquè diſconvenit *impotentia morali* inevitabili, ut *effectum moralem* producat, ac *impotentiæ naturali*, ut producat *naturalem?* 3. Peccatur ignoratione Elenchi vel ſaltem *paralogiſmo à dicto ſecundum quid*, nec enim hîc quæritur, an impotentia moralis æquè excuſet ac naturalis, vel non, ſed annon ſit æquè impotentia, & quidem æquè inevitabilis in ordine ad effectum producendum. Imò quia comparantur inter ſe, non poſſunt eſſe eædem. Idem enim non comparatur cum ſeipſo, ſed cum alio, & *ſecundùm quid* tantùm ſimilitudinem habet cum eo cum quo comparatur. Fruſtra, itaque ludos hîc ſibi facit & Lectori Animadverſor, quaſi quia in aliquo diverſa ratio eſt utriuſque impotentiæ, diverſa ſit in eo quod præcipuum eſt, & de quo hîc quæritur! Et hac ratione non *diſcrepantem effectum creat*, ut loquitur, *reſpectu hominum*, *ſed eundem planè*. Adeòque utraque prohibet hactenus ex æquo, ne quid Deus promittere dicatur ſub conditione ne impotentia illa in hominibus ſit, quando illos eâ & inevitabiliter quidem impediri novit, ne vel effectum dent vel effectum dare poſſint, quod ab illis exigitur ut conditio.

XII. Denique *ratio quarta*, quam ſubnectit Animadverſor, nihilo melior eſt. Nec enim quęſtio eſt 1. An poſtulatio Dei ſapiens ſit vel æqua, dùm exigit *officium* quod jure pręſtare tenemur. Quęſtio eſt, an *beneficium* ea intentione à ſapiente & bono offerri dicatur quod offertur eâ conditione *ne id recuſes*, quando offerens novit, te non tantùm id recuſaturum certo, ſed & non poſſe non recuſare. Id verò abſurdum ſemper manet, nec ex hujus γαγγαμῶνος anfractibus unquam ſe expediet Animadverſor, ſi vel eandem, quam habere ſibi videtur, ſubtilitatem haberet reverà. 2. Fruſtrà addit, *rem ex voluntate illius pendere, cui offertur*, quod ἀθεόλογον, & ἄλογον. De cujus enim voluntate ſermo? An non de voluntate hominis corrupti & inemendabiliter quidem? Quis verò Theologorum Orthodoxorum ferre poſſit, pendere vel ſalutem vel fidem ex voluntate hominis corrupti, quæ utraque pendet in ſolidum à gratia, & tractione Patris vel operatione potente Spiritus ſancti. An pendet à voluntate illius qui benè velle non poteſt, ut bene velit! Sin benè velle poteſt, jam voluntatem prorſus malam non habebit. An pendet à mala arbore, ut bonum fructum ferat, hoc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

eſt, ut non ſit mala? Quàm cruda iſta & diluta? Dicere itaque, *nos boni promiſſi compotes eſſe poſſe, ſi mente ac voluntate eò ferremur*, eſt dicere nos boni promiſſi compotes eſſe poſſe, ſi non ſimus quod ſumus, vel non habeamus quod habemus, & quod non poſſumus non eſſe & habere. Imò ſi mente & voluntate ad bonum illud ferremur, jam non eſſemus prorſus corrupti & mortui in peccatis, nec mala arbor, nec haberemus intellectum & voluntatem, facultates inemendabilibus vitiis præpeditas. Adde, ſemper ſupponi, omnibus & ſingulis offerri bonum illud promiſſum ſub conditione, ut Chriſtum amplexentur, quod falſiſſimum eſſe, demonſtratum. His expenſis videbit Lector, interrogationi Animadverſoris ſatisfactum eſſe abundè, & conſtare omnibus, quid in ea diſpenſatione quaſi minùs vel ſapiens vel miſericors culpari poſſit.

XIII. Meritò ſanè etiam à me objectum, id ipſum eſſe ac ſi Deus vellet cæcis viſum, modò non ſint cæci, mortuis vitam, modò non ſint mortui. Quid ad hæc Animadverſor? *Hallucinatur,* inquit, *& miſeret me quod hallucinationis illius ſuæ veſtigia in ſingulis penè Exercitationum paginis impreſſit.* Pro iſto commiſerationis affectu æquè ſeriò me ipſi obnoxium profiteor, ac affectus ipſius ſerius eſt. Quàm optaſſet me materiam præbere & hîc & alibi toti pergulæ ſuorum dicteriorum ſæpius adhuc aliquâ probabilitatis ſpecie explicandæ, ut qui ſuper optimè etiam dictis ſolet κωμῳδεῖσθαι, & vernilitatibus parum dignis Theologo gravi νεανιεύεσθαι. Gratiam tamen habebo huic Megarenſi etiam, modò demonſtraverit me hîc hallucinatum. Hallucinationis verò me arguens, non hallucinatur, quod ignari & incauti eſſe poteſt, ſed ultrò prævaricatur, quod vix eſt hominis ingenui, dum hoc *in ſingulis penè paginis* mearum Exercitationum impreſſum dicit, quæ inſignis *hyperbole* eſt, à gravioribus enim verbis me abſtineo memor ordinis noſtri & cauſæ. Quî verò me hallucinatum probat? 1. *In eo, cæco velle viſum modò videat,* inquit, *res promiſſa vel volita non differt à conditione, ex qua pendere ſupponitur. At hîc res promiſſa memorabiliter differt à conditione. Salus enim res diverſiſſima eſt ab actu illo noſtræ mentis, quô ſalutis promiſſionem amplectimur.* At 1. Non dixi hîc, quod mihi affingit Animadverſor, *Deum, ex ſententia Animadverſoris, velle cæcis viſum, modò videant, ſed modò non ſint cæci.* Iſta verò non planè eadem ſunt. 2. Dato, me ita loquutum, evidentiſſimum ex iſta diſputatione, iſtud ſimile non alio fine vel ſenſu à me allatum, quàm ut oſtenderem, æquè inutiliter dici, Deum laboranti impotentiâ morali & inemendabili quidem per naturam ſalutem velle, ſub conditione ne ea laboret, ac ſi quis diceret, Deum velle cæco viſum, mortuo vitam, modò ille videat, iſte vivat. Id itaque haudquaquam extendi debuit ultra mentem meam, quaſi cenſuerim

fidem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

fidem non diſtingui à ſalute, virtutem à felicitate. Annon etiam velle homini corrupto ſalutem ſub conditione ut credat, eſt mortuo velle vitam, ſub conditione ne ſit mortuus? Credere ſanè actus vitalis eſt. Promittere itaque mortuo vitam ſub conditione actus vitalis, eſt illi promittere vitam ſub conditione ne ſit mortuus, ſed ut vitæ principium in ſe habeat, adeòque annon ejuſdem hoc valoris, ac velle cæco viſum, modò non ſit cæcus, mortuo vitam, modò non ſit mortuus? Quid hîc res volita differt à conditione? II. Addit Animadverſor; *Etſi cæco aliquid promitteretur ſub conditione videndi, exigeretur ab eo conditio, qui nullas ad videndum facultates habet, tametſi id percupiat. Oculis illi præterea opus eſſe, quos ſibi comparare neque poteſt neque tenetur. At in negotio ſalutis ſecus eſſe. Nam ad credendum ubi Euangelium annuntiatum eſt, nulla alia facultate opus eſſe præter intellectum & voluntatem.* At 1. An cæcus nullam ad videndum facultatem habet? Quàm hoc ἀφιλόσοφον! An nova etiam hîc Philoſophia procudenda æquè ac Theologia? Annon tyrones in elementis Phyſicis verſati, ne de Doctiſſimo quem audit è Muſeo ſuo Philoſopho Salmurienſi loquar, teſtabuntur Animadverſori, cæcum habere facultatem videndi, inſeparabilem quippe ab anima ipſius, adeòque *potentiam primam* ad videndum, quamvis non videat, vel propter humorem nervis opticis impactum, vel propter aliquid vitii tunicis & humoribus oculi adnatum, vel propter pupillam vitiatam, vel propter ſimile quid, adeò quidem, ut cauſa tota ſit in *impotentia ſecunda*, ſive in diſpoſitione pravâ organorum, per quæ ſe exerit facultas videndi. Falſum itaque, quando de cæco ſermo eſt, exigi conditionem ab eo, qui nullas habet facultates ad videndum. 2. Non eſt quæſtio, an in eo conveniant iſta, ut quemadmodum corporaliter cæcus percupit videre; ſic idem cupiat ſpiritualiter cæcus. Id enim diſcrimen cum aliis id genus nos prolixè dare, ſine ullo cauſæ noſtræ diſpendio, demonſtratum in Anteromatibus. Vt &, corporaliter cæcum non teneri videre, ſpiritualiter verò cæcum, teneri. Satis in eo ſit ſimilitudo, quod neuter oculos illos ſibi comparare poteſt. 3. An cæco etiam alia facultate opus eſt ut videat, & non ſolâ organorum purgatione, vel vitii iſtius in organis inhærentis ablatione? 4. Sufficit, quamvis nullâ aliâ facultate opus ſit ad credendum præter intellectum & voluntatem, opus eſſe facultatis utriuſque renovatione per Spiritum Dei, quam non-renovatus nunquam in æternum ſupplere poteſt, & quæ à ſolo Deo pendet. III. Inquit Animadverſor, *etſi utrobique eventus æquè neceſſariò futurus eſt in cæco ut non videat, in non electo, ut non credat, cauſas tamen illius neceſſitatis toto genere diſcrepare. Illic enim cauſam eſſe in inopia facultatum naturalium quæ jus ipſi Deo eripit, imperandi ut videat; hîc eſſe cauſam in malitia*

quæ Deo jus ſuum eripere non poteſt, ubi adſunt facultates à natura conceſſæ. At 1. Hoc nobis ſufficit, *eventum utrobique æquè neceſſariò futurum eſſe, in cæco, ut non videat, in non electo ut non credat.* Hoc unum enim urgemus, hactenus ſimilitudinem dari, & propter hoc unum, ſimile iſtud à nobis affertur. Videat jam Lector, an vel ſapientis vel ſummè boni ſit, non electo offerre ſalutem ſub conditione ut credat, cùm neceſſarium planè ſit non electum non credere, nec credere poſſe æquè ac cæcum non videre? Si Animadverſorem audimus, ſummè ſapientis vel ſummè boni eſſe poteſt, hæreditatem offerre cæco ſub conditione ut videat? 2 Cauſas neceſſitatis utriuſque non tantùm diſcrepare libenter fatemur, ſed eo ipſo profitemur, quando unam impotentiam *naturalem* vocamus, aliam *moralem*, (quamvis nec *ſolùm* nec *excluſivè*) & unam comparamus cum altera. Ad inſtitutum noſtrum ſufficit, neceſſitatem ſimilem utrobique dari, quamvis cauſæ utriuſque neceſſitatis ſint diſſimiles. 3. Ἀφιλόσοφον denuò eſt, cæcitatis naturalis cauſam eſſe *in inopia facultatum naturalium.* Si phyſica tradentem de iſto argumento è muſeo ſuo audiviſſet diligentius Animadverſor doctiſſimum Philoſophum ſuum, dubio procul id non ſine fructu feciſſet, nec impegiſſet hîc in elementa philoſophica. An etiam cæcitas omnis, in quam homo incidit, Deo eripit jus illi imperandi ut videat? At poteſt aliquis ſuo ſcelere in cæcitatem incidere, ex cæcitate illa in peccata varia, quæ evitare potuiſſet ſi non fuiſſet cæcus? An à tali Deus exigere non poteſt, ut videat, & eum ideò punire quia non videt dum propter iſtum defectum in peccata varia incidit? 4. An quæſtio etiam eſt, num malitia Deo jus ſuum eripere poſſit? An hoc controverſum? Annon Deo jus ſuum exigendi pœnitentiam & fidem à corrupto, relinquimus integerrimum? An hóminis vitium Deo, ſecundùm nos, quicquam intervertit? Ex his conſtare poteſt Lectori, quàm validæ ſint laciniosæ iſtæ diſſertationes potius quàm diſputationes Animadverſoris. Quam diſputandi rationem ſi ſequutus fuiſſem, digniſſimus fuiſſem, in quem ita κενταυρικῶς incurreret, & ὅλας ἁμάξας σκομμάτων, quod facit ubique, effunderet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

CAPVT XIII.

Vindiciæ *ſecundæ rationis:* Deum omnium & ſingulorum miſereri non velle, nec *abſolutè*, nec *conditionatè*.

BREVIARIVM Capitis decimi tertii.

ARgumentum oppoſitum Gratiæ Vniverſali. Exceptiunculæ Animadverſoris retuſæ. Diſtinctionis de duplici impotentia repetitio inanis. Ejus confutatio. Quæ collatio inter utramque inſtituatur. Accuſatio injuſta abſterſa. Exceptio à Remonſtrantibus hauſta, confutata. An illis impunitas detur, qui ſint æquè mali ac Diaboli. Conceſſio Animadverſoris retorta. Diſparitas in cauſa eventûs fruſtra allegata. Verba Animadverſoris ipſimet impacta. Ignoratio Elenchi, & digreſſio inutilis notata. Diſcrimen citra mortuos naturaliter & moraliter ſine cauſa regeſtum. Status quæſtionis iterum mutatus ab Animadverſore. Ignoratio Elenchi alia notata. Falſa aſſertio de facultatibus noſtris confutata. Conditio ab Animadverſore fruſtra inſerta. Quî Deus exigat à corruptis ut credant. Suppoſitio falſa notata. Diſtincta cauſa incredulitatis à non dante prohibens. Status quæſtionis denuò mutatus. Ratio diſputandi Animadverſori ſolennis, notata.

I. ARgumentum à me Animadverſori inter alia oppoſitum fuit tale Theſi VIII. Vel *abſolutè* velle Deum omnium miſereri, vel *conditionatè*. Si *abſolutè*, omnes miſericordiam conſequuturos: Si *conditionatè*, vel Deum conditionem ad ſalutem neceſſariam *exigere* tantùm ab omnibus, vel eam in iis *efficere* velle. Si *exigere* tantùm, eum talium ſalutem non velle, exigendo ab iis actum, quem novit non magis eos præſtare poſſe, quàm Æthiopem nigrorem, pardum maculas exuere, & Lazarum ſurgere ex ſepulchro. Sin *efficere* velit actum iſtum, vel illum denuò efficere velle, *abſolutè* aut *conditionatè*: Si *abſolutè*, eum efficiendum in omnibus, & ſic omnes actu miſericordiam conſequuturos. Si *conditionatè*, ſerram reciprocari per eandem lineam, & quæſtionem redire de hujus conditionis conditione. Hanc verò tandem coincidere cum re per conditionem volitâ, & eo iri, Deum velle hominem convertere, ſi ſe convertat, & præſtet id quod nec præſtabit unquam nec præſtare poteſt, & quod Deus novit ab æterno illum nec præſtiturum nec præſtare poſſe, quippe quod pendet à tractu ſuo, quem omnibus indulgere non conſtituit, ſine quo tamen nemo non tantùm ad Patrem venit, ſed nec venire poteſt. Joh. VI, 44.

II. Quæ reſpondit in Diſſertatione Animadverſor, à me ſumma cum accuratione excuſſa fuiſſe videbit Lector in Exercitationibus noſtris, & applicatam ubique σπάρτην πρὸς τὸν λίθον. Ab eorum repetitione me abſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

tineo, operæ compendifaciendæ. Quid ad iſta Animadverſor? 1. Miratur, me tot argumentationum dilemmaticarum πλοκὰς circumvolvere. At nihil utilius conſtringendo Adverſario undiquaque iſto argumentationis genere, quod non parum τῇ σωρείᾳ propoſitionum præſtat. Ideò verò dilemma iſtud undiquaque à me munitum, quia inſtitutum meum in *Theſibus* non erat ſolam Animadverſoris ſententiam confutare, ſed omnium illorum qui *gratiam objectivam* univerſalem ſtatuunt. Meritò itaque ſic integrè ſtruendum & muniendum erat. 2. Nihil proclivius fuiſſe, inquit, quàm intelligere, ſe exiſtimare Deum velle electorum ſalutem *abſolutè*, reliquorum omnium *conditionatè* duntaxat, ideòque conditionem in electis efficere velle, à reliquis omnibus exigere tantùm. At hanc ipſam ſententiam dilemmaticis iſtis propoſitionibus abſurdam eſſe demonſtravi, quia conditionem ab homine exigere velle, quam ſcias illum non magis præſtare poſſe, (quatenus eventus utrobique ex æquo eſt ἐκ τῶν μὴ ἐνδεχομένων) quàm Æthiopem nigrorem, pardum maculas exuere, & Lazarum ſurgere ex ſepulchro, idem eſt ac ejus ſalutem non velle. 3. Fruſtra diſpiciendum oſtendit, *quomodo Deus poſſit velle*, hoc eſt exigere, *ut non electi præſtent id quod eos nec præſtituros eſſe, neque præſtare poſſe novit, & quomodo exigere poſſit id cujus præſtatio pendet ab uno tractu ſuo, quem omnibus indulgere non conſtituit*. An enim iſta in quæſtione inter nos? Contineat ſe intra iſtas lineas Animadverſor, nec aliter Deum hoc velle dicat, quàm quod id vult exigere vel imperare. Nec hîc lis erit inter nos. 4. Nequicquam etiam denuò recoquit diſtinctionem iſtam inter τὸ *non poſſe, quod pendet ex inopia facultatum*, & inter τὸ *non poſſe, quod in earum perverſa comparatione conſiſtit*. Satis, τὸ *non poſſe* ineluctabile reperiri in non electis, ne credant, vel credere poſſint, quodcunque principium habeat, modò vitium illud; ut ipſe fatetur, ſit in illis inemendabile per naturam. Nec perperam à me allata exempla ab Æthiope, pardo, mortuo. nec enim impotentia, quæ in exemplis iſtis, à me collata *quoad ſpeciem* cum impotentia credendi quæ eſt in non electis, quaſi utraque ejuſdem ordinis ſit & naturæ, ſed *quoad genus*, quod utraque ſit impotentia, & ineluctabilis quidem per naturam, adeóque quâ in ſubjecto poſita, nequicquam intenditur ſalus, ſub conditione ne in eo ſit. Nec has exceptiunculas reponere nobis debebat Animadverſor utpote in Exercitationibus & Anterotematibus noſtris diſertè occupatas, & confutatas. Si à Medicis ab illorum confutatione prohibitus fuit, at prohibitus non fuit ab eorum Lectione. Imò Exercitationes noſtras, & bis quidem à ſe lectas, teſtatur. Cauſæ itaque nihil erat, cur reponeret à nobis jam confutata. Falſum etiam, duplicem illam impotentiam à me *centies confuſam* in *Exercitationibus*. Oſten-

di

di diſertè, quâ in re conferrem utramque & quouſque. Nec ſanè impotentia quæ eſt à *malitia voluntatis*, vel Animadverſore fatente, magis eluctabilis eſt, quàm ea quæ ſita eſt in *defectu facultatum*. In quo uno comparantur. Veriſſimè itaque & optimè à me dictum, non magis eſſe in poteſtate non electorum credere, quàm in poteſtate mortuorum eſt, ſe reſuſcitare. Non electi enim ſunt in morte ſpirituali. Et vel Animadverſor idem hîc nobiſcum ſentit, vel *oppoſitum* ſtatuit in *appoſito*, nimirum mortuum poſſe edere actum vitalem, & arborem malam fructum bonum ferre. 5. Exceptio Animadverſoris, quam communem habet cum Remonſtrantibus noſtris, & ab illis hauſit, elumbis eſt, *ſic Deum non poſſe juſtè & ſapienter imperare non electis ut credant* (non magis quàm mortuo ut reſurgat) *nec eos plectere mandato non obſequentes*. An verò quæ conferuntur in uno, conferuntur etiam ob id in alio, vel in omnibus? Annon comparatio illa in iis ſpectanda, ſecundùm quæ adducitur? Imò diſertè à nobis dictum in Exercitationibus, impotentiam iſtam, utut ineluctabilem, *nec Deo jus ſuum intervertere, id exigendi, quod dedit, nec hominem vel excuſare, vel juſtæ ſubducere pœnæ*, ſi non faciat officium, quod tenetur præſtare, etſi id non poſſit præſtare, quum iſta ἀδυναμία ſit ἐπίσπαστη, & ab homine ſuo jumento ſibi accerſita. Falſum itaque, hoc quicquam facere ad impunitatem malefactorum. 6. An etiam, ſecundùm nos, ad impunitatem malefactorum obtinendam quicquam facit, ſi homines mali evadant æquè ac Diaboli? Imò eò magis erunt damnabiles, quo magis ſunt ſceleſti: De eo nulla nobis quæſtio. An enim Diabolus immunis eſt & erit à punitione? Quid abſurdius? Cur ergò illi immunes eſſent, qui æquè in malo ſunt obſtinati ac Diabolus, quales tantùm omnes peccantes in Spiritum S. & plane derelicti ab omni ſpiritus Dei tum *convertentis* tum *coërcentis* operatione? 7. Sufficit, ut fateri cogitur Animadverſor, *eventum utrobique certum eſſe & reſpectu futuritionis æquè neceſſarium, & hæc eſſe ex æquo* ἐκ τῶν μὴ ἐνδεχομένων, *Non electus non credet, mortuus ſe non ſuſcitabit*. Hoc unum hîc volumus, nihil præterea. Quod ipſum ſplendidè nobis largitur, & quod ad abſurditatem iſtius œconomiæ, quam fingit patefaciendam ſufficit.

III. De *cauſa eventus* nobis nec lis, nec quæſtio, an ſit *diſpar* & *generis diverſi*: Non electum non credere, quia non vult, ἐξαγώνιον, ſi enim vellet *in ſenſu compoſito*, utique crederet. nam velle credere, eſt jam credere. At quæſtio eſt, an talis poſſit aliter velle, & an habeat principium illud *ethicum*, vel ſupernaturale potius correctivum ſuæ voluntatis malæ, ſine quo non poteſt dari principiatum ſanum? At non magis aliter velle poteſt, vel malitiam qua detinetur, excutere, quàm mortuus poteſt reſur-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

gere, *quatenus eventus* ut fatetur, *utrobique æquè certus & reſpectu futuritionis æquè neceſſarius*, quod unum volumus. Et hoc ipſe addit, dum inquit, *illum non poſſe velle credere*, hoc eſt, *contingere non poſſe ut id velit*, *uſque adeo malitia in ejus voluntate magna & inolita & inemendabilis eſt*. An verò illi qui talis eſt, ſummè ſapiens & ſummè bonus ſeriò dici poteſt, ſalutem velle ſub conditione *ut aliter velit*, & ut non ſit inemendabilis ejus malitia? De mandato credendi & pœna juſta ſubſequente, antè dictum. Judicet jam Lector de magnifici iſtius Diſputatoris ſublimitate & an ita diſputare non ſit τρίψαι τὸ μέτωπον?

IV. Secundum, quod expedire vult Animadverſor, *eſt, quod poſſit Deus velle*, hoc eſt, *exigere*, *ut non electi præſtent, id quod eos non præſtituros eſſe, nec præſtare poſſe novit*. Quid verò attinet denuò ῥαβδάπτειν in re non controverſa? Nec enim de eo inter nos quæſtio, & peccatur merâ *ignoratione Elenchi*, & digreſſione inutili. Et nihil ſolennius Animadverſori, quàm ea quæ cauſam feriunt planè prætermittere, & luxuriari in non neceſſariis operoſe vel declarandis vel probandis, quod an ingenui diſputatoris ſit, judicabit Lector candidus. Fatemur libenter Deum non imperare poſſe mortuo naturaliter ut reſurgat, imperare verò poſſe hominibus mortuis moraliter, ut cum Animadverſore diſtinguamus, ut reſurgant & credant, non tantùm quia id *præſtare tenentur* & ad id *præſtandum habent facultates à natura conceſſas*, ſed etiam quia habuêre ad id præſtandum facultates integras & voluntatem bonam, & ſuo vitio duntaxat iſta non habent amplius. Nec prohibere malitiam voluntati jam *inhærentem & magnitudinem ejus invictam*, quin juſtiſſimè propter non præſtitam fidem puniantur? Quid attinebat quæſo talia nobis operosè ingerere, quæ non controverſa? Probet Animadverſor, à nobis negatum eſſe, Deum exigere ab homine juſtè poſſe fidem in verbum ſibi revelatum, vel Deum poſſe eum propter non præſtitam fidem punire, quod in æternum non probabit, vel fateatur, ſe παρὰ λύδιον ἅρμα hîc denuò θέειν, & ſibi meros ludos facere ac Lectori.

V. *In tertio* nimirum, *quomodo Deus exigere poßit id cujus præſtatio pendet ab uno tractu ſuo quem omnibus indulgere non conſtituit*, 1. Fruſtra etiam laborat, nec enim id etiam in controverſia. Fatemur ultrò, Deum hoc poſſe exigere quod ipſe ſolus operatur; ſed id in controverſia eſt, quî Deus eâ voluntate vel intentione hoc poſſit exigere, ut credat non electus, & credendo ſalvetur, quod ſcit eum non tantùm præſtare non poſſe, ſed etiam id pendere à mero tractu ſuo, quem tamen non electis indulgere non conſtituit? Nec quæritur, an tractus Dei ſit in hominis poteſtate, ſed an id ſit in hominis poteſtate, quod ab ejus ſolius tractu pendet?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

pendet? Exigit ſanè Deus etiam ab hominibus non electis *id quod ipſius ſolum tractum efficere oportet*, dum exigit fidem & converſionem, niſi negare velit Animadverſor, talia à ſolo Dei tractu pendere. 2. Nequicquam addit; *Nullas ſcilicet hominibus facultates à natura inditas quibus perficere queant, id ſi velint, ut à Spiritu Dei eo modo trahantur. Exigit Deus à non electis ut credant ſuo inſtinctu, non tractu alieno, viribus naturalibus mentis atque voluntatis, non vi cauſæ externæ quæ ex eorum nutu non pendeat. Exigit ut credant, quà ſunt creaturæ intelligentiâ atque ratione præditæ, non ut ii in quibus Deus ſingularem aliquam ſui Spiritus efficacitatem exerere voluit. Exigit ut credant ii qui facultatibus ſuis ad eam rem uti jure naturali tenentur, non ut ii quos Deus peculiari quadam ratione ad id præſtandum ſelegerit. Neque ſanè peccant ideò quod à Spiritu Dei non trahantur, ſed eò quod ipſi ad quod vocantur, non accedunt. Non id illis imputatur, quod quum electi non ſint, electorum prærogativis non gaudent, id illis imputatur, quod quum homines ſint, invitati venire dedignantur.* Quid verò ὑδαρὲς magis & magis putidum iſtis omnibus quæ merâ *ignoratione elenchi* peccant, nec tangunt id quod in controverſiâ? Siccine rhetoricandum potius erat quàm diſputandum & congrediendum ad lineam! Obſervet Lector 1. Falſum eſſe, homines corruptos & mortuos in peccatis *habere facultates à natura indultas, quibus perficere queant, ut à Spiritu Dei trahantur.* Facultates enim tales non niſi corruptas habent, & quia illæ corruptæ ſunt, non niſi corruptos actus edere poſſunt, adeòque nunquam perficere, ut tales trahantur à Spiritu Dei, magis quàm paralytici locomotiva eum eò uſque perducere poterat, ut ſe conjiceret in piſcinam. Imò ne facultates quidem integræ & non corruptæ perficere poſſunt, ut homo trahatur à Deo. Nec enim tractionis illius cauſa niſi in trahente: Spiritus ille ſpirat ubi ipſe vult, non ubi homo vult. Fruſtrà verò inſerit, facultates id præſtare poſſe, *ſi id velint ob contradictionem in adjecto*, quia ſi id vellent homines, jam non corrupti inemendabiliter forent, quod tamen ſupponitur. Satis itaque, eas id velle non poſſe ut fruſtrà omnia dicantur. An nobis dicere licebit, ſi mortuus velit ſe proripere ex ſepulchro eum reſurrecturum vel victurum? At id velle non poteſt, quin jam vivat. Exigit ſanè Deus à non electis ut credant *ſuo inſtinctu*, ſed haudquaquam intendit, ut credant viribus naturalibus mentis atque voluntatis, quales ſunt in ſtatu corrupto; Exigit etiam id ab iis quia id dedit, & quia homines conſiderat non ut decoctores datorum, ſed ut debitores. 3. Nec exigit ab iis ut credant, *quia ſunt creaturæ intelligentes & ratione præditæ*, ſed quia debent eſſe creaturæ intelligentia ſanâ & ratione rectâ præditæ, qualem illis in creatione prima inſeruit. An verò à nobis ſuppoſitum, Deum ab illis fidem exigere, *ut ab iis in quibus ſingu-*

larem aliquam Spiritus ſui efficacitatem exerere velit? Imò oppoſitum à nobis dictum, in talibus, quippe non electis, Deum ſingularem illam Spiritus ſui efficacitatem exerere nolle, adeòque tales credere non poſſe, nec ſub hac conditione seriò dici poſſe, Deum illis velle ſalutem. 4. Ἐξαγώνιον, Deum exigere ut credant, quia id tenentur, non verò quaſi Deus eos ad id præſtandum ſelegerit. An quæſo nobis erat probandum, non electos non eſſe eos quos Deus ad fidem præſtandam peculiari ratione ſelegit. 5. Falſum, non peccare eos, qui à Spiritu Dei non trahuntur, quia negationem iſtius tractionis neceſſariò ſequitur peccatum, ut negationem luminis ſolaris in terra, tenebræ. Non quod Spiritus Dei negatio ſit cauſa peccati, magis quàm luminis ſolaris negatio cauſa eſt tenebrarum, ſed cauſa ibi, corruptio peccatoris, hîc opacitas terræ. Si enim homo corruptus non foret, non peccaret: Si terra foret lucida, non eſſent tenebræ, etiam remoto Sole. Satis eſt, Spiritus tractionem eſſe *prohibens* unum peccati; quo negato, id non poteſt non dari. Nec iſta diſpeſcenda per *Elenchum diviſionis*, peccant non electi, & quia ipſi ad id quod vocantur, non accedunt, & quia à Spiritu Dei non trahuntur; priori ratione ut per *cauſam* propriè dictam *culpabilem*, poſteriori, ut per *non dans prohibens.* Hoc ſenſu ideò non accedunt, quia non trahuntur, nec enim aliàs accedere poſſunt in ſtatu in quo ſunt, & hîc illis uſu venit quod ſponſæ, quæ ſponſi tractionem flagitat, *trahe me, ut curramus poſt te.* An etiam quæſtio eſt, an homines peccent in eo quod vocati non accedunt? An non potius, an de illis qui accedere non poſſunt ex ſe, & quos Spiritus Dei trahere non vult ut accedant, ſeriò dici poſſit, Deum velle eorum ſalutem, ſub conditione ut accedant? 6. An etiam quæritur inter nos: An non electis imputetur, quod quum homines ſint invitati, venire dedignentur? Quid opus erat hoc probare? Quamvis non tantùm hîc conſiderentur ut homines, ſed ut homines quales Deus creavit, qui tenentur id præſtare, cujus gratia ipſis à Deo data fuit. Meritò itaque illis imputatur, & quod decoxerint bona iſta, & quod venire dedignentur. Adde, ſupponi ſemper, invitationem univerſalem ad fidem, non probari. An in iſtis omnibus veſtigium diſputatoris ingenui, & qui id probet, quod probandum? Et an iſtis omnibus tollitur difficultas, abſurdè dici Deum velle non electis ſalutem *ſub conditione* quam præſtare non poſſunt, etſi eam præſtare teneantur, & cujus præſtatio pendet ab una tractione Dei, qui gratiam iſtam talibus perpetuò denegatam voluit?

CA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

CAPVT XIV.

De conditione Gentilium, an eâ evertatur gratia univerſalis.

BREVIARIVM Capitis decimi quarti.

Firmitas argumenti ducti à Gentilibus. Rhetoricatio Animadverſoris. An τὸ γνωςὸν *omnibus obverſetur. Confeſſio Animadverſoris Auctori ſuo impacta.* Τὸ γνωςὸν *hodie ſaltem ſecundùm ipſum, non ſufficere, probatum. An* τὸ γνωςὸν *à Paulo dicatur invitare ad pœnitentiam. Quos & qui invitet* τὸ χρηςὸν τȣ̃ Θεȣ̃. *An* τὸ γνωςὸν *ſpem remiſſionis oſtendat. Annon juſtitiam peccanti potius denuntiet quàm miſericordiam. Remiſſionis peccatorum revelatio tota Euangelica.* Τὸ γνωςὸν *pertinet ad ordinem providentiæ, non gratiæ. Spem remiſſionis peccatorum non fuiſſe objectam* ἐν τῷ γνωςῷ, *probatum. Iocularis aſſertio de invitatione per* τὸ γνωςόν. *An* τὸ γνωςὸν *viam apertam patefaciat ad ſalutem. Abſurditas iſtius aſſertionis. Conditionis objectæ inutilitas. Contradictiones notatæ. An ſpes remiſſionis ſufficiat in œconomia gratiæ. An naturæ vel politiæ ratio urgenda ſit in eâdem. An infantes tantùm cenſeantur ut partes vel appendices ſuorum parentum. Oppoſitum demonſtratum. Præcipua difficultas declinata ab Animadverſore. Vnde fiat quod hi infantes talium parentum appendices ſint. Simile ab embryone retuſum. Abſurditas ſententiæ Animadverſoris. Ignoratio elenchi notata. Animadverſor commiſſus cum ſe ipſo. Proſcripta à Synodis Gallicanis repoſita ab Animadverſore. An diſputandum ſit de eo, quid futurum eſſet, ſi quis gentilium reſipiſceret ad* τὸ γνωςόν. *Quæſtio Animadverſori propoſita de liberis natis ex parentibus obdureſcentibus, & de intentione Dei circa illos. Imputatio peccatorum perſonalium adſtructa ab Animadverſore, negata peccati naturalis. Digreſſio captata ab eodem. Declinatio ſtatus controverſiæ. Ius ſummum Dei à nobis aſſertum. An parentes in cauſa ſint gratiæ non transmiſſæ ad eorum liberos. Ignoratio alia elenchi notata. Quæſtio de qua agitur Animadverſori impacta. Digreſſio inanis de cauſa conquerendi de Deo. Suppoſitio falſa. Animadverſor ad lineam revocatus. Digreſſio inutilis. Libertas & jus Dei adſtructa. Demonſtratio invicta, Deum noluiſſe omnes ſalvari ex diſpenſatione ab eo adhibita. Vocatio omnis multis planè denegata. Nodus objectus Animadverſori, & ab eo diſſolvendus. Digreſſio inanis. Quæſtionis propoſitæ declinatio. An Deus illos ſalvari velit, quos inter Ethnicos in immatura ætate tollendos judicat. Contradictio Animadverſoris. Verba ejus retorta. Alia eidem impacta. Voluntas univerſalis conditionata de ſalute omnium everſa. Animadverſor cum ſe ipſo denuò commiſſus. Ignoratio Elenchi alia notata. Quæſtio inculcata. Declinatio hic præſtandorum. Cauſa repetiti argumenti ducti ab infantibus.*

I. ARgumentum ex *Gentilium* conditione à nobis deſumptum, partim *adultorum*, quorum myriadibus multis nec Redemptoris, nec redemptionis, nec conditionis ad eam neceſſariæ ulla facta revelatio, partim *infantium* in prima ætate ſublatorum, quibus ne ex τῷ γνωςῷ quidem τȣ̃ Θεȣ̃ revelatio ulla exhiberi potuit, Apoſtolum auctorem habet Actor. XIV, 15. & experientiam omnium ſeculorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

lorum teſtem. Meritò itaque à nobis ſæpius inculcatum, quod ſolum ſufficere poſſit Vniverſalis gratiæ commento convellendo. Id verò *infinitis in locis* in libro finito factum, liberaliter & pro more ſuo rhetoricatur Animadverſor. Moleſtum hoc argumentum illi eſſe non miror. Scilicet ferre non poteſt τὸ φορμορραφεῖσθαι, & copias ſuas in arctum cogi. Quàm altè adactum hoc telum hæreat Animadverſori, clarius adhûc patebit ex infelici illius in eo evellendo conatu, & miſeris iſtis argutatiunculis, quas nobis opponit.

II. Meritò contendi, ad neutros *Vniverſalem gratiam pertinere*, nec ad eos qui inter Gentiles adoleſcunt, & quibus nulla unquam obtigit Euangelii manifeſtatio, nec ad eos qui exſtinguuntur in cunis. Non ad illos, quia de Chriſto nihil unquam audiverunt. Non ad hos, quia ne τὸ γνωστὸν quidem τοῦ Θεοῦ, nedum Chriſti redemptio, iis unquam revelari ullo modo potuit. Nec tantùm abſurdum, & meritò quidem, dixi (ſed ſine *vociferatione* quam pro ſua liberalitate & comitate mihi Animadverſor hîc admetitur) ſalutem extra Chriſtum prioribus offerri, ſed & quicquam illis offerri, qui nullius prorſus oblationis ſunt capaces. Nec ſanè hîc ſine aperto ludibrio tale quid ſtatui poteſt.

III. Quid hîc Animadverſor? 1. *Omnibus iis qui adoleſcunt*, inquit, *obverſatur* τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ *ante oculos, quod ad* μετάνοιαν *invitat, & ſpem remiſſionis oſtendit, ſi quis ex animo reſipiſcat, & ſic viam ad ſalutem apertam patefacit, ſi homines, ut convenit, oculos aperiant. Aut igitur remiſſionis & per remiſſionem ſalutis ſpes oblata gratia non eſt, aut gratia patet ad omnes Gentiles universè, qui ſaltem paulò ſunt adultioris ætatis.* Et hoc totum eſt, quod graviſſimo iſti argumento opponit. At 1. vel καθόλου τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ omnibus inter Gentiles obverſari cenſet, vel κατὰ μέρος: ſi poſterius, nihil concludit pro gratia univerſali; ſi prius, plurimi excipiendi, qui vel cœci nati, vel bruti & ſtupidi, quales integræ etiam gentes in Americano orbe, qui nihil ferè hominis, præter faciem habent, quibus non magis τὸ γνωστὸν objectum dici poteſt in finem ab Animadverſore notatum quàm cœcis lux Solis ad viſionem. 2. Annon etiam ipſe Animadverſor fatetur, in Novo Teſtamento *diſtinctam Chriſti cognitionem* eſſe neceſſariam ad ſalutem? Si hoc verum, quod veriſſimum, non ſufficit, τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ plurimis gentibus hodieque obverſari. Opus itaque foret, ut his obverſaretur & innoteſceret diſtincta Chriſti & myſterii redemptionis per eum præſtitæ revelatio, quam tamen Deus multis myriadibus hominum in N. Teſtamento etiam, revelari noluit. 3. Supponitur liberaliter, τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ invitare ad μετάνοιαν. At hoc Paulus non dicit, ſed alium ei rei finem proponit, qui utique audiendus potius quàm Animadverſor. De χρηστῷ

τȣ̃ Θεȣ̃ id Paulus affirmat, non de τῷ γνωστῷ, quæ non æquipollent. Quos verò Deum invitaſſe ad pœnitentiam, dicat Paulus, & quî, ſuo loco dicetur, nimirum Judæos, idque ſimili modo quo indulgentia Principis & lenitas invitat ſubditos rebelles ad pœnitentiam & officium. 4. Τὸ γνωστὸν τȣ̃ Θεȣ̃ *ſpem remiſſionis* oſtendere, falſum; τὸ γνωστὸν τȣ̃ Θεȣ̃ tantùm *divinitatem* & *potentiam* Dei oſtendit, miſericordiam ſpecialem vel ſpem remiſſionis non oſtendit. Et hoc ſplendidè ſemper ſupponitur. Imò quia oſtendit, Deum, & Deum potentem, oſtendit eum juſtum æque ac bonum: imò juſtitiam ejus potius quàm miſericordiam peccanti denuntiat, quia illius exercitium ad peccatum ſequitur *per ſe*, iſtud *per accidens* tantùm; illud neceſſarium eſt, iſtud arbitrarium merè. Nec magis cauſa ſpei ex iſta ſola contemplatione quàm terroris. Imò iſtius cauſa potius quàm illius. Remiſſio peccatorum etiam & ejus ſpes ſunt beneficia Euangelica, & ad œconomiam Euangelii pertinent, cujus præco ne lex quidem eſt, quà talis, nedum τὸ γνωστὸν τȣ̃ Θεȣ̃. Τὸ γνωστὸν τȣ̃ Θεȣ̃ idem ſemper eſt ante lapſum & poſt lapſum, & pertinet ad *ordinem providentiæ*, non ad *ordinem gratiæ*, prout iſta contradiſtingui ſolent & debent. Hinc innumeri, quibus τὸ γνωστὸν illud objectum, qui tamen nec ſe peccatores eſſe cogitavêre, nedum ut anxii eſſent de remiſſione ſuorum peccatorum, vel ut eam ſibi objectam cenſerent ἐν τῷ γνωστῷ. Et talia videri potuiſſe in γνωστῷ illo, πρῶτον ψεῦδος eſt. Nec vitium *ſubjecti* prætendi poteſt ſolum. ſi enim tale quid in *objecto* legi potuiſſet, reperti fuiſſent aliqui ſaltem, qui per τὸ γνωστὸν τȣ̃ Θεȣ̃ talia concepiſſent, quod falſum. Et ne à ſapientiſſimis quidem inter gentiles, & ſtudioſiſſimis τȣ̃ γνωστȣ̃ beneficium illud Euangelicum unquam obſervatum. A *poſteriori* itaque ſolidè inferri poteſt, tale quid haudquaquam illis ἐν τῷ γνωστῷ objectum fuiſſe. Imò vix ab inſtitutis in veritate iſta poſt ratiocinia varia & actus varios intellectus ex γνωστῷ elici poteſt, Deum eſſe placabilem; at Deum eſſe placatum, & voluiſſe placari, haudquaquam ullâ ratione ex eo elici poteſt. Quî ergo eo fine τὸ γνωστὸν omnibus & ſingulis propoſitum voluit, ut ex eo remiſſionis ſpem conciperent? 5. Id verò joculare eſt, τὸ γνωστὸν τȣ̃ Θεȣ̃ omnes ad μετάνοιαν invitare, & iis ſpem remiſſionis oſtendere, *ſi quis ex animo reſipiſcat*. Quibus verò Deus cenſetur hoc fine τὸ γνωστὸν proponere? Hominibus mortuis in peccatis, reſipiſcere neſciis, qui non magis ex animo reſipiſcere poſſunt, quàm reſurgere è morte peccatorum. Et tamen hac conditione illis proponitur beneficium iſtud, *ſi quis ex animo reſipiſcat*. Hoc eſt Bartimæo proponitur opima hæreditas, modò aperiat oculos, Lazaro, modò reſurgat. Quamvis enim impotentia dicatur eſſe diverſi generis, ſemper tamen, ut fateri cogitur in ſuperioribus, conſtat *eventum utrobique æquè*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

certum eſſe, & reſpectu futuritionis æquè neceſſarium. Et reſipiſcere ac reſurgere eſſe *ex æquo* ἐκ τῶν μὴ ἐνδεχομένων. Eſtne verò diſputare ſeriò, talia ingerere? Ejuſdem commatis eſt quod addit, τὸ γνωστὸν *hoc viam ad ſalutem apertam pateſacere, ſi homines, ut convenit, oculos aperirent.* Quid crudius dictum à profanis multis, qui indifferentiam religionum, & ſalutem in quavis religione haberi poſſe, ſunt profeſſi? Annon ſic ſufficiet τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ intueri, ut in eo habeatur *aperta via ad ſalutem*? Sic gentes, quæ fuerunt Apoſtolo *ſine Deo, ſine ſpe, ſine promiſſione,* tamen ſecundùm Animadverſorem noſtrum, habuerunt *viam ad ſalutem apertam, pateſactam.* Et quos Deus odit, rejecit ab æterno, præſcripſit ad damnationem, reliquit ſuis ipſorum viis incedere, quibus jura & ſtatuta ſua non patefecit, illi tamen in tempore habuêre *viam apertam ad ſalutem*. Conditio adjecta ridicula eſt, ſi *homines, ut convenit, oculos aperiant,* hoc eſt, ſi non ſint quod ſunt, & faciant, quod facere non poſſunt. De quibus enim nobis ſermo? De hominibus qui oculos aperire non poſſunt, quæcunque eorum impotentia ſit, nihil attinet, ſatis invicta ſit, Animadverſore teſte, his tamen patet via ad vitam, ſub conditione ut oculos aperiant: Et quum Spiritus Sanctus *ſolam œconomiam verbi comitetur*, ut docet Animadverſor, & ſine Spiritu nemo oculos aperire poſſit; tamen, ſi Animadverſori credimus, talibus via ad ſalutem patefacta, modò oculos aperiant. 7. *Remiſſionis, & per eam ſalutis ſpes oblata,* ſanè gratia eſt, talem verò ἐν τῷ γνωστῷ τοῦ Θεοῦ propoſitam eſſe, eſt ipſum κρινόμενον, quod ſplendidè ſemper Animadverſor ſupponit. Nec ſpes aliqua remiſſionis duntaxat exigitur in œconomia Gratiæ, ſed fiducia, quia proponitur in ea ejus fundamentum, redemptor & redemptio, vel expiatio peccatorum per eum. Vbi verò talia non proponuntur, ibi gratia objectiva non proponitur, quæ ſalutaris eſſe poſſit.

IV. Quî verò ſe expedit de *infantibus* gentilium Animadverſor? Miſerè ſanè. Iſthmum ſinapi hîc mordet. 1. *Ad liberos eorum infantes,* inquit, *quod attinet ſic eſt à natura & à politia comparatum, ut quandiu aliena ratione reguntur, partes & velut appendices parentum ſuorum exiſtimentur. Vt enim quod ad corpus attinet, quandiu ſunt in utero materno, nec aliter vel ſpirant, vel nutriuntur, quàm ex eo ſpiritu quem parens prægnans ducit, aut ex eis alimentis quæ ipſa pro ſe capit, adeò ut nihil habeat à matre ſeparatum. Sic quod ſpectat ad animam, quandiu utuntur alieno conſilio, & alienâ intelligentiâ vigent, ejuſdem eatenus cum parentibus conditionis eſſe putantur. Quamobrem, ſi quis eſſet inter Gentiles (quod nunquam eſt) qui ad* τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ *ex animo reſipiſceret, uti ſpem remiſsionis ipſe proculdubio conciperet, ſic ſpem illam ad liberos infantes propagaret. Quia verò omnium animi adverſus Dei invitationes obdureſcunt, uti ſpe*

illa

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

illa excidunt quam τὸ γνωστὸν oſtendit, ſic eâdem eorum liberi privati eſſe putantur. At 1. Nec *naturæ* nec *politiæ* ratio urgenda in diſpenſatione gratiæ, quæ limites iſtos haudquaquam attendit. 2. Falſum, *quandiu infantes alienâ ratione reguntur*, eos in hoc negotio *partes & velut appendices ſuorum parentum* exiſtimari. Si enim cenſentur in ſe peccatores infantes vix nati, originalis peccati rei, & propter illud morti ſecundùm ſe ſubjecti, utique non cenſentur tantùm ut *partes* vel *appendices ſuorum parentum*, ſed ut perſonæ ſeparatæ. Aliàs enim deberent tantùm mori & puniri in parentibus ſuis. At quum & peccatum illorum & reatus & condemnatio diſtinguantur à peccato, reatu & condemnatione parentum, quid clarius quàm eos ſeorſum à parentibus & ſecundùm ſe conſiderari, quamvis alienâ ratione regantur? Cenſentur enim ut totidem individua diſtincta, quibus vel gloria aliquando conferenda, vel pœna. 3. Declinat ſubdolè Animadverſor totum momentum cauſæ. Quî fit enim quæſo, quod hi infantes, horum parentum gentilium ſint *partes* vel *appendices*, & non appendices vel partes parentum fœderatorum aut fidelium? Annon hoc totum ortum ex diſpenſatione providentiæ divinæ, quæ voluit hos infantes ex talibus parentibus naſci, & non ex aliis? An verò ſeriò ab ullo mortalium dici poteſt, qui vel micam candoris habet reliquam, Deum velle ſalvari infantes tales, quos voluit naſci ex parentibus gentilibus vel contemptoribus τοῦ γνωστοῦ τοῦ Θεοῦ aut Euangelii, & pertinacibus quidem, & voluit cenſeri eorum *appendices*, vel *partes*, adeóque reatum illorum iis imputari, eoſque proprium reatum contrahere, haudquaquam verò gratiam illis facere ut adoleſcant, & vel ſolum τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ intueri poſſint? 4. Simile ab embryone in utero matris conſtituto, inane. ſermo enim nobis de infantibus extra uterum conſtitutis, & jam natis, quorum, quoad animam eandem eſſe rationem quæ eſt quoad corpus infantum in utero materno conſtitutorum dicitur, non probatur. Licèt enim Embryones ſpirent in utero materno, illo ſpiritu quem parens prægnans ducit; infantes tamen nati ſuo ſpiritu ſpirant, ſuis oculis vident, ſuis auribus audiunt, & individua plane diſtincta ſunt à ſuis parentibus, quorum actiones planè etiam diſtinctæ ſunt ab actionibus parentum. Et quæ *naturalis* eorum diſtinctio eſt, ea etiam eſt *moralis*. Adde, diſtinguendum etiam eſſe inter infantes in utero materno jam formatos, & quorum corpora plenè ſunt ἐξεικονισμένα & *organizata*, ut loquuntur Scholæ, & inter eos qui eouſque non pervenêre. Illi enim infantes non planè ut *appendices matrum* conſiderantur, etiamſi ſint adhuc in utero materno, ſed ut individua diſtincta. hinc enim fit quandoque ut exſtinguantur matres, fœtu ſalvo, intereat fœtus, ſalvâ matre. Adeóque comparatio iſta claudicat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

& ſecundùm id quidem, quod hîc in comparatione adducitur. Scilicet puer trimulus vel quadrimulus adhuc erit *appendix* tantùm ſui *parentis,* nec in ſe peccabit, nec in ſe debebit plecti, ſed tantùm in parente cujus appendix eſt! Quamvis itaque *utatur alieno conſilio*, quod tamen minus propriè dictum, ut qui eo *regitur* potiùs quàm *utitur*, non ob id deſinit eſſe ὑφιςάμενον diſtinctum, cujus peccata ſeorſum in ipſo ſpectantur, & cui pœna peculiaris deſtinatur. Imò ſi liberi ut appendices tantùm ſuorum parentum conſiderari deberent, deberent plecti eadem duntaxat cum parentibus pœna. At parentes ſæpe ſunt graviſſimi peccatores, ſceleribus variis cooperti ad vitæ finem uſque, adeóque graviſſimè plectendi. An ita graviter erunt etiam puniendi eorum infantes? Vtique ſanè, ſi audimus Animadverſorem, ſunt enim aliquid eorum, & *pars* vel *appendix.* At tales in infantia abrepti menſuram ſcelerum paternorum haudquaquam implent, & illis *mitius erit*. Et ſi parens uterque infantis bimuli exſtinguatur, cujus tum infans ille appendix erit? 5. Peccat Animadverſor *ignoratione elenchi.* nec enim quæſtio eſt, an ejuſdem *cum parentibus conditionis eſſe putentur*, ſed an Deus qui voluit eos eſſe liberos talium parentum, & ejuſdem conditionis, voluerit tales ſervari? An verò illi prohibere poſſunt, ne naſcantur ex parentibus id genus? Vel poſtquam ex illis nati ſunt, an impedire poſſunt ullâ potentiâ ne cenſeantur eorum appendices, vel ne peccata parentum illis imputentur, & ne cum illis plectantur, vel ne tollantur in immatura ætate? 6. Hîc dicit Animadverſor, nullum eſſe inter gentiles, qui ad τὸ γνωςὸν τȣ̃ Θεȣ̃ ex animo reſipiſcat, in Concionibus ſuis non negat, aliquos tales eſſe, ſed *paucos*, adeóque vel ibi falſum pronuntiat, vel hîc. 7. Cui bono dicitur, *ſi quis eſſet inter Gentiles, quod nuſquam eſt, qui ad τὸ γνωςὸν τȣ̃ Θεȣ̃ ex animo reſipiſceret*? Præterquam verò quod nobis reponere non debuit, id quod à Synodis Nationalibus reponere prohibitus eſt. Annon hoc eſt dicere, ſi quis eſſet inter cæcos, qui oculos aperiret, inter mortuos qui reſurgeret, hoc vel illud eſſet futurum? An hominis ſeriò diſputantis eſt ita agere? Nec etiam tantùm dicendum, hoc *nuſquam* eſſe, ſed nec *eſſe poſſe*. Et ipſe fateri interdùm cogitur, neminem ad τὸ γνωςὸν τȣ̃ Θεȣ̃ reſipiſcere ex animo poſſe, quia reſipiſcentia talis requirit Spiritus S. *operationem*. Haudquaquam verò illa comitatur œconomiam τȣ̃ γνωςȣ̃, ut fatetur. Nexus cæteroquin non negatur, inter reſipiſcentiam & ſpem vel fiduciam potiùs remiſſionis, ſed quæſtio eſt, an Deus qui novit antecedens, hoc eſt, reſipiſcentiam talibus non eſſe poſſibilem, ſub ea conditione talibus ſalutem velit, quam novit illis non eſſe præſtabilem? Et quia omnium animi adverſus Dei invitationes obdureſcunt, nec poſſunt non obdureſcere, ob invictam,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

ctam, quæ in iis eſt corruptionem, & ſic eorum *liberi eadem ſpe* privati eſſe putantur, quæritur, an talibus Deus ſalutem velit, quos ex obdureſcentibus illis inevitabiliter naſci voluit, & in cunis exſtingui, adeoque conſiderari, ut *partes* & *appendices* tantùm iſtorum parentum, & ſpe ſimul omni ſalutis ac medio omni eâ potiundi privari? Adde, hîc imputationem peccatorum *perſonalium* parentum ab Animadverſore tradi, imputationem verò peccati Adami negari, quod tamen *radicale* & *naturale*. Judicet quæſo denuò Lector, quis noſtrûm candorem adhibeat in diſputando, & quis de *ſoliditate ſolicitus ſit*, vel non?

V. Addit Animadverſor: Neque verò vel parentes, *vel liberos quicquam in eo habere quod ſummo Numini ſuccenſeant*, & id prolixè probat. Quid miſerius & inutilius denuò iſtâ digreſſione & diſſertatione potius quàm diſputatione? Nam 1. Peccat *ignoratione Elenchi*, nec enim quæſtio; An parentes vel liberi quicquam in eo habeant, quo jure Numini ſuccenſeant: Sed quæſtio eſt; an quos Deus è talibus naſci, in talibus cenſeri, & in immatura ætate exſtingui voluit conſiderarique, ut appendices ſuorum parentum, ſecundùm Animadverſorem, eos ſalvari velit? Et an hoc ullâ probabilitatis ſpecie dici poſſit? Τῆς θύρας itaque ἁμαρτάνει Animadverſor, & digreſſionem quærit non neceſſariam, in qua luxuriet ratiociniis nihil ad rem facientibus. Nos & αὐτοκρατορικὸν vel ſummum Dei jus & hîc & ubique agnoſcimus, qui & pro ſuo arbitrio ac poteſtate ſuâ agit cum creatura ſua, & juſtiſſimè creaturam corruptam, etiam tenellam, ut ova ſerpentum elidit vel proterit cum ſerpentibus, quia elidi vel proteri meruêre. 2. *Parentes* ipſos *in cauſa eſſe, cur non ſit illa gratia ad ipſorum liberos tranſmiſſa*, haudquaquam caſtigatè dicitur ab Animadverſore, nec primò *abſolutè* dari poteſt, cum ad peſſimorum etiam parentum liberos interdum Deus gratiam tranſmittat, verbi gratâ ad Ezechiam ex Achazo natum, ſic è barbarorum gremio Deus liberos quandoque transfert in Eccleſiam miris modis, & flagitioſiſſimorum parentum liberis ſæpe ſui timorem indit, ex adverſo optimorum parentum filiis interdum non item, ut Chamo nato ex Noacho, Iſmaeli ex Abrahamo, Eſavo ex Jacobo. Adde, denuò *ignoratione Elenchi* peccari. nec enim quæritur, an parentes in cauſa ſint iſtius rei, ſed an Deus, qui vult hos infantes ex his parentibus naſci, qui in cauſa ejus rei ſunt, & in primo flore ætatis exſtingui, tales ſervari voluerit? An poterant infantes cavere vel impedire, ne ex talibus naſcerentur, vel ne exſtinguerentur hac ætate? An hoc ipſum impedire poterant etiam eorum parentes? 3. *Ignoratione Elenchi* denuò peccat Animadverſor, dum probat, *liberos non habere quod Deo hîc ſuccenſeant?* An enim id in quæſtione inter nos? ſed diverticula captanda erant, ut ψυδρά-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

νια id genus pro bona merce obtruderet Lectori. Quæſtio una hîc eſt; *an Deus voluerit tales ſervari, quos in nativa iſta corruptione quæ illis omni modo inevitabilis eſt, ſine ullo remedio perire vult?* Quicquid enim de vocatione parentum illorum dicatur, liberi eorum in ſe peccatores ſunt, & in parentibus tantùm vocantur, quam vocationem per ætatem audire non poſſunt, ne *phyſica* quidem *potentiâ*, ob organorum imbecillitatem, & eorum carentiam, quæ ad intellectus & voluntatis, facultatum illis connatarum, exercitium requiruntur. Cenſentur tamen coram Deo peccatores ſinguli perſonaliter, & eo nomine plectuntur. Nec ulla nobis lis, an Deo hoc *liberum* non fuerit, & illis & aliis, *nullam omninò gratiam ſuppeditare?* 4. Fruſtra digreditur, *ſi quid ſit de quo conquerantur, id ad unum ex tribus iſtis revocari debere.* Nullam enim prorſus conquerendi de Deo cauſam habent, & minùs longè quàm lutum conquerendi de figulo, quod tamen nullam habet, quamvis figulus ipſe etiam creatura ſit, æquè ac lutum, minus creatura cauſam conquerendi habere poteſt de creatore. De fundamentis itaque iſtius querelæ inaniter diſputare, eſt ὕδωρ ὑπέρῳ πλήττειν. 5. Nulla ſanè illis injuria facta, *quod geniti ſint ex parentibus incredulis & impœnitentibus*, adeóque cauſam expoſtulandi non habent. Liberrimum enim fuit Deo ſic diſpenſare eorum generationem, ut ex talibus naſcerentur; Quæſtio tantùm, an quia ita de iis diſpenſare voluit, voluerit eos ſalvari? Mera itaque verborum ludibria nobis oggerit Animadverſor, dum ſubjicit, *Deo liberum fuiſſe, fœcundare ſemen hominum infidelium, & vim generandi à ſe inditam in eis ita influxus ſui concurſu proſperare, ut non in caſſum erumpat, vel fructum ex eo genitum conqueri non poſſe.* Annon hoc eſt narrare μύρον ἐπὶ φακῇ? Annon iſta omnia inter nos ἐξαγώνια? Nec hujus enim nec ullius querelæ jus damus creaturæ in creatorem. 6. An etiam dicimus, *injuriam liberis illis factam, quod non ſint alterius quàm* (non parentis) *ſed parentum à quibus geniti ſunt conditionis?* Liberrimum ſanè Deo fuit, vel eos transferre ex conditione in qua geniti erant, vel in ea relinquere. Nulla itaque quæſtio, an Deus qui nullam parentibus ſpem gratiæ oſtendere potuit, *potuerit* etiam *illam ita diſpenſare, ut parentum & liberorum eadem conditio eſſet?* Fruſtranea iſta omnia. Nec Deus eo nomine, ex ſententia noſtra, ullo modo culpari poteſt: ſed quæſtio eſt, an quos in hoc ſtatu, pro liberrimo beneplacito ſuo, relinquere voluit, eos voluerit ſalvari? Si hoc voluiſſet, vel eos ex aliis parentibus eduxiſſet, vel eos traduxiſſet in ſtatum alium, vel ad ejuſmodi ætatem ſaltem perduxiſſet, in qua ſuæ ſpontis eſſent & ſui judicii. Adde, Deo facile fuiſſe, aliam rationem inire in creandis hominibus verbi gratiâ vel plures homines independentes à ſe invicem, creando, ut plures Angelos, vel peccatum Adami

mi perſonale reddendo, vel ante peccatum, liberos ex Adamo educendo, vel omnes actu ex eo liberando. Varii itaque modi ſapientiæ Dei deeſſe non poterant, quibus vel intercederet peccati introductioni in hos infantes, vel mederetur ei jam introducto. Potuiſſet etiam efficere, ut quamvis parentum & liberorum id genus eadem conditio eſſet *quoad naturam*, haudquaquam tamen eadem eſſet, *quoad gratiam*. Quia verò *à poſteriori* patet, Deo hoc non libuiſſe, concludendum, Deo non libuiſſe, ut tales ſalvarentur. 7. Sanè ſi Deus tales infantes ullo modo ſalvari voluiſſet, vel ſaltem *gratiam objectivam* aliquam ad illos extendere, neceſſarium omninò fuiſſet, eum impedire, ne exſtinguerentur in cunis, ſed ut ad eam ætatem pervenirent, in qua vel τὸ γνωςὸν τοῦ Θεοῦ intueri ſaltem poſſent, vel aliquo modo ipſi ad Deum vocari. Quamvis enim tales iſtâ luce objectivâ in natura propoſita haudquaquam ſalutariter uti potuiſſent ſine Spiritu Dei, vel *ſuopte ingenio*, aut *ſuâ pœnitentiâ corrigere id quod in eorum naſcendi conditione triſte fuit*, aliquâ tamen ſaltem probabilitatis ſpecie dici poſſet, aliquam vocationem talibus objectam, quod de infantibus iſtis nulla ratione dici poteſt. Homo ſanè *ſuo ingenio* in peccatis natus corrigere non poteſt corruptionem in qua natus eſt, non magis quàm mortuus ſuam mortem, leproſus ſuam lepram. Nec quæſtio eſt, *annon parentes in liberos tranſmittant ea tantùm, quibus ipſi fruuntur*. Quamvis enim ne hoc quidem univerſale ſit, in eo tantùm difficultas eſt, an Deus, qui voluit infantes naſci ex parentibus iſtis, qui in eos nihil transfunderent niſi peccatum & mortem, & ſtatim exſtingui, illos ſalvari voluerit? Hic ſtringendus eſt nodus. 8. Peccatur denuò *ignoratione Elenchi*, & inutili rhetoricatione, *Deum, ad quem ſocietatis humanæ procuratio attinet, de liberis infidelium ſtatuere è re communi, & eos vel ſinere vivere, vel immaturo fato præripere, uti rebus humanis conducibile eſſe judicat*. An de hoc diſputamus, Animadverſor? Annon potius, an Deus infantes iſtos, quos ex parentibus infidelibus naſci vult, & immaturo fato præripere, & de quibus ita ſtatuere, conducibile judicat rebus humanis, ſalvari velit? An quod hîc *è re communi* eſſe dicitur ab Animadverſore, eſt *è re particulari* iſtorum infantium? Et quî hoc ipſum conciliari poteſt, cum opinione de voluntate Dei omnes & ſingulos ſalvandi, velle ut tales propter *rem communem* priventur omni *gratiâ & objectivâ* & *ſubjectivâ* ſimul? 9. Egregiam etiam ſolutionem nodi à nobis nexi notet Lector! Fatetur Animadverſor, *hominum nativam corruptionem* tantam eſſe, *ut niſi Deus eam ſpiritu ſuo corrigat, evenire non poſſit, quin invitationes ad pœnitentiam reſpuant*. Sin hoc ita ſe habet, ut revera ſe habet, an ab ullo homine ſano dici poteſt ſine aperto ludibrio, Deum illis quorum nativam corruptionem tantam eſſe novit, & quo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

& quorum corruptionem ſuo ſpiritu corrigere non vult, ſalutem velle, ſub conditione, ne corruptionem iſtam vel habeant, vel exerant, reſpuendo invitationes ad pœnitentiam? 10. Si etiam illi, *quos penè naſcentes præfocat, ita corrupti ſunt, ut, ſi adoleſcerent, pro communi hominum vitio* τὸ γνωστὸν *ipſiis oblatum ſpernerent*, & non poſſent non ſpernere, & ſic *ad reatum qui peccatum originale naturaliter ſequitur, novam culpam adderent ex contumacia, & ſic iram in ſe exaggerarent*, nec poſſint aliter ob iſtam impotentiam ſibi connatam, & invictam quidem, an quæſo ab ullo homine Majeſtatis divinæ reverente dici poteſt, Deum vel infantes tales, vel adultos, quos in hoc ſtatu relinquere planè conſtitutum habet, ſalvari velle? An etiam hoc poſito non dici debet, invitationem per τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ omnibus id genus cedere in malum potiùs, quàm in bonum, adeóque tales injuſtè ſic invitari, ſi credimus Animadverſori. Sic enim diſputat alibi: *Si non poteſt illis ullo modo utilis eſſe iſta invitatio, neque debet eſſe damnoſa. At neceſſariò damnoſa eſt ex verbis ſupra dictis. Quis verò ferat*, inquit Animadverſor, *quemquam ex ulla re magnum damnum accipere debere, ex qua nullum omninò emolumentum capere poteſt?* 11. Denuò declinat ſtatum controverſiæ Animadverſor. neque enim quæſtio, annon ſic infantes præfocati à Deo, antequam adoleſcant, minùs peccent & mitiùs puniantur, *quia ad reatum qui peccatum originale naturaliter ſequitur, novam culpam non addunt ex contumacia, & ſic iram in ſe non exaggerant*; ſed, an Deus illos ſalvari velit, quos vult naſci in peccato originali, & naſci ex parentibus prorſus infidelibus, & maturè tolli antequàm adoleſcant? Quod oſtendendum erat Animadverſori, nec alia omnia agenda, & de *Atridarum ſcapha* litigandum. An dubium, Deum illos ſapienter tollere in iſta ætate, & *id cedere ex eventu quaſi factum eſſet miſericorditer, ita ut magnâ parte maledictionis, quæ alioqui inevitabilis erat, miſeri illi infantes levarentur?* Iſta omnia ἐξαγώνια, quæſtio tantùm eſt, an Deus tales *omni parte* maledictionis levatos voluerit, & ipſis ullo modo evitabile fuerit, non naſci in peccatis, vel non naſci ex talibus parentibus. An prohibere etiam potuêre, ne talium parentum *appendices* eſſent, vel ne damnarentur? Sed *de eo adhuc aliàs*, inquit Animadverſor. At hîc de eo agendum erat ſufficienter, & decidenda ſemel res tota. Iſtud *aliàs* nullibi reperitur, & mera fuga eſt. Alibi enim, ubi hac ἐνστάσει urgetur, vel dicteriolis illam excipit, ſolutione Theologo dignâ, vel dictatorem agit Animadverſor, vel interpretem τοῦ ἐξήγητου, & *ſtrepitum infantum ut ſibi moleſtum* nos amoliri jubet pro imperio. His inter ſe collatis niſi deprehendat Lector candidus, apertiſſimè fugere Animadverſorem, nec quicquam ſolidè reſpondere ad nodum ſibi nexum incidendum, cauſam non dico, quin plures adhuc pæanas optimus ſui Panegyriſtes

gyriſtes

gyriſtes ſibi ipſi occinat, & citharâ ſuâ magnificè victorias ſuas ſibi gratuletur. Non mirum intereà videbitur Lectori, ſi argumentum iſtud, velut ἡράκλειον quoddam ἅμμα, ex quo nulla ſophiſtica ſe unquam expediet Animadverſor, pro re nata ſæpius ipſi impingamus, quippe quod immotum & ſuo robore ſubnixum ſtat, plenéque à nobis ab omnibus ejus argutatiunculis hîc vindicatum fuit.

CAPVT XV.

An miſericordia univerſalis evertat decretum Electionis & Reprobationis.

BREVIARIVM Capitis decimi quinti.

Argumentum noſtrum. Exceptio Animadverſoris. Dicta à nobis de decretis Dei vindicata. Hæſitatio inanis Animadverſoris. Ordo decretorum ab eo conſtitutus. Remonſtrantium ordini geminus. Abſurda conſequentia univerſalem φιλανθρωπίαν. *Illam* ἀποτομίαν *potius eſſe quàm miſericordiam probatur. Verba Animadverſoris retorta in cauſam ejus. Quis ordo concipiendus in decreto & executione. An Deus ſervet* ob fidem, *ut damnat ob incredulitatem. An decretum ſervandi ſuſpendi debeat* ex præviſione fidei. *Dogma heterodoxum notatum. Synodi Dordracenæ judicium. Animadverſor cum ſe ipſo commiſſus. Præviſio fidei & electio ex ea expenſa. An præviſio obſtinationis ſit cauſa decreti Reprobationis. An id ſequatur ex damnatione conſequente obſtinationem. Verba Animadverſoris retorta in cauſam ipſius. An Deus decreverit fidem dare vel negare ante decretum ſervandi vel damnandi. Abſurda axiomatis ab Animadverſore poſiti. An omnibus fuerit oblata promiſſio ad credendum. Falſa ſuppoſitio Animadverſoris. Ordo executionis ab eo confuſus cum ordine in decernendo obſervato. Quî ratio prioris & poſterioris concipienda ſit in decretis Dei. Verba Animadverſoris retorta. Objectum an omnibus propoſitum, & cum intentione ſalvandi dici poſſit. Actus varii prærequiſiti ante exactionem fiduciæ in illud objectum. Aberratio à quæſtione notata. Quæſtio quæ controverſa. An ex propoſitione Chriſti directâ etiam ad reprobos ſequatur, Chriſtum illis propoſitum eſſe ad ſalutem. Argumentatio à non diſtributo ad diſtributum notata. Electio & reprobatio malè deſcriptæ ab Animadverſore. Aberratio alia à quæſtione. Quî tranſeat aliquid ex poſſibili in conditionem futuri. Conceſſa ab Animadverſore, retorta. Vniverſali* φιλανθρωπίᾳ *everti decretum Electionis & reprobationis, probatum. Abſurda varia iſtam* φιλανθρωπίαν *conſequentia. Ordo datur in iis quæ Scriptura Deo tribuit, non in iis quæ illi affinguntur.*

I. THeſi X. hoc argumentum etiam à nobis propoſitum fuit: Miſericordiam univerſalem evertere decretum Electionis & reprobationis. *Exceptiones* Diſſertatoris à nobis confutatas habebit Lector in Exercitationibus, quas non regerimus moli operis noſtri contrahendæ.

II. Quid ad noſtra reponit Animadverſor in ſpecimine ſuo? 1. στρεψίμαχον agit, & dicit, *ſe neſcire quibus gradibus aſcenderim uſque ad æternam illam decretorum divinorum conſtitutionem.* Quid verò à me de decretis illis dictum in Theſibus? 1. Ea *æterna* eſſe, an hoc dubium? 2. Ea eſſe non *voluntatis* cujuſdam *conſequentis* duntaxat, ſuſpenſæ ſive à conditione, ſive à præviſione conditionis, ut nimirum eligatur quem prævidit Deus crediturum, rejiciatur, quem prævidit futurum rebellem & incredulum ad ſuam vocationem. An hoc etiam ulli orthodoxorum retrò vel dubium, vel improbatum? 3. Conditionis præſtationem eſſe ab ipſo *decreto effectivo*, omiſſionem à *decreto permiſſivo & directivo.* An iſta vel ex ipſius Animadverſoris ſententia falſa? 4. Conditionis præviſionem inniti ipſi decreto, nec aliam rationem dari poſſe, cur poſſibilia tranſeant in conditionem futurorum in æternitate. At id ipſum mirum videri non debet, vel novum Animadverſori, gemina quippe tradita antehac à Camerone. An itaque cauſæ quicquam hîc erat, cur hæreret Animadverſor dubius, *quibus gradibus eò aſcenderim?* Scriptura duce eò aſcendi, quæ decretum Dei ſive ejus volitionem & beneplacitum facit cauſam omnium, & primum inter omnia, & ex eo ducit omnium vel *effectionem*, ſi bona ſint, vel *permiſſionem* & *directionem*, ſi ſint mala: ſana etiam ratio oſtendit, decretum Dei prius eſſe præviſione ejus, quum oppoſito ordine vel conſtituto, vel admiſſo, decretum reddatur inutile, & ſupervacuum, ut alibi à nobis demonſtratum. Oſtendat jam nobis ex adverſo Animadverſor, *quibus ipſe gradibus adſcenderit ad iſtam Decretorum Dei*, quam fingit, *fabricam*, nimirum Deum *primò* prædeſtinatione conditionali univerſali omnes ſalvatos voluiſſe, vel voluntatem ſaltem univerſalem conditionatam habuiſſe omnes ſalvandi, ſub conditione; *Secundò*, eum voluiſſe dare Mediatorem ſub iſta conditione omnibus & ſingulis mortalium: *Tertiò*, eum prævidiſſe omnes & ſingulos fore incredulos, & ſic inanem fore & prædeſtinationem iſtam ſuam & redemptionem univerſalem & conditionatam, niſi daret aliquibus conditionem, ob eorum incredulitatem: *Quartò* eum voluiſſe aliquibus dare gratiam conditionem præſtandi, aliis non; Et ſic voluiſſe illos ſalvari, hos damnari. Vbi Scriptura hunc ordinem tradit? Et quid ille differt ab ordine decretorum à Remonſtrantibus noſtris conſtituto? An Principi etiam vel homini ſano ejuſmodi deſtinationes affingi poſſunt vel ſine ludibrio, vel ſine notatione ſummæ inſipientiæ? Scilicet Deus nondum præviderat in prima iſta voluntate univerſali & conditionali, quæ eſſet hominum conditio, quæ ad credendum ἀδυναμία, & quam fruſtrà & prædeſtinationem poneret univerſalem & redemptionem, utramque conditionatam, ſuſpenſam à conditione,

quam

quam noverat homines nec habere, nec habere ſine dono ſuo poſſe, adeóque quæ voluntas univerſalis reſpectu omnium illorum, quibus conditionis gratiam facere nollet, non eſſet voluntas tales ſalvandi, ſed damnandi potius. Nec ſanè Princeps præſcius omnium iſtorum, & tamen beneficium à conditione ſuſpendens, & conditionis à ſe ſolo pendentis gratiam paucis facere volens, reliquis beneficium ſeriò velle ſed nolle potius dici vel poſſet, vel deberet! Benevola itaque iſta voluntas, vel prima miſericordia, vel *inenarrabilis* φιλανθρωπία ab Animadverſore conſtituta, abit in meram ἀποτομίαν, & voluntatem damnandi non electos omnes, & neceſſariò quidem. Proponere enim alicui theſaurum ſub conditione quam ſcias ab eo præſtari non poſſe, quæcunque impotentia intercedat, modò ea inſuperabilis ſit, eſt eum vel non proponere, vel proponere ad ludibrium.

III. Addit; *Se tutiſſimam viam putare, ſi quid Deus fecerit in tempore, & quam rationem in quacunque re ſequutus ſit, diligenter obſervemus. Haud enim aliter Deum egiſſe in tempore, quàm quomodo ſe acturum eſſe decrevit ab æterno. Servare ergo homines ob fidem, damnare ob incredulitatem. Illos igitur ſervare decreviſſe, quia proſpexerat futurum eſſe ut crederent, hos damnare conſtituiſſe, quia futurum eſſe præviderat ut adverſus Euangelium obſtinati manerent*; Iſta verò partim ambigua, partim heterodoxa & falſa. 1. κατὰ τὸ βίαιον retorqueri poſſunt in Animadverſorem; Si enim ex œconomia Dei in tempore adhibita judicandum de decreto æterno: Quia Deus in tempore omnes & ſingulos peccato & reatu involvi voluit, innumeris tamen, vel omnia vel ſufficientia ſaltem media ad ſalutem perveniendi negavit, meritò inde concluditur, Deum noluiſſe tales ſalvari. 2. Limitatè & cautè *aphoriſmus* Animadverſoris intelligendus eſt: Quamvis enim in tempore ea eveniant quæ Deus decrevit, & prout illa decrevit, haudquaquam tamen idem eſt ordo in *decreto*, qui eſt in *executione*, & contra. Nam in decreto, noſtro conſiderandi modo, ſemper naturâ præcedit decretum de fine, ſequitur decretum de mediis, in executione verò prius adhibentur media, quàm attingatur finis. Et quamvis unum duntaxat decretum conſtituatur de fine per certa media obtinendo, quod convenientiſſimum, ſemper prioritate naturæ finis prior eſt in intentione mediis, quippe quæ ſunt, propter finem, hic verò non propter media, in executione verò ordo inverſus eſt, ut notum omnibus. 3. Falſum, Deum ſervare homines *ob fidem*, ut damnat *ob incredulitatem*, quia incredulitas cauſa meritoria eſt damnationis, fides ſalutis non item. Servat itaque Deus *per* fidem potiùs quàm *ob* fidem, quamvis damnet *ob* incredulitatem. 4. *Deum* illos *ſervare decreviſſe, quos proſpexerat futurum eſſe ut crederent*,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

& ἀθεόλογον & eſt ἄλογον. Annon etiam hîc ſtatuitur diſertè cum Remonſtrantibus & heterodoxis aliis, *electio ex fide prævisa*? Quid *Arminius* urſit crebrius quàm hoc ipſum, & ejus ſequaces? Quid Synodus Dordracena habet Can. IX? Annon negat *Electionem* eſſe factam *ex prævisa fide, ſive ut cauſa, ſive ut conditione in homine eligendo prærequiſitâ*, & electionem factam eſſe *ad fidem*, non *ex fide*. Quid etiam eſt Electio, niſi decretum ſervandi? Annon Rejectione V. quoque dogma iſtud de electione ex fide prævisa perſtringitur diſertè in Heterodoxis? Si *excipiat*, ſe aliter ſentire de cauſa fidei quàm Remonſtrantes. Ab iſta loquutione iſtorum hominum etiam abſtinere debebat, nec circumducere Lectorem inutiliter per ſpiras iſtas; & quum ſtatuat, electionem eſſe decretum dandi fidem, electio non poteſt eſſe decretum ſervandi *ob* fidem, ſed *per* fidem tantùm. 5. Quî etiam Deus proſpexit futurum eſſe, ut aliqui crederent? Annon vel in caſtra ſemi-Pelagianorum concedendum, vel dicendum, ideò Deum hoc proſpexiſſe in his, non in illis, quia decrevit his gratiam fidei largiri, aliis non. Neque enim iſtius prævisionis fundamentum dari poteſt aliud. Quò verò evadit iſta argumentatio, hoc etiam ordine obſervato? Nimirum, Deum aliquos ſervare voluiſſe, quia illis voluit fidem dare. At voluntas dandi fidem non eſt prior voluntate ſalvandi ordine naturæ, ſed poſterior. Nec enim Deus vult hominem ſalvare ut credat, ſed vult eum credere ut ſalvetur. 6. Adde, Deum fœderatorum infantes ſalvari velle, etſi non credant, & ſalvari velle multos impios & hoſtes ſuos quos ex talibus facere vult amicos & credentes, adeóque non *ſi credant*, ſed *ut credant*. 6. Falſum, *Deum conſtituiſſe reprobos damnare, quia futurum eſſe prævidera t, ut adverſus Euangelium obſtinati manerent*. Quî enim obſtinationem iſtam in innumeris prævidere potuit, quibus noluit Euangelium prædicari? Adde, quæſtionem redire, quî Deus præviderit homines vel Euangelio opus habituros, vel adverſus id obſtinatos manſuros, niſi poſtquàm decrevit omnes involvendos eſſe communi lapſu, & inemendabili corruptione, & Electos tantùm ex eo educendos per fidem in Filium. Omnia itaque in merum Dei beneplacitum tandem revolvuntur. Adde, eandem obſtinationem Deum prævidiſſe in omnibus, futuram, ut adverſus Euangelium obſtinati manerent, niſi iſti corruptioni intercederet gratiâ internâ. Quum verò communia nullum faciant diſcrimen, non potuit iſta prævisio damnationis illius cauſa magis eſſe in his quàm in aliis.

IV. Addit: *Antequam Deus hos condemnet, illos verò ſervet, illos credidiſſe actu, hos autem Euangelium reſpuiſſe, quum tamen eſſent & ex æquo, & ad unum omnes corrupti, atque omni credendi virtute defecti ac deſtituti.* At 1. Falſum univer-

univerſaliter, antequam Deus, omnes qui condemnantur, condemnet, illos actu Euangelium reſpuiſſe. neque enim id dici poteſt niſi de illis quibus id oblatum, haudquaquam verò de innumeris aliis. 2. Non dubium, actu Euangelium reſpuiſſe multos, antequam actu damnentur. At quæſtio eſt, non de exequutione decretorum, ſed de decretis ipſis. Sic actu aliqui bene ſunt operati, antequàm ſerventur, nec tamen Deus ideò illos ſalvare voluit, quia prævidit eos benè operaturos, quum id ipſum quod benè operati fuerint, à mera ipſius gratia ſit. 3. Doceat etiam nos Animadverſor, an credere potuerint ſine Dei dono illi *qui non fuerunt ordinati ad vitam æternam* à Deo, & aliter facere, quàm reſpuere Euangelium? Quod enim alii crederent actu, id ideò factum, quia *erant ordinati ad vitam æternam*, ut diſertè tradit Scriptura. 4. κατὰ τὸ βίαιον, *quia omnes ex æquo erant corrupti, & omni credendi virtute defecti ac deſtituti*, an ſeriò dici poteſt, Deum eos, quos novit eſſe tales, & incorrigibiliter quidem per naturam, voluiſſe ſervari, ſub conditione ne eſſent tales? Et cur omnes ſunt tales, niſi ex decreto, ut unus homo liberrimè quidem, neceſſariò tamen ſimul, laberetur in peccatum, & omnes in eo? An qui hoc voluit, nec iſtud vitium correctum voluit in plurimis, omnes ſalvari voluit? 5. Ἐξαγώνιον, quod addit, *Deum in eos qui credidêre, aliquam Spiritus ſui efficacitatem exeruiſſe, in iis qui increduli permanſere, neutiquam*. Præterquam verò, quod *magnam* efficacitatem, non *aliquam*, (quippe quam Apoſtolus vix ſatis, efficaciſſimis etiam & ampliſſimis, verbis congeſtis Eph. 1, 19, 20. extollere ſe poſſe cenſuit) exeruit in iis qui credidêre, quia in aliis eam exerere voluit, in aliis non, & ſine iſta efficacitate fieri non poterat, ut reliqui crederent, fieri etiam non poterat, ut reliqui ſalvarentur. 6. Cogitur Animadverſor ea probare quæ dixi de prævisione Dei, noſtro concipiendi modo, innitente Dei decreto. 7. Ἀθεόλογον planè & ἄλογον, *Deum decreviſſe aliis dare fidem, aliis verò eam denegare, antequam eos actu ſervare vel damnare decerneret*. Quid abſurdius? Deum prius decreviſſe id quod habet rationem medii, antequàm decerneret id quod *comparatè* reſpectu iſtius habet rationem finis? Quid putidius quàm Medicum prius decernere pharmaci exhibitionem, antequàm cogitationem ſuſcipiat de ſanitate ægri, hominem lapidum & lignorum ſtruem congerere ad ædificationem domûs neceſſariam, ante cogitationem de ædificio exſtruendo? Et quum inverſus ſit ordo intentionis & executionis, prius Deus ſalvabit homines vel damnabit actu, pòſt illis dabit fidem, iſtis negabit, ſi audimus Animadverſorem. Novâ ſanè hîc Dialecticâ opus, æquè ac novâ Theologiâ.

V. Addit: *Anteqnam alii crederent, alii non crederent, omnibus promiſcuè atque indiſcriminatim obtuliſſe promiſſionem ad credendum. Id enim ex-*

 perien-

perientiâ conſtare, & ipſa ratione confirmari. Fidem omnem eſſe actionem quandam intellectus τὸ πιςὸν amplectentis, & incredulitatem eſſe actum itidem intellectus τὸ πιςὸν reſpuentis. Omnem autem talem facultatis operationem, objecti propoſitionem neceſſariò præcedere, neque id me diffiteri. Antequam igitur Deus apud ſe decerneret, huic dare ut actum illum intellectus exerceret, permittere verò ut ille eum exercere aſpernaretur, conſtituiſſe utrique offerre illud objectum commune promiſſionis, ſine quo nullus talis actus futurus erat. Obſervet Lector 1. καθόλȣ & falſum eſſe, & τὸ ἐν ἀρχῇ, Deum omnibus promiſcuè & indiſcriminatim obtuliſſe promiſſionem ad credendum. Innumeri enim ne verbum quidem de iſta promiſſione unquam audivêre. Et quum in vocatione per verbum tantùm proponatur, & iſta nunquam fuerit univerſalis, nec propoſitio promiſſionis talis cenſeri poteſt. Imò inter ipſos vocatos per verbum nonniſi illis verè oblata fuit promiſſio, qui reſipiſcebant. Reliqui ſub Lege manebant, ad quos minæ Dei pertinebant, non promiſſiones. 2. Fidem actionem *intellectus* duntaxat eſſe, vel ſolius, vel *excluſivè*, & falſum eſt, & merum novæ Theologiæ placitum. 3. Ἐξαγώνιον, omnem facultatis operationem neceſſariò præcedere propoſitionem objecti, ut quæ fertur in objectum. Falſum verò, ſi fides eſt actus intellectus, & fertur in promiſſionem: Ergo Deus *antequam decerneret* huic dare, ut actum illum intellectus exerceret, permittere, ut alius eum exercere aſpernaretur, conſtituit, utrique offerre objectum commune promiſſionis. Nam & τὸ *antequàm* æternitati decretorum Dei, quæ uno *nunc* conſtat, & *indiviſibili* quidem, ac *ſtante* non *fluente*, ut habent Scholæ, haudquaquam convenit: Et datâ etiam conſequentiâ, tantùm referri poſſet ad illos quibus actu Euangelium annuntiatur, vel promiſſio ejus, non verò ad omnes omninò homines; Et nihil falſius, quàm Deum conſtituiſſe illud objectum commune promiſſionis offerre omnibus & ſingulis. Adde, *in ordine* quidem *executionis* iſta dari, primò proponi objectum credendum, poſtmodùm demum ejus excipiendi gratiam dari vel negari. At in *ordine intentionis* id abſurdum, quia ſecundùm hunc Deus uno & ſimpliciſſimo decreto, naturæ ſuæ convenienti, ab æterno voluit ſervare electos ſuos per fidem in Chriſtum, quam illis daret, & quia hoc decrevit, voluit ſimul & promiſſionem proponere, & electis ſuis gratiam facere eam amplexandi, aliis non. Sic ſi Rex vellet gratioſum ad dignitatem aulicam evehere per media ad iſtum finem conſequendum convenientia, verbi gratiâ, per fortitudinis ipſius in monomachia aliqua demonſtrationem, ad quam armis & auxiliis neceſſariis eum inſtrueret, alium deprimere, per ἧττημα ejus in pugna, cui nollet illa ſubminiſtrare quæ alteri offerre decrevit, etſi in executione Rex primò proponeret monomachiam, dignitatem promit-

promitteret vincenti, utrumque ad pugnam incitaret, arma & auxilia ſubminiſtraret uni, alteri non, ſequeretur tandem unius victoria, alterius clades, victoris evectio, depreſſio victi, nemo diceret, in intentione iſta hoc ordine à Rege decreta, ſed primò finem, deinde media, vel ſaltem media ob finem iſtum animo conceptum. Adde, ea propriè duntaxat habere *rationem prioris & poſterioris* in decreto Dei, ſecundùm ordinem noſtrum concipiendi, quæ ſe habent ut finis & media; jam quum & propoſitio objecti & ejus amplexatio ingrediantur unum ordinem medii adæquati ad ſalutem à Deo conſtituti, utique dici non debet, Deum apud ſe decernere unum antequàm decernat alterum. 4. κατὰ τὸ βίαιον, eo ipſo quia Deus decrevit, ſecundùm Animadverſorem, objectum commune promiſſionis utrique offerre, his verò dare, ut actum illum fidei exerant, aliis non, reliquorum ſalutem velle ſeriò dici non poteſt, ſed damnationem potius, ob negationem abſolutam medii ad illius aſſecutionem neceſſarii, & ex hypotheſi ſtatûs, in quo tales eſſe ſupponuntur, quando illis objectum propoſitum dicitur. 5. Objectum utrique, hoc eſt, electo & non reprobo, adeóque ex hypotheſi Animadverſoris, omnibus & ſingulis qui in utroque ordine *communiter* offerri, falſum. innumeris enim non offertur, ut omnium ſeculorum experientia docet. Imò ne vocatis quidem per verbum *communiter* offertur. inter eos enim, ut dictum, quidam ſunt reſipiſcentes, alii non; illis offertur, iſtis non item, ſed ab iſtis exigitur prius τὸ μετανοεῖν. Adde, oblationem objecti, ſine operatione Dei neceſſaria ad ejus amplexationem, non proponi poſſe ad ſalutem ab eo, qui novit ſubjecta quibus proponi dicitur, carere iſta rectitudine intellectus & voluntatis ſuæ, ſine qua nec intelligere poſſunt verum ſpirituale, nec amplexari Bonum ejuſdem ordinis. 6. Adde in objecti iſtius propoſitione actus exigi varios à variis. Priores ſemper præexigi, verbi gratia, ut homines agnoſcant ſe & peccatores eſſe, & corruptos, & damnationis æternæ reos, ut ſeriò doleant de peccato admiſſo, & offenſo Deo, ut credant, ſalutem haberi non poſſe per legem, nec per vires noſtras, nec per ullam creaturam, ſed per Meſſiam ſolum, & illum Meſſiam eſſe Jeſum Nazarenum, θεάνθρωπον, & omnes credentes in eum ſalvandos. Qui hos actus præſtat, ille demum jubetur credere, Jeſum illum Nazarenum eſſe ſuum Salvatorem, & verâ fiduciâ in eum ipſi recumbendum, & in eo uno conquieſcendum. Non ergo communiter quibuſvis offertur illud objectum promiſſionis, quum innumeri vel nullum ex prioribus actibus præſtent, vel aliquos ſaltem non præſtent. 7. Peccatur *ignoratione elenchi*, nec concluditur quæſitum. neque enim quæſtio eſt, vel an Deus proponere potuerit Chriſtum in tempore, in verbo Euangelii, velut commune

bonum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

bonum, omnium nimirum & ſolorum credentium, vel, an potuerit id decernere: Sed quæſtio eſt, an Deus, qui decretum illud Electionis & reprobationis adeóque decretum de efficientia fidei in electis, negatione iſtius efficientiæ in non electis ab æterno formavit apud ſe, ex quorum uno ſequitur neceſſariò communicatio fidei & ſalus, ex altero incredulitas & damnatio, quamvis diverſimodè, ut oſtenſum in Theſibus, illud *per efficientiam*, iſtud *per permiſſionem & directionem*, utramque tamen infallibilem, an, inquam, Deus iis Chriſtum proponere decreverit ab æterno, vel proponat in tempore, ut ſalventur per eum, quos reprobavit ab æterno, adeóque quibus denegare voluit operationem neceſſariam ad fidem iis ingenerandam? Quæſtio itaque non eſt, an proponi potuerit Chriſtus reprobis, ſed an proponi iis potuerit ad ſalutem, & eâ voluntate vel intentione ut per eum ſalvarentur, ab eo qui novit & incredulitatem non electorum invictam, & decretum ſuum de non danda illis gratiâ fidei? Si quæras, cur ergo illis proponit Chriſtum? Cauſas varias ejus rei dari, alibi oſtenſum, verbi gratiâ, ut aliqui ex illis ad aliquod tempus fidem vel hiſtoricam vel temporariam etiam concipiant, coërceantur in reverentia aliqua Chriſti & obedientia quadam, externa ſaltem, & ſic mitius peccent, & mitius puniantur, ut excuſatio omnis tollatur, aliis de non propoſito ipſis objecto, & ut ex aliorum incredulitate commendetur aliorum fides, & quia ſæpe illi ſe ingerunt in cœtus filiorum Dei qui non habent veſtem nuptialem. Si itaque cauſæ diverſæ dari poſſint propoſiti objecti, illatio iſta inconſequens eſt: Chriſtus propoſitus eſt non electis: E. ad ſalutem. Procedit enim *à non diſtributo ad diſtributum*, vel *à genere ad ſpeciem affirmativè*. 8. Electionem conſiſtere in decreto effectivo fidei, reprobationem in decreto *permiſſivo & directivo* incredulitatis, & quidem vel *adæquatè*, vel *præcipuè*, vel *excluſivè*, falſum eſt. conſiſtit enim Electio primò in ſegregatione æternâ certarum perſonarum ex maſſa peccati, & in decreto tales ſalvandi per fidem, ſecundariò demum conſiſtit, noſtro concipiendi modo, in decreto illis dandi fidem. Similis ratio ex adverſo Reprobationis, quæ denotat primò ſegregationem æternam peccatorum, quos Deus vult relinquere in ſua corruptione, & in iis juſtitiam ac ſeveritatem ſuam & liberrimam etiam ἀυτοκρατείαν demonſtrare, cui velut ſubordinatur, ſecundùm conceptum noſtrum, volitio negandi iis gratiam emergendi ex corruptione ſua. 9. Objecti communis propoſitio ex communi & univerſali Dei φιλανθρωπίᾳ & miſericordiâ eſt πρῶτον ψεῦδος, & res enim falſa, & ejus fundamentum, ut demonſtratum.

VI Subjicit Animadverſor: *Præviſionis divinæ negotium ſic perſpicuè explicari:*

plicari: Poſſibile eſſe, objectum offerri communiter, vel non offerri. Deum decreviſſe id oblatum iri promiſcuè atque indiſcriminatim omnibus. Tùm poſſibile illud tranſiviſſe in conditionem futurorum. Poſſibile fuiſſe vel neminem credere, vel omnes Euangelium amplecti, ſi Deo ſic libuiſſet, vel alios amplecti, alios verò reſpuere. Deum decreviſſe alios ab aliis ſecernere, quibus fidem indulgeret, reliquis præteritis; Sic tranſiviſſe poſſibile in conditionem futurorum. Et quæ vi decretorum ex poſſibilibus certò futura facta ſint, illa Deum tanquam futura prævidiſſe, præviſione quæ decreto nitebatur. At 1. Vel explicatio noſtra Animadverſori probanda erat, vel confutanda, & vitia ejus oſtendenda. Haudquaquam verò à nobis dicta evertere poteſt, quin contradicat *Cameroni* Magiſtro ſuo, qui idem argumentum eodem modo exequitur. 2. *Poßibile fuiſſe, objectum offerri communiter, vel non offerri,* haudquaquam vel controverſum inter nos, vel ad rem noſtram pertinet. Poterat ſanè Deus Chriſtum vel promiſſionem & nemini offerre, & offerre omnibus; Deum verò decreviſſe id oblatum iri promiſcuè & indiſcriminatim omnibus, falſiſſimum, & τὸ ἐν ἀρχῇ, ex ſententia Animadverſoris, ut qui vel univerſalem oblationem intelligere debet, vel non concludit id quod eſt in quæſtione. Ludit verò ambiguitate phraſeos, dùm *promiſcuæ & indiſcriminatæ oblationis* meminit, quippè quæ ſpecioſius jactari poteſt, quàm univerſalis. 3. *Ex decreto* ſanè Dei *poßibile tranſit in conditionem futuri*, potiùs quàm *futurorum*, ut loquitur; Falſum verò, oblationem univerſalem, utut poſſibilem, tranſiviſſe unquam in conditionem futuri, vel Deum id decreviſſe. Repugnat enim omnium temporum œconomia. 4. Poſſibile ſanè erat, vel neminem credere, vel omnes credere, ſi Deo ſic libuiſſet, vel alios amplecti verbum, alios reſpuere, quod ipſi libuit. Iſta ἐξαγώνια, ſed ſolenne hoc Animadverſori, evagari & digredi ad non controverſa, & altùm ſilere de controverſis. 5. *Deum decreviſſe alios ab aliis ſecernere, quibus fidem indulgeret, reliquis præteritis, & ſic tranſiviſſe poſſibile in conditionem futurorum*, extra controverſiam etiam. Quia verò Deus hoc ipſum decrevit, & præteriti omnes inevitabiliter ſunt increduli, noluit iſtos omnes ſervari, ob negationem medii neceſſarii ad ſalutem, & à ſe ſolo liberrimè conſtituti, & à ſe ſolo pendentis. 6. Notet etiam Lector, poſt mæandros multos, tandem Animadverſorem id ipſum dicere, quod dixi, *nimirum quæ vi decretorum* (vel *decreti* potius) *ex poſſibilibus certò futura facta ſunt, illa Deum ut futura prævidiſſe, præviſione quæ decreto nitebatur.* Prævidit itaque reproborum incredulitatem vel corruptionem invictam, & ex ea damnationem, quia iſta ut evenirent, & certò quidem, quamvis reproborum vitio, decrevit.

VII. Quærit tandem Animadverſor: *Quid deſiderem in doctrina ſua, ut*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

decreta Dei æterna ſint, & certiſſima eadem, tametſi Electio & reprobatio ab univerſali miſericordia non evertantur? Quid in doctrina ipſius deſiderem, facilè erat colligere ex Exercitationibus meis, & argumentis in iis doctrinæ iſti oppoſitis. Satis, me hîc evincere, illâ ſtante decretum Electionis & Reprobationis non poſſe eſſe æternum, quia vult univerſalem Dei φιλανθρωπίαν, & voluntatem univerſalem conditionatam omnes ſalvandi priorem eſſe decreto Electionis & Reprobationis. An verò id æternum eſſe poteſt, quô aliquid prius? Sin dicat, iſtam voluntatem priorem tantùm concipi *ordine naturæ* decreto Electionis & Reprobationis, & ſupponit id quod eſt ἐν ἀρχῇ, ac non enti adſcribit accidens, & Deo adſcribit evanidum affectum, quem novit in æternum inutilem fore innumeris, & non poſſe non eſſe talem, & ei tribuit actum ab omni ſapientia alienum, bonum alicui proponere cum intentione eum ſalvandi ſub conditione, quam ſciat ipſum nec habere poſſe, & Chriſto directè contradicit, qui teſtatur ſe tales *nunquam* noſſe, quod falſum eſſet. *Noſſet* enim tales, hoc eſt, amâſſet prius voluntate iſtâ univerſali conditionatâ. Mutationem etiam Deo adſcribit, ut qui eos quos reprobavit, adeóque odit, amare deſinit, quamvis prius illos amâſſet voluntate iſtâ univerſali. Imò Deo affingit voluntatem benevolam, quæ non tantùm ludibrium eſt, ſed & ſententia damnatoria. Velle enim homini incredulo incorrigibiliter bonum ſub conditione, ne ſit incredulus, eſt non tantùm illi illudere, ſed & velle ei oppoſitum malum, quod ſcit illum non poſſe non incurrere ex iſta conditionata propoſitione beneficii, ob impoſſibilitatem, quæ in eo, cujuſcunque generis ſit, conditionem præſtandi, & ob decretum ei conditionis gratiam à ſe ſolo pendentem negandi. Simul & ſemel etiam Deus volet omnes & ſingulos ſalvari, & id non volet. Nec ſufficit excipere, Deum id velle *conditionatè* non *abſolutè*. eo ipſo enim quo id velle cenſetur ſub conditione quam novit nec dari in hominibus corruptis, nec dari poſſe, eo ipſo eorum ſalutem non velle dici debet, ſed nolle. Et ſic evertetur iſta φιλανθρωπία, & convertetur in μισανθρωπίαν, & reddetur Dei Sapientiâ & bonitate omninò indigna, ob rationes datas. Si itaque ponatur in Deo, evertetur neceſſariò & æternitas & veritas decreti Electionis & reprobationis. Nec ullus mortalium æternum Dei odium erga eos quos *nunquam novit*, antequàm quicquam feciſſe cenſerentur boni vel mali, conciliabit cum univerſali illa φιλανθρωπίᾳ & voluntate conditionata omnes & ſingulos ſalvandi, adeóq; nec decretum Reprobationis, quippe per quod Deus abſolutè ab æterno decrevit plurimos in corruptione & damnatione relinquere, vel ſine omnibus vel ſine ſufficientibus ad ſalutem mediis, quæ tamen ſecundùm univerſalem iſtam φιλανθρω-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

πίαν Animadverſoris à Deo omnibus offeruntur. Si excipiat, media iſta prius conſiderari ut oblata à Deo & ut rejecta ab homine, repugnat Apoſtolus, & Eſaui exemplo docet decretum Reprobationis factum ſine intuitione ejuſmodi mali actûs. Et quamvis *momentis temporum ſeparata* ſint, quum fiunt, nullis tamen temporum articulis vel *ſeparari* vel diſtingui dici debent, ut fatetur, dum *decernuntur*, quippè quæ in æternitate decernuntur, quæ caret omnibus temporum differentiis. Et quia quæ decernuntur à Deo, decernuntur *uno & indiviſibili mentis actu*, quî quæſo hoc concipi poteſt, Deum uno & indiviſibili actu omnes velle ſalvari & nolle, multos & amare per φιλανθρωπίαν univerſalem, & odiſſe tamen per reprobationem, nôſſe illo modo, non nôſſe iſtô, velle illis ſalutem priori modo, non poſteriori? Judicet qui ſuæ ſpontis eſt, an iſta uni & indiviſibili actui adſcribi poſſint vel debeant, quin Deum & ridiculum faciant, & in diverſa ſimul trahant, ut nolit uno actu, quod vult altero, & vice versâ. Si ſeriò velit ſalutem omnibus & ſingulis ex φιλανθρωπίᾳ univerſali, ſeriò non vult decretum reprobationis, ſin ſeriò iſtud velit, ſeriò non vult univerſali φιλανθρωπίᾳ omnium ſalutem. Pone etiam ab æterno concipi φιλανθρωπίαν illam univerſalem, ut priorem, reprobationis decretum ut poſterius, in tempore tamen, quando Deus vocat peccatorem, ſi Animadverſorem audimus, Deus reprobum amat iſtâ φιλανθρωπίᾳ, & vult illum ſervari ſub conditione ſaltem, etſi ſecundùm decretum Reprobationis, quod omni vocatione anterius, ut quæ in tempore demùm fit, vult illum & inevitabiliter eſſe incredulum, & ineluctabiliter damnari. Et φιλανθρωπία talis erga reprobum ſuſpenſa à conditione, quam ſcias nec eſſe in reprobo, nec eſſe poſſe, non amor eſt, ſed ludibrium conjunctum cum odio. Velle enim puellam ducere, ut ſimile Animadverſoris uſurpemus, ſub conditione ne ſit deformis vel in re tenui, & ſcire, eam eſſe & deformem maximè & pauperrimam, nec velle utrumque defectum ablatum, quamvis in manu illius ſit, ac ſolius quidem, qui hoc velle ſtatuitur, utrumque auferre, æquè illi illudere eſt, ac velle ſalutem alicui ſub conditione quam ſcias eum nec habere, nec habere poſſe, niſi te dante, & quam nolis ei dare: Eſt enim non velle illi ſalutem, ſed nolle, adeóque velle eum in ſua damnatione & corruptione relinquere. Quis reorum conditionatam ejuſmodi gratiam Principis erga ſe, ſub conditione ne vel reus ſit, vel gibboſus, vel ſtrabus (ſi talis naturâ ſit) non ludibrium potius interpretetur quàm gratiam? Diſſimilitudinis quoad impotentiæ diſtinctionem, confutationem habet Lector in ſuperioribus. Nec ſufficit excipere, *quæ in Deo tempore ſimul ſunt, nec indiviſa modò ſed indiſtincta, illa à nobis concipi debere, ut naturæ momentis* διῃρημένα. nec enim

id in *theſi* negatur, ratione illorum quæ revera Scriptura in Deo concipienda docet, negatur tantùm reſpectu eorum, quæ Scriptura in Deo concipienda non docet,& quæ Deo & inſipientiam affingit,& bonitatem conjunctam cum ludibrio,qualis eſt φιλανθρωπία iſta univerſalis conditionata,ut demonſtratum. Non ſequitur itaque,ſi decretum à nobis concipiatur anterius præviſione; Ergò φιλανθρωπίαν univerſalem concipiendam ante decretum Electionis vel reprobationis,quia Deum & prævidere futura,& prævidere ea, quia decrevit ea vel facere vel permittere, docet Scriptura, φιλανθρωπίαν verò iſtam univerſalem & conditionatam non item, quæ inter *Mileſias fabulas*, vel *Lamias turres* referri debet.

CAPVT XVI.

An voluntas redimendi per Chriſtum omnes & ſingulos peccatores in Deo univerſalis fuerit?

BREVIARIVM Capitis decimi ſexti.

ARgumentum noſtrum. Querela iniqua Animadverſoris. Ejus diſtinctiones. Examen earum. Ignoratio elenchi notata & aberratio à quæſtione. An productio fidei ſit ſpecies applicationis ſalutis. Fidei & productionis ejus mala deſcriptio. Verba Animadverſoris retorta. Τὸ ἐν ἀρχῇ *repetitum. An volitio conditionalis univerſalis impetrationis & applicationis ſalutis Deo adſcribi debeat. Affectata à quæſtione digreſſio. Quis ſit finis impetrationis vel fidei, vel ſalutis. Abſurda aſſertio Animadverſoris revicta. Quid per finem impetrationis à nobis intelligatur.* Τὸ κρινόμενον *nudè repetitum. An finis impetratæ ſalutis ſit actualis ejus communicatio ſub conditione fidei. Suppoſitio falſa notata. An finis impetratæ ſalutis ſub conditione omnibus ſit declaratio amoris Patris, & charitatis Filii. Abſurda notata. An homines poſſint incredulitatem exuere* ſi velint. *An ſalus conditionatè ſit impetrata omnibus. Quî ipſa conditio impetrata dici poſſit. Principii petitio abſterſa. An aliquid ſub conditione non præſtabili impetratum verè impetrari dicatur.* Τὸ ἐν ἀρχῇ *Animadverſori impactum. Abſurda aſſertio notata. An fides aliquibus non conferatur propter eorum incredulitatem. Impetratio ſalutis conditionata revicta. Exceptio & diſtinctio Animadverſoris ſuper* τῷ fruſtrà *excuſſa. Petitio* τοῦ ἐν ἀρχῇ *notata. Diſtinctio de fine abſoluto & conditionato expenſa. An Pater & Filius conſequuti charitatis ſuæ exercitium ex oſtenſione dici debeant in impetratione conditionata ſalutis. Probroſa Deo afficta. An Deus illis intenderit ſalutem qui eâ exciderunt. Petitio alia* τοῦ ἐν ἀρχῇ *notata. Abſurda Deo tributa. An procuratio conditionata redemptionis potuerit fieri ſapienter & miſericorditer. De cauſa novæ Theologiæ excogitatæ.*

I. THeſi XII. tale etiam argumentum à nobis redemptioni univerſali fuit oppoſitum: *Si voluntas redimendi per Chriſtum omnes & ſingulos peccatores, in Deo univerſalis fuit: vel talis fuit quoad* impetrationem ſive acquiſitionem ſalutis, & *quoad ejus* applicationem

nem *ſimul* : *Vel quoad* impetrationem *ſive* acquiſitionem tantùm. *At non prius*, ut ἐξαγώνιον, & notum, nec *poſterius*, *tum quia* impetrationis *vel* acquiſitionis *finis eſt* applicatio; *tum quia nihil apud Deum impetratur vel acquiritur, quod non actu conferatur : tum quia vel eadem ſphæra & latitudo* objectiva *eſt* impetrationis *&* applicationis, *vel non : Si prius, omnibus quibus impetratur, etiam applicatur : Si poſterius, fruſtrà impetratur, quod ſcit & ille qui impetrat, & ille apud quem impetrat, nec applicatum iri, nec applicari poſſe, & cujus applicandi facultatem innumeris largiri noluit is qui ſolus eam largiri poteſt.* Regeſſit quædam obiter Diſſertator, quæ diſcuſſa à nobis accuratè in Exercitationibus. Nec dubito, quin ex collatione dictorum ex utraque parte animadvertat Lector, inconcuſſum ſtare argumentum noſtrum.

II. Quid ad hæc Animadverſor ? 1. *Promittit ſe ad unumquodque dilemma meum breviter & ex arte reſponſurum, ut quid ex eo confici poſſit, omnes nullo negotio intelligant.* Bonum verò factum ſi id præſtiterit ! 2. Concedit, ſi voluntas redimendi per Chriſtum omnes & ſingulos peccatores in Deo univerſalis fuerit, vel talem fuiſſe quoad *impetrationem* ſive *acquiſitionem* ſalutis, & quoad ejus *applicationem* ſimul, vel quoad *impetrationem* ſive *acquiſitionem* tantùm. Quiritatur tantùm, quod hæc *paulò obſcuriora* ſint, explicanda cum tempore in ſequentibus. At nihil clarius utroque dilemmatis membro, quippe in quo & aperta ac ſufficiens partium eſt enumeratio, & ſufficiens earum diſtinctio ac oppoſitio. Et quia à me negatum, voluntatem illam Dei univerſalem fuiſſe quoad *impetrationem* & *applicationem* ſimul, diſtinguendam ſibi cenſuit *applicationem*, & *aliam eſſe* dicit, quæ *conſiſtat in rei impetratæ actuali communicatione*, *aliam*, *quæ conſiſtat in operatione aliqua per quam promiſſiones de re ipſa communicanda ita admoventur ad intellectum, ut eos admittat & amplectatur. Illam applicationem priorem eodem modo ad Dei voluntatem univerſalem referri, quo refertur impetratio ipſa. Vt enim*, inquit, *Deus voluit Chriſtum per mortem ſuam impetrare omnibus ſalutem, modò crederent, ſic Deum voluiſſe ſalutem illam ita impetratam omnibus, actu communicare, modò credant etiam. Poſteriorem verò applicationem ad voluntatem illam univerſalem non referri, ſed ad particularem, quâ Deus voluit fidem creare operatione ſui Spiritus in nonnullis, non verò in omnibus. Itaque prius illud, ſi de applicatione, quæ in donatione fidei conſiſtat, intelligatur, extra controverſiam eſſe & in confeſſo inter nos.* At 1. Diſtinctio iſta nec dilemma meum ferit, nec ſibi conſtat. Dilemma agit diſertè *de applicatione ſalutis*, non de applicatione promiſſionum ad intellectum, hoc eſt, de productione fidei, adeóque per applicationem ſalutis intelligitur tantùm *rei impetratæ actualis communicatio*, an nimirum voluntas Dei per Chriſtum redimendi omnes & ſingulos peccatores fuerit, omnibus actu communicare *ſalutem*

impetratam, vel non. Si prius, omnibus ſalutem actu communicandam: ſi poſterius, fruſtra id impetratum dici, quod ſcit & ille qui impetrat, & ille apud quem impetrat, nec applicatum iri, nec applicari poſſe, & cujus applicandi facultatem Deus innumeris largiri noluit, qui ſolus eam largiri poteſt. 2. Et quî, quando agitur de *ſalutis* applicatione, dicit Animadverſor, *aliam* eſſe, quæ conſiſtat in rei impetrandæ *actuali communicatione*, aliam, quæ conſiſtat in operatione aliqua, per quam promiſſiones ita admoveantur ad intellectum, ut eas admittat? An enim fidei productio eſt ſpecies applicationis ſalutis? *Quid* dilutum magis? Atqui ſe habent comparatè, ut *medium* & *finis, antecedens* & *conſequens?* Et an diſtinguenda eſt applicatio beneficii in ejus communicationem actualem, & in collationem gratiæ officii præſtandi? Nec magis donum fidei eſt applicatio ſalutis, quàm reſtitutio membri luxati ad luctam vel curſum neceſſarii eſt applicatio brabei in lucta vel curſu conſequendi: Membra diſtinctionis etiam debent pertinere ad naturam diſtincti, & non ad id quod eam præcedit. Denuò δόξαν ſuam repetit Animadverſor, fidem nihil aliud eſſe quàm actum intellectus admittentis promiſſiones, & productionem fidei, quàm operationem per quam promiſſiones ita admoventur ad intellectum, ut eas admittat, quæ ſunt novæ Scholæ placita. 3. *Priorem applicationem eodem modo ad Dei voluntatem univerſalem referri, quo impetrationem ipſam, ominosè dicit Animadverſor.* Id enim κατὰ τὸ βίαιον retorquemus: Quemadmodum ubicunque datur applicatio, ibi præcedit impetratio; ſic ubi non datur applicatio, nec impetratio præcedit, adeóque quibus non applicatur ſalus, iis impetrata non fuit, quibus verò impetrata fuit, iis actu applicatur. 4. Deum voluiſſe Chriſtum per mortem ſuam omnibus impetrare ſalutem, modò credant, coccyſmus eſt, & mera repetitio τῆς ἐν ἀρχῇ. Dicet fortè cum tempore, quum è Muſéo ſuo, audire poſſit Doctiſſimum Philoſophum docentem, aliter eſſe diſputandum. Nec melioris commatis eſt quod addit, Deum voluiſſe ſalutem ita impetratam omnibus actu communicare, modò credant etiam. Volitio iſta conditionalis & impetrationis & applicationis ſub conditione fidei hiſtrionia mera eſt tum reſpectu omnium illorum quibus conditio nunquam propoſita, tum reſpectu omnium illorum quibus propoſita quidem, ſed quibus ejus præſtandæ gratia non facta, qui eâ perpetuò & neceſſariò quidem deſtituti manent. Quibus verò impetrata ſalus, ſecundùm ipſum Animadverſorem? Incredulis, & invictè quidem talibus, & qui non magis poſſunt credere ex ſe, quàm naturam ſuam incorrigibilem mutare. Sub qua conditione tamen illis impetrata ſtatuitur? Vt credant, hoc eſt, ut id vel habeant vel faciant, quod nec habere poſſunt nec facere, talibus itaque hoc modo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

vel impetrare velle ſalutem, vel applicare nihil aliud eſt quàm miſeriæ eorum illudere velle, & veteri adjicere novam. Neutiquam itaque Deo affingendum, quod vel hominem impoſtorem argueret.

III. Pergit Animadverſor: Argumentum noſtrum eſt. Si voluntas redimendi omnes & ſingulos peccatores in Deo univerſalis fuit, & talis fuit tantùm quoad impetrationem vel acquiſitionem ſalutis, eam abſurdam fore, quia *impetrationis* vel *acquiſitionis* finis *eſt applicatio.* Quid verò regerit? *Diſtinguere* ſe dicit denuò *de applicatione.* At non diſtinguit diſputator *de re*, ſed *rem. Si applicatio*, inquit, *ſignificat fidei donationem, nego fidei donationem eſſe finem impetrationis* ſalutis. At agitur diſertè de *applicatione* ſalutis, ut patet ex Theſi, aliud verò eſt, *applicatio ſalutis*, aliud *donatio fidei.* Nec donatio fidei ſub applicatione ſalutis continetur, ut membrum diviſionis ſub ſuo diviſio. Fruſtra itaque & parùm candidè hîc digreditur Animadverſor ab argumento. Nequicquam etiam addit, fidei donationem non eſſe finem impetrationis ſalutis. Quis enim tale quid unquam ſomniavit? Margiten eſſe oportet vel ſtrychni potorem, qui hoc aſſerat? Clarum, impetrationem fidei habere pro fine *comparatè*, applicationem vel collationem fidei, impetrationem ſalutis, collationem vel applicationem ſalutis. Non itaque docendi eramus ab hoc Doctore, *Chriſtum nobis ſalutem non impetrâſſe, ut crederemus, fidem verò nobis indulgeri, ut ſalute impetratâ fruamur.* Et quia fides indulgetur nobis, ut medium ad ſalutis fruitionem, ut ad finem, ineptè ipſa ſalutis collatio diſtinguitur in ejus communicationem, & in donationem fidei.

IV. Dubitare verò non debuit Animadverſor, actualem ſalutis communicationem hîc à nobis intelligi, ut finem impetrationis. Quid verò ille? Diſtinguit denuò *finem abſolutum, & conditione affectum. Finem impetratæ ſalutis abſolutum eſſe communicationem ejus actualem, negat, ſed finem abſolutum, impetratæ omnibus ſalutis à Chriſto eſſe*, inquit, *declarationem admirabilis φιλανθρωπίας Patris, & incredibilis charitatis Filii. Finem verò conditionatum impetratæ ſalutis eſſe actualem ejus communicationem. Salutem enim Chriſtum omnibus impetraſſe, ut omnibus pariter actu conferatur, ſi credant. Negari autem, ex eo, quod Deus in redemptione per Chriſtum factâ talem finem conditionatum habuit ante oculos, ſequi, ejus voluntatem de redimendis hominibus non eſſe univerſalem. Contrarium potius ſequi.* Obſervet Lector. 1. Finem impetratæ ſalutis conditionatum, eſſe actualem ejus communicationem, reſpectu omnium ſi credant, eſt ipſum *κεκνόμενον*, centies repetitum, quamvis confutatum, quod ridiculum, reſpectu omnium illorum, quibus haudquaquam revelata vel ſalus acquiſita, vel perſona illius per quem acquiſita, vel modus, vel conditio. 2. Adde, finem impetratæ ſalutis ſtatuere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

ſtatuere actualem ejus communicationem ſub conditione fidei reſpectu incredulorum, qui eam nec habent, nec habere poſſunt, & qui ut incorrigibiliter ex ſe increduli Deo & Chriſto objiciuntur in impetratione vel acquiſitione ſalutis, & quos Deo tales relinquere placet, eſſe Deum ἐπιχαιρέκακον, Lectores cercopithecos fingere, & fungos. An verbi gratiâ Mephiboſeto regiam dignitatem polliceri, ſub conditione ne ſit claudus, benevolentiæ documentum fuiſſet, an inſultationis vel ludibrii? Dicere itaque, talem finem conditionatum Deum in Redemptione habuiſſe ante oculos, indignum eſt eâ Dei perfectione, quâ Deus Deus eſt & ex eo fingere Jovem μυκτηρίζοντα, & naſo ſuſpendentem miſeros mortales. Si etiam finem ejuſmodi habuiſſet, quod falſum, haudquaquam habuiſſet voluntatem univerſalem de ſalute omnium, ſed meram noluntatem tantùm. 3. Finem abſolutum impetratæ omnibus ſalutis in Chriſto (quod ſupponitur, denuò non probatur) ſub ejuſmodi conditione, eſſe *declarationem vel admirabilis φιλανθρωπίας Patris, vel incredibilis & inenarrabilis charitatis Filii*, *ſplendidè* denuò ſupponitur. Non Entis verò nullus finis eſt. Adde, nihil magis ad Dei contumeliam facere quàm tale quid ipſi affingere & adhuc cum ἐπιτάσει *admirabilem* vocare φιλανθρωπίαν & *incredibilem ac inenarrabilem charitatem*, voluntatem ridiculam redimendi cæcos ſub conditione ne ſint cæci, mortuos, ne ſint tales, incredulos incorrigibiliter, ne ſint ita increduli, qui tamen non poſſunt non eſſe quod ſunt, & quos novit Deus per Chriſtum redimens, & ipſe redimens Chriſtus tales futuros in æternum, nec aliter ſine nova gratia eſſe poſſe. Si Animadverſor in incurabilem aliquem morbum (quem ab ipſo prohibeſſit Deus) incideret, & Medicus ipſi polliceretur plenam curationem, ſub conditione, ut partem morbi æquè incurabilem vel non haberet, vel curaret ipſe, quam tamen non magis curare poſſet, quàm totum morbum, annon Medicum iſtum juberet ſibi res ſuas habere & agyrtam ac ludionem cenſeret, & dignum in quem vivum mortui incurrerent boves? Incredulitatem verò partem morbi eſſe, quo laborent homines, & graviſſimam quidem ac incurabilem, ex nobis ipſis, nemo negare poteſt. Nec excipi poteſt, homines poſſe exuere incredulitatem iſtam *ſi velint*, præterquam enim quod hoc ipſum vel periculosè dicitur, vel ἀκυρολόγως ſaltem, ſatis eſt eos hoc non poſſe velle, & impotentiam illam moralem quoad certitudinem eventûs æquè invictam eſſe ac impotentiam naturalem, ut ipſe fateri cogitur. Hinc patet quî *primam rationem* noſtram evertat Animadverſor.

V. Ad *ſecundam rationem* accingit ſe in ſequentibus, ſed eodem ſucceſſu: *Secundam rationem meam eſſe*, inquit, *quia nihil apud Deum impetratur, vel acquiri-*

quiritur, quod non actu conferatur. Meritò verò id à me aſſertum. *Excipit, nihil impetrari abſolutè, quod non actu conferatur. At ſalutem non eſſe omnibus abſolutè impetratam: Nihil verò impetrari conditionatè à Deo, quod non actu conferatur, negari, & eſſe meram principii petitionem.* Fruſtrà verò denuò iſta: Nam 1. Niſi *abſolutè* impetretur ſalus, non impetratur. impetrare enim eam alicui ſub conditione, quam præſtare non poſſit, non tantùm per *defectum facultatum*, ſed & per *defectum vitii* in facultate, modò illud ſit ipſi incorrigibile, eſt eam non impetrare. Illi enim omnes quibus impetrari ſtatuitur ſalus, ſemper debent ſupponi hîc (quod negare nequit Animadverſor) *ut conditione illâ defecti & deſtituti*, & incorrigibiliter quidem. 2. Falſum, ſalutem conditionatè *omnibus impetratam*, & hoc ipſum eſt merum κελνόμϐυον, quod denuò nobis recoquit Animadverſor, & pro reſponſione obtrudit, quamvis confeſſum & confutatum ſoricinâ magis næniâ in Exercitationibus paſſim. Adde, abſurdè dici, aliquid impetrari à Deo *conditionatè*, quod non actu conferat, ſi conditio ſit inter ipſas res impetrandas, & è præcipuis quidem. Quæ enim tantùm impetrantur ſub conditione, quam impetrans novit nec præſupponi in ſubjecto, nec ab eo præſtari poſſe, ea non impetrantur, vel per ludibrium tantùm impetrata dicuntur. Et de impetratione ipſius conditionis quæſtio redit, ſub qua conditione illa impetrata ſit, an *abſolutè* an *conditionatè*. Nec ulla Animadverſoris ſe hinc unquam expediet ſubtilitas. 3. *Principii petitionem* melius aliquando efferre diſcet à Doctiſſimo quem audire poteſt Philoſopho. Eam verò mihi hîc impingere non poteſt, qui non doceo, impetrari ſalutem *conditionatè* à Deo, ſed *abſolutè*, etſi per conditionem obtinendam, ſed quam Deus dat *abſolutè* quibus vult, negat quibus vult. Impetrata verò illa æquè eſt ac ipſa ſalus. 4. Judicabit etiam Lector, an hoc ſit, ſupponere quod vel dubium vel controverſum eſſe debet, nihil à Deo impetrari quod non actu conferatur. An enim oppoſitum non reddit impetrationem ridiculam? Pone reo veniam impetratam à Principe, & tamen illum in furcam agi. An ſeriò illa impetrata gratia dici poterit? Nec limitatio quam addit Animadverſor, quicquam ὑγιὲς habet, de eo ſermonem eſſe, quod impetratur *conditionatè* à Deo, ſatis, id fieri dicatur, ſub conditione quam ſcias nec eſſe, nec eſſe poſſe in ſubjecto. ſic enim aliquid impetrare ſubjecto, eſt ei nihil impetrare. An dici poterit ſine μυκτηρισμῷ aperto *conditionatè* impetrari à Titio, beneficium Sempronio, ſi diſcat volare, vel ſi teſtudo perambulet orbem. Eadem enim, quod ſolum ſpectamus, futuritionis rei impoſſibilitas eſt, quamvis non ejuſdem generis. Nihil *conditionatè* impetrari ſapienter dici poteſt, niſi quod impetratur ſub conditione, à qua & impetrans & ille à quo impe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

ſtratur, norunt, nullâ impotentia, quæcunque illa ſit, ſubjectum arceri. Aliàs aliquid impetrare *ſub conditione*, & non impetrare æquipollent. 5. *Theſis* Animadverſoris habet verè τὸ ἐν ἀρχῇ, ſalutem fuiſſe omnibus impetratam ſub conditione fidei, *quam tamen paucis actu conferat ob incredulitatem aliorum.* Id verò falſiſſimum eſſe à nobis retrò demonſtratum in Exercitationibus, adeóque vel rationes noſtræ omnes confutandæ erant, vel non reponendum dogma, quod ut aurum ciniflonum tandem in fumum abit & vaporem. Sed *occidit miſeros crambe repetita Magiſtros.* Quid abſurdius verò, quàm dicere, *fidem paucis actu conferri ob aliorum incredulitatem*? An enim fides ulli confertur ob ipſius fidem? Et annon opus fidem conferri alicui, ut deſinat eſſe incredulus? Et ſi fides alicui non confertur, quia incredulus eſt, nemini confertur, vel conferri poteſt, omnes enim naturâ ſumus increduli. Etſi ergo fides non conferatur alicui ob ejus incredulitatem, ut cauſam; incredulitas tamen non obſtat, quominus conferatur. Imò neceſſariò confertur, ut deſinat incredulitas.

VI. Addit: *Tertiam rationem dilemmaticam eſſe, tum quia ſecundùm me, vel eadem ſphæra & latitudo objectiva eſt impetrationis & applicationis, vel non: ſi prius, omnibus quibus impetratur, etiam applicatur: ſi poſterius, fruſtra impetratur quod ſcit & is qui impetrat, & ille apud quem impetrat, nec applicatum iri, nec applicari poſſe, & cujus applicandi facultatem innumeris largiri noluit is, qui ſolus eam largiri poteſt.* Quid excipit Animadverſor? *Diſtinguo*, inquit. *nam ſi applicatio eſt actualis communicatio ſalutis, eadem ſphæra eſt & latitudo objectiva impetrationis & applicationis, ſi eo modo conſiderentur, quo applicatio ex impetratione pendet. Vt igitur impetrata eſt omnibus ſi credant, ſic etiam omnibus actu conferretur, ſi crederent. At quia non impetrata eſt omnibus niſi credant, non applicabitur omnibus, niſi credant pariter.* Nihil verò hic præter *nebulas in pariete.* nam 1. vel novit, vel noſſe debuit, *applicationem* nobis eſſe *actualem communicationem ſalutis,* eandem verò ipſius latitudinem eſſe debere, quæ eſt impetrationis, oſtenſum ipſo Dilemmate. 2. Impetratam eſſe ſalutem omnibus *ſi credant*, falſum. Sic enim idem foret, eam incorrigibiliter incredulis impetratam eſſe, & non impetratam. Impetrata verò eſt illis, quibus impetratum eſt ut *credant*, & ut per fidem ſalventur. Nec quicquam Chriſto magis indignum, quàm vel in incertum eventum impetrare aliquid, ſi hoc vel illud ſequatur, vel in eventum non attingibilem iis, quibus aliquid impetrâſſe cenſetur, ob ἀδυναμίαν præſtandi conditionem, quam novit eſſe in ſubjecto, quæcunque illa ſit, ſatis, ſit ἀδυναμία, adeóque quum ſciverit Chriſtus redimens innumeros nec credituros, nec poſſe credere, nec ſe velle illis dare ut crederent, nonniſi abſurdiſſimè illis im-

petraſſet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

petraſſet ſalutem, ſub conditione *ſi crederent*. Nexus cæteroquin datur inter fidem & actualem collationem ſalutis. Falſum verò, Deum voluntatem habere actu omnibus ſalutem conferendi ſi credant, magis quàm actu omnes Iſraëlitas ſervandi ſub conditione, ſi omne id quod præceptum in Lege faciant, quippe qui ſcivit illos id nec facturos, nec facere poſſe. Et impetratio itaque & applicatio conditionalis ſub conditione ſi credant reprobi, mera ſunt ludibria hominum Euangelii doctrinam & Chriſti meritum proſtituentium, & in hiſtrioniam ac ſcenam convertentium.

VII. Subjicit: *Se diſtinguere illud fruſtra. Aliud enim* fruſtrà *dici quod fit temerè, non ſapienter, non miſericorditer; Aliud fruſtrà fieri dici, quod caret ſucceſſu, cujuſcunque rei vitio id accidat. Priori modo ſe negare, fruſtra impetratam eſſe ſalutem omnibus, quam & ille qui impetrat, & ille apud quem impetrat, ſcit nec applicatum iri, nec applicari poſſe. Negotium enim iſtud de redimendis omnibus ſub conditione fidei ſuſceptum eſſe & ſapienter & miſericorditer cum à Patre, tum à Filio. Poſteriore modo diſtinguendum eſſe ſucceſſum. Alium enim eſſe ſucceſſum qui reſpondet fini abſoluto, alium verò qui reſpondet fini conditionato. De illo ſucceſſu ſe negare, dici poſſe ejus reſpectu ſalutem impetratam fuiſſe fruſtra. Id enim ex eo cum Pater, tum Filius conſecuti ſunt, ut memorabilem ſuam charitatem ac* φιλανθρωπίαν *exercerent & oſtenderent, quo nihil poteſt eſſe glorioſius. De hoc ſucceſſu ſe concedere, negotium illud factum eſſe fruſtra reſpectu multorum qui vitio ſuo ſalute exciderunt. At negare ſe, ex eo ſequi, abſurdum eſſe, ut Deus talem voluntatem habuerit.* Notet verò Lector, 1. Merito à me objectum, ſic dici *fruſtra* impetratam ſalutem. Diſtinguit Animadverſor *τὸ fruſtrà*, ſed fruſtrà. Revera enim & hoc ſtatuitur *fruſtra*, quod caret ſucceſſu, & neceſſariò quidem & inevitabiliter. Quis verò mortalium diceretur ſeriò impetrare alicui beneficium, quod ſciret non tantùm ſucceſſu omni cariturum, ſed & non poſſe non eo carere? Adde tale quid ſtatui non poſſe, quia dicatur fieri *temerè*, adeóque nec *ſapienter* nec *miſericorditer*. 2. Fruſtrà verò id ipſum negat, ſed quâ ratione? *Negotium enim iſtud*, inquit, *de redimendis omnibus ſub conditione fidei ſuſceptum eſt & ſapienter & miſericorditer cum à Patre tum à Filio.* Quod eſt ipſum *κρινόμενον*, & egregia ratio probandi negatum. Negatur à nobis convenire vel ſapientiæ vel bonitati Dei inanem ejuſmodi impetrationem, quæ ſucceſſu omni non poteſt non carere. Reſpondet Animadverſor noſter, id ſuſceptum eſſe & *ſapienter* & *miſericorditer*. At hoc ipſum negatum fuit, & probandum erat, non repetendum. An projecta iſta diſputandi ratio non meretur *τὸ σκιμαλίσαι* & *καταδακτυλίσαι*? Quis non *ſplenem agitet, atque in riſum ſolvatur?* 3. Diſtinguit miro modo ſucceſſum qui reſpondeat *fini abſoluto*, & alium,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

qui reſpondeat *fini conditionato. Illius reſpectu ſalutem non fuiſſe impetratam fruſtra.* Revera opus, opinionem admodum intricatam eſſe, qua tot miris diſtinctionibus opus habeat ut extricetur. Et ubi Scriptura docet, Deum in iſta impetratione habuiſſe, finem *abſolutum* unum, *conditionatum* alterum, & hunc quidem, quem novit, ſine ullo ſucceſſu à ſe intendi & quidem diu poſt decretum præteritionis innumerorum, ex ſententia Animadverſoris. Quis verò eſt *ſucceſſus ille reſpondens,* ut loquitur, fini abſoluto? *Id,* inquit, *cum Patre Filius conſequuti ſunt, ut inenarrabilem ſuam charitatem ac φιλανθρωπίαν exercerent, & oſtenderent, quo nihil poteſt eſſe glorioſius.* Eſtne verò hoc ludere, an diſputare? An Deus opus habet, ut aliquid *conſequatur* ex noſtra redemptione? An ſibi aliquid acquiſitum voluit, an nobis? An inenarrabilis eſt iſta charitatis ac φιλανθρωπίας demonſtratio, quâ nihil poteſt eſſe glorioſius, incredulis & neceſſariò quidem & incorrigibiliter talibus, & quos ſcias eſſe tales, impetrare ſalutem, ſub conditione ne ſint increduli, quod non poſſunt non eſſe? An talia glorioſa Deo ſint, vel dehoneſtamenta potius mera, judicabit Lector. 4. Concedit, id *fruſtrà* factum reſpectu multorum *qui vitio ſuo ſalute exciderunt.* An verò Deus illis ſalutem intendit, vel non? Si intendit, ipſe etiam excidit fine ſuo, non tantùm homo. Si eam non intendit, cadit univerſalis redemptio. Dicere, Deum eam *conditionatè* intendiſſe, eſt dicere, Deum eam non intendiſſe ſeriò, ut qui novit impotentiam hominis moralem perpetuam ad præſtandam conditionem.

VIII. Addit: *Se negare, ex eo ſequi, abſurdum eſſe, ut Deus talem voluntatem univerſalem habuerit. Nam quæ fiunt ſapienter atque miſericorditer, ita ut præſtantes Dei virtutes in eo exerceantur & eluceſcant, ſatis cauſæ habent cur ſuſcipiantur à Deo Sapienti ac miſericordi, tametſi homines culpâ ſuâ nullam ex eo utilitatem percipiant.* Verè dictum, nihil eſſe ἀπεραντολογώτερον homine iniquo. Quid hîc denuò nobis reponitur niſi ipſum illud quod eſt ἐν ἀρχῇ, præterquam quod abſurdum cumulatur abſurdo. Vt enim abſurdum eſt, Deum talem voluntatem habere, qualem nemo homini non ſtolido vel non malo planè affingeret, ſic abſurdum eſt, dicere, hæc fieri *ſapienter ac miſericorditer* reſpectu Dei, quæ ne mediocris quidem ſapientiæ & bonitatis homini ſine contumelia tribui poſſent. *Præſtantes* itaque *virtutes Dei in eo exerceri & eluceſcere* mera illuſio eſt. Imò hoc eſt præſtantes Dei virtutes proſtituere cavillis omnium, & Tantaleas dapes à Deo miſeris mortalibus objectas fingere, quæ labris eorum admoveantur in pœnam tantùm & cruciatum. An etiam Deus ſibi aliquid quæſivit in procuratione redemptionis & non potius hominibus? Qui itaque nullam utilitatem ex ea capiunt, vel capere poſſunt, quorum bono tamen deſtinata

ſuppo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

ſupponitur, eorum reſpectu reverâ fruſtra inſtituta fuit, adeóque nec *ſapienter*, nec *miſericorditer*, quum præſertim miſericordia relationem dicat ad homines miſeros, & ſi ſeria ſit, ſeriò illis bonum velit, & omne impedimentum ablatum, quod obſtare poſſit, quominus eo potiantur. Quot quæſo opus hîc foret exclamationibus! Sed nolo imitari Animadverſoris ſchemata nec induere cothurnos Scenæ opportunos, non materiæ gravi & ſanctæ. Diſtinctiones iſtæ, quas adfert, non novæ tantùm ſunt, ferri enim poſſent, ſi ſolidæ forent; ſed putidæ ſunt, & mera ἀράχνια, quæ perrumpi non debent, difflari debent, nec quicquam ſunt niſi πομφόλυγες & bullæ, flatu vel tubo excitatæ. De cauſa cæteroquin novæ Theologiæ excogitatæ & tanto ardore propugnatæ, & res ipſa & tota Gallia loquitur, & ventoſa iſta ſcriptio, in qua Author orationem ſibi paſſim deſtinat, ſi non triumphum unus ſanè certuſque noſtrorum & laborum & cordium etiam judex Dominus eſt, judicabit ille facilè, quis ambitioni ſuæ inter nos velificetur, egone qui tritam & communem Eccleſiis noſtris doctrinam defendo, an ille qui reverâ à trito calle declinat, & veterem Theologiam, ut ſcabram nimis & impexam, novò pumice defricare ſatagit, ſed illaudato & illaudabili conatu.

CAPUT XVII.

An ex non expiatione peccati incredulitatis & impœnitentiæ, erroris convinci poſſit doctrina de Gratiâ univerſali?

BREVIARIUM Capitis decimi ſeptimi.

ARgumentum noſtrum truncatum ab Animadverſore. Orthodoxi Theologi ab eo perſtricti. An argumentum iſtud ridiculum ſit, an verò ſententia ei oppoſita. Abſurda Animadverſori impacta. An ſanguis Chriſti abluat ab omni peccato, ex ejus ſententia. An incredulis nullius peccati remiſſio applicetur. Ἄτοπα varia. Quî incredibilis, & inenarrabilis detur charitas in redemptione univerſali conditionata. An incredulitas non ſit inter peccata expiata à Chriſto. Conditionatæ expiationis incredulitatis abſurditas. Simile Animadverſoris confutatum. Conditionalis gratiæ abſurda. Particularitatis gratiæ demonſtratio. Pugna nobis objecta confutata & retorta. An argumentum de incredulitatis expiatione ineptum dici debeat. Simile aliud Animadverſoris excuſſum & confutatum. An bene neget Animadverſor incredulitatem eſſe inter peccata expiata à Chriſto. An reproborum peccata omnia ſint expiata conditionatè, & ſub qua conditione incredulitas eorum expiata ſit. Quî irreſipiſcentia talium expiata ſit. Sub qua conditione infantium non fœderatorum peccata expiata ſint. Argumentum noſtrum truncatum. Integrum quale ſit. Dicteriolum abſterſum. Digreſſio Animadverſoris. In quo mortis naturalis & moralis comparatio à nobis adhibeatur. An & quî Chriſtus fidem impetrârit non electis, an abſolutè, an ſub conditione. Andreæ Riveti *verba vin-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

dicata. Quo fine doctrina fidei proponatur non electis. Quî puniantur non electi ob neglectum verbi. An lux Euangelica nemini impetretur ſub conditione, ſecundum Animadverſorem. An ſint duo genera hominum à Chriſto redemptorum, electi & non electi. Deum electos ſalvari noluiſſe, probatum ex ipſo Animadverſore. Cauſa cur omnes teneantur credere. Dogma Animadverſoris de æqualitate mortis Chriſti & ordine decretorum everſum.

I. ARgumentum Theſi meæ XIII. propoſitum, truncare viſum Animadverſori, ut ſic proclivior ad evadendum ipſi daretur via. Poſteriorem itaque duntaxat partem aggreditur, ubi dixeram, vel Chriſtum pro omnibus omnino omnium & ſingulorum peccatorum peccatis expiandis mortuum eſſe, vel non: ſi poſterius, cadere univerſalitatem redemptionis; ſi prius, pro rejectione etiam redemptionis, & pro infidelitate, malitiâ, & aliis id genus peccatis expiandis eum mortuum eſſe, quæ intercedunt, quominus homo ſibi applicet gratiam redemptionis, adeóque ea non obſtitura, quominus redemptio applicetur. Nihil ſanè hoc argumento firmius eſſe vel ex ſolis Animadverſoris exceptionibus patet. Si enim redemptio univerſalis eſt, debet etiam, ut loquitur, involvere expiationem impœnitentiæ & incredulitatis ſive initialis ſive continuatæ ad tempus & perſeveraturæ ex ſe, impediendo quo minus ſit perſeverans ad finem uſque.

II. Quid ad iſta Animadverſor? Id jam ſupra à *ſe refutatum eſſe*, inquit: Notat verò pag.70. & 71. in margine ubi me diſputantem introducit: *Remiſſionem peccatorum* (omnibus nimirum hominibus à Chriſto partam, ex ſententia Animadverſoris) *intelligi vel univerſalem, vel particularem: Si univerſalem, intelligi etiam remiſſionem incredulitatis & quidem perſeverantis quoque, ipſam enim etiam peccatum eſſe, & graviſſimum quidem; Si itaque omnibus & ſingulis deſtinetur applicatio illa redemptionis, & Deus illam applicare velit, non obſtiturum defectum conditionis, quominus applicetur, quia defectus ille conditionis inter peccata eſt, quorum remiſſio applicatur.* Quid verò opponit nobis Animadverſor ibidem? 1. Dicit, *me non ſolum ita argumentari, ſed & alios multos.* Eò melius mihi conſultum, quod non nova ſed trita veſtigia Doctorum Orthodoxorum lego, & aureis eorum armis pugno. 2. *Ridiculum argumentum vocat*, quod ſolidiſſimum magnis Theologis, & meritò quidem videtur, homo præ Maximis, quos ridiculos facit Viris verè γελασιμώτατος. 3. *Eos*, inquit, *qui gratiam univerſalem ſtatuunt, eam conditionatam ſtatuere, hoc eſt, ex alicujus conditionis præſtatione ſuſpenſam.* At non quæritur, quid tales ſtatuant, ſed quid ſtatuere debeant. Poſitio verò illa verè *ridicula* eſt, ſuſpendere gratiam univerſalem à conditione fidei, etſi illis deſtinatam, quos deſtinans novit eſſe pertinaciter incredulos, & invictâ

quidem

quidem in incredulitate pertinaciâ laborare, nec aliter ſe habere poſſe. 4. Fruſtrà abſurditatem à ſe amoliri conatur, ſubjiciendo, *ut gratia illa conditionalis applicetur actu, & evadat abſoluta, neceſſe eſſe ut conditio fidei præſtetur, alioqui non applicari, & quum per fidem abſoluta fiat, per fidei detrectationem pertinacem & perſeverantem evadere nullam.* Semper enim ſupponitur iſta gratia univerſalis conditionalis, non probatur. Adde, ſic ſemper manere abſurdum à nobis nexum, Chriſtum non redemiſſe homines ab omnibus peccatis, quia non redemit eos à peccato non præſtationis conditionis. Si enim redemiſſet ab omnibus, etiam ab hoc redemiſſet, nec id obſtaret, quominus applicaretur redemptio. Dicere itaque non applicari redemptionem, quia obſtat hoc peccatum, eſt admittere id ipſum, quod ipſi impegi, abſurdum, Chriſtum non redemiſſe homines ab omni peccato. Et expungenda erunt Scripturæ verba, *ſanguinem Filii Dei nos abluere ab omni peccato*, 1 Joh. 1, 7. vel negandum erit, incredulitatem eſſe peccatum. Nec hîc dici debet, redemptionem ob iſtius conditionis defectum non applicari, quum pro ipſo conditionis defectu æquè præſtita ſit, ac pro peccatis aliis, quippe quæ pro omnibus peccatis præſtita dicitur. Et ſanè, ſi redemptio à Chriſto parta extendatur ad hoc peccatum, prout neceſſariò extendi debet, obſtabit, ne fidei detrectatio ſit pertinax & perſeverans. Adde, applicationem redemptionis homini incredulo incorrigibiliter à Deo deſtinari ſine voluntate dandi illi conditionem fidei, eſſe illi eam non deſtinari. Et redemptio Chriſti abit in δῶρον ἄδωρον ſine iſto beneficio, quod inter præcipua, & ſine quo omnia alia inutilia, & nihil niſi ſemper fugituræ dapes.

II. Addit: *Ad incredulos quod ſpectat, neque illis applicatur remiſſio incredulitatis perſeverantis, neque cujuſquam aliûs peccati. Quum enim applicatio illius gratiæ nulla fiat, niſi credant, non credant autem qui in incredulitate perſeverant, utique abſurdum eſt, velle ullam gratiam illis applicari.* At 1. Vel ſanguis Chriſti abluit redemptos ab omnibus peccatis, vel non. ſi prius, abluit eos etiam à peccato incredulitatis; ſi poſterius, falſum pronuntiavit Johannes. Hoc verò procul ἀπ' ὄναιος ἔλθοι! 2. Incredulis nullius prorſus peccati remiſſionem applicari, eſt id ipſum quod abſurditatem Novæ Methodi proſcribit & proſtituit. Quum enim & redemptio & remiſſio deſtinentur incredulis naturâ, & incorrigibiliter quidem talibus, dicere, redemptionem & remiſſionem non applicari talibus qui ſunt increduli, eſt dicere, illam nemini applicari. omnes enim natura ſunt increduli. Imò ſi homines non fuiſſent increduli naturâ, nec corrupti natura fuiſſent, adeóque Chriſto opus non habuiſſent, nec redemptione. Nec ſine inſultatione & exprobratione miſeriæ beneficia illa iſtis deſtinari dicuntur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

tur, modò ne ſint, quod non poſſunt non eſſe. Annon verò beneficium deſtinare ſubjecto, ſub conditione ne ſit quod eſt, eſt Æthiopi deſtinare legatum vel hæreditatem ſub conditione ne ſit niger? Vel itaque Deus mittendo Chriſtum pro reprobis nihil aliud voluit, quàm illudere illorum miſeriæ, vel non potuit applicationem redemptionis per Chriſtum iis deſtinare ſub conditione, ſi credant, quum unum & è potiſſimis quidem eorum malis,& unum è maximis eorum defectibus noverit eſſe impotentiam iſtam credendi, cujuſcunque generis illa dicatur. Et quia *abſurdum eſt*, ut fatetur, *Deum velle ullam gratiam illis applicari*, non minus abſurdum eſt, Deum tales velle ſalvari: Haudquaquam etiam opus erit diſputare de remiſſione incredulitatis perſeverantis, impediet enim redemptio ne ſit perſeverans. 3. De incredulitate quæ datur in Electis, nulla nobis quæſtio, ſed de ea quæ reperitur in Reprobis, quæ nunquam emendatur. Sin verò Chriſtus pro omnibus peccatis ſatisfeciſſet omnium hominum,pro initiali etiam & inchoata talium incredulitate ſatisfeciſſet; quod ipſum obſtitiſſet, ne fieret perſeverans. Sin reproborum incredulitas nunquam expiatur vel condonatur à Chriſto, nec aliâ ratione vel expiari vel condonari poteſt,idem eſt reprobis ſub conditione fidei proponere Chriſtum, & ejus beneficia gratiam & gloriam ſub conditione ne ſint increduli, ac iſta illis non proponere. Inde duntaxat ludibrium accedit eorum miſeriæ, ſolatium nullum; Hujus charitatis Chriſti erga tales declarationem non immeritò ſanè vocat Animadverſor certo ſenſu *& incredibilem ac inenarrabilem*. Reverâ *incredibilis* illa eſt & *inenarrabilis*, & non niſi ab illis fingi poteſt vel deprædicari, qui alios mortales cenſent caudices, vel ſtipites. Mirum ſanè, quod de Auguribus olim Romæ dictum, harum abſurditatum Doctores ſibi mutuò ſine riſu occurrere poſſe. 4. Scire etiam vellem, quo pretio ſatisfactum fuerit pro incredulitate antecedente, verbi gratiâ latronis, Pauli & aliorum converſorum. Quum enim & peccatum fuerit, & graviſſimum quidem, vel imputabitur talibus in æternum, vel pro eo ſatisfactum eſt, & id expiatum eſt; ſi ſanguine Chriſti, falſum, incredulitatem non eſſe inter peccata ſanguine Chriſti expiata. Si alio pretio, oſtendat nobis Animadverſor, quodnam illud ſit. Si *excipiat*, eam etiam expiatam eſſe, quia tales tandem credidêre, abſurdum ſaltem non erit, dicere, incredulitatem eſſe inter peccata à Chriſto expiata,& eo ipſo, quia crediturorum tantùm incredulitas expiata, ergo incredulorum incredulitas non expiata, adeóque non omnia omnium peccata abluta ſanguine Chriſti, nec *abſolutè*, ut notum, nec *conditionatè*; tum quia ablutio illa proponitur, ut abſoluta à Johanne, tum quia dici non poteſt, ſub qua conditione talibus fides impetrata ſit,
tum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

tum quia conditionalem iſtam expiationem incredulitatis fingere, quoad
incredulos perſeveranter, qui naturâ ſunt increduli, & quidem tales im-
potentiâ morali invictâ, ſub conditione ut credant, eſt ὀνειροπολεῖν, non
diſputare ſeriò. Adde, quia Deus ſolorum credentium peccata expiata
voluit, conſtituiſſe eum, ut ſolorum Electorum peccata expiarentur,
quippe quos ſolos ut credentes novit, vel credituros. 5. Adde, ſuſpen-
ſionem expiationis iſtius incredulitatis à fide ſtatuere reſpectu illorum,
quibus nec de fide, nec de expiatione illa Deus quicquam unquam reve-
lare voluit, eſſe habere νοῦν παρεξηυλημένον, & talem affingere Lectoribus
ſuis. Simile quod adfert Animadverſor de Sempronio legante Titio cen-
tum aureos eâ lege, ſi in Capitolium adſcendat, inane eſt. Haudquaquam
enim quicquam dicimus, ex quo ſequatur, ſive Titius in Capitolium ad-
ſcendat, ſive non, ei centum aureos ex legato donandos. Nec etiam fides
hîc poteſt comparari cum conditione aſcenſus in Capitolium ad legatum
illud obtinendum. Quia aſcenſus Titio poſſibilis eſt, vel eſſe ſupponitur
à Sempronio, & quia facultas aſcendendi in Capitolium & voluntas non
facit partem legati Titio promiſſi à Sempronio. At hîc fides ſupponitur
impoſſibilis illis, quibus Redemtor deſtinatus dicitur. ſunt enim naturâ
corrupti & invictè quidem, adeóque & invictè increduli. Adde, fidem
partem eſſe beneficii à Redemptore deſtinati. An verò Sempronius non
ludibrium omnibus deberet, vel annon nollet beneficium datum Titio,
ſi illi legaret centum aureos, ſub conditione ut pedibus ſuis aſcenderet
in Capitolium, & ſciret vel Titium truncum pedibus eſſe, vel habere pe-
des ſtupeos aut laneos, aut ſideratos ex paralyſi, quos ne loco quidem
movere poſſet. Enimverò legatum à Sempronio ſub iſtâ conditione Ti-
tio pedibus valenti relinqui potuit, vel promitti, à Deo verò ſub condi-
tione fidei legatum ſalutis nulli mortalium fieri potuit, quum Deus ſciret
omnes eſſe naturâ incredulos, & non magis illam incredulitatem exuere
poſſe, quàm mortuus poteſt ſe proripere ex ſandapila, niſi ſimul conſti-
tuerit incredulitatem illam in eo curare. Legatum itaque vel beneficium
relinquere ſub conditione non præſtabili, *morali* ſaltem *impotentiâ*, illis
qui eâ laborant & incorrigibiliter quidem, eſt id eis non relinquere. Nec
receptum hîc quæret Animadverſor in ſacra anchora ſua, confundi im-
potentiam *moralem* cum *naturali.* ſufficit enim, ipſummet fateri, *eventum
utrobique æquè certum eſſe, & reſpectu futuritionis æquè neceſſarium, non electum
non credere; & mortuum ſe non ſuſcitare, eſſe ex æquo* ἐκ τῶν ἐνδεχομένων. Con-
ditionalis itaque gratia univerſalis, & quidem ſub tali conditione oblata,
non ſine ſumma abſurditate ſtatui poteſt, quum detrectatio conditionis,
ex qua pendere dicitur, & inſeparabilis ſit per naturam ab eo cui offertur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

& unam ex præcipuis partibus miſeriæ iſtius conſtituat, cui curandæ iſta gratia proponi dicitur. Imò eo ipſo, quia ex conditione iſta pendet, nec univerſalis eſt, nec univerſalis eſſe poteſt, quia conditio in pleriſque nec datur, nec dari poteſt. Suſpenſio itaque ipſa gratiæ à tali conditione, ejus particularitatem arguit, & voluntatem in ſuſpendente eam particularem tantùm relinquendi. Pugnant ſanè, *pendere ex conditione fidei, & tamen eſſe gratiam iſtam citra conditionis iſtius præſtationem.* Illa verò haudquaquam à nobis conjunguntur, ſed iſta, Deum ſuſpendere ſalutem ex conditione fidei, & fidei gratiam illis largiri, quibus ſalutem vult. Aequè verò etiam pugnant, ſuſpendere gratiam iſtam ex conditione fidei, quam ſcias pleroſque nec habere, nec habere poſſe, & quam illis dare nolis, etſi facillimè poſſis, & tamen dicere, illum, qui ita agit, ſeriò talibus ſalutem per iſtam gratiam velle. Recurrit etiam ſemper abſurdum illud, ſub conditione fidei gratiam proponi non tantùm iis, qui ad ejus in verbo exactæ præſtationem potentiam moralem non habent, ſed & iis, quibus nihil nec de fide, nec de ejus objecto Chriſto unquam innotuit, vel per ætatem etiam innoteſcere potuit.

III. Ex his patet, quî Animadverſor confutârit hoc argumentum, & quo jure pro ſolita ſua modeſtia, eo *nihil ineptius eſſe* dicat, quod tamen apertè evincit vel Chriſtum non pro omnibus peccatis eorum ſatisfeciſſe, pro quibus ſatisfecit, quod ἀντίγραφον & ἀθεόλογον, nec redemptos in eo habere omnium peccatorum remiſſionem, vel peccatum etiam incredulitatis hoc ambitu contineri, vel id peccatum non eſſe, vel novam Methodum abſurdiſſimam eſſe quod veriſſimum. Si etiam argumento iſto *nihil ineptius*, cur hoc tribus locis diſtinctis, & ita operosè quidem aggreditur? Id enim quod revera tale, tantam curam non meretur. Et nimis diligens eſt Animadverſor in re levi. Et qui confuſionem nobis objicit & repetitiones, eò nos adigit, eadem ſæpius regerendo. Et vel hîc novi quid affert, ad hoc argumentum, vel non. ſi adfert, oſtendat id Lectori; ſi non adfert, cur eandem mazam tam ſæpè retrò piſtam repinſit? De iis quæ infrà ſe propoſiturum pollicetur, agetur ſuo loco. Quæ verò ſunt illa quæ nobis hic oggerit? *Si qui docent*, inquit, *gratiam univerſalem, eam abſolutam facerent, & à nulla conditione pendentem, fortean eſſet in ea ratiocinatione ſi minus vis, ſaltem ſpecies aliqua, quæ mentes hominum commoveret. At quum eam conditionalem eſſe ſtatuant, utique neceſſe eſt, quando conditionem neceſſariò includit, ut pariter excludat neceſſariò peccatum in conditionis detrectatione ſitum.* Notet Lector. 1. Illos, qui gratiam univerſalem *conditionalem* faciunt, & quidem ſupponentem fidem, in ſubjecto in quo nec eſt, nec eſſe poteſt per naturam, eo ipſo iſtam gratiam reddere ridicu-

lam,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

lam, ut demonſtratum. Et ſanè quia conditionem neceſſariò includit, & neceſſariò excludit peccatum in conditionis detrectatione ſitum, nec illa verò præſtari poteſt, nec iſta excuti vel arceri ab innumeris, quibus gratia ita conditionaliter oblata dicitur, nihil iſtius doctrinæ poſitione non dicam *ineptius*, ut loqui ſolet Animadverſor, ſed abſurdius & alienius à ſana ratione. 2. Simile quod addit, revera ejuſdem commatis eſt: ſi enim edicto publicè promulgato Rex ſubditis ſuis rebellibus univerſis gratiam omnium malefactorum polliceretur eâ lege, ut præſtent id quod nôſſet eos nec præſtituros, nec præſtare poſſe, & quidem ex impotentia ex ſua ordinatione & directione contractâ, quam emendare nollet, etſi facillimè poſſet, & tamen ſeriò diceretur illis gratiam malefactorum polliceri, nemo Regem illum non vel hiſtrionem cenſeret, vel tyrannum, vel inſanum. Adde Regis gratiam eâ lege propoſitam, prout proponitur ab Animadverſore, reſtringi & ad ante acta crimina duntaxat, & ad certos menſes, ad certos dies, adeóque ſubſequentem rebellionem, vel obſtinationem poſt promulgatum edictum, ſub prioris abolitione non comprehendi. At redemptio à Chriſto præſtita, & gratia per eum parta non eſt tantùm temporis unius, ſed totius vitæ, & omnium peccatorum in ea patratorum. Vniverſalis itaque non erit, niſi complectatur etiam veniam incredulitatis, quia incredulis oblata dicitur & incurabiliter quidem per naturam talibus. Adde, gratiam Principis non complecti, nec complecti poſſe correctionem internam rebellionis ſubditorum ſuorum, at gratiam in Chriſto propoſitam complecti correctionem rebellionis noſtræ naturalis, & hanc eſſe ex præcipuis gratiæ ejus fructibus, tollere iſtam rebellionem. Quod ipſum Deus facit in ſuis, vi iſtius meriti & redemptionis Chriſti. Si itaque redemptio iſta reprobis etiam deſtinata foret, non ſub conditione illis deſtinata foret, ne iſtâ miſeriâ laborarent, ſed efficeret, ne eâ laborarent ulterius. 3. Obſervet etiam Lector Orthodoxus, quî gratiam ſuam univerſalem explicet Animadverſor, dum inquit, *à ſe univerſalem* vel *gratiam vel propitiationem non appellari, quia abſolutè omnia peccata expiet in univerſum, ne incredulitate quidem exceptâ*. At quibus iſta gratia vel deſtinari dicitur, vel proponi, aut offerri? Iis qui increduli ſunt, & inevitabiliter quidem ex ſe tales. An verò ſine aperto ludibrio aliorum peccatorum expiatio talibus offertur, ſub conditione ne illud peccatum habeant quod non habere non poſſunt, & quod non poteſt non omnem reliquum gratiæ fructum illis inevitabiliter intervertere? Hactenus verò credidêre Orthodoxi, Chriſtum pro omnibus peccatis illorum mortuum eſſe, pro quibus mortuus eſt, adeóque etiam pro incredulitate; ſin pro incredulitate mortuus non foret, unde

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

illius expiatio dari poſſet in electis, ſi à Chriſti redemptione non eſt? Nullum ſanè peccatum electorum remitti poteſt, quin ſit à Chriſto expiatum. Sin incredulitas Electorum ſolorum expiata ſit, ſemper incredulitas erit inter peccata expiata ſanguine Chriſti, & eo ipſo Chriſti meritum integrum, ad electos ſolos pertinet, non ad alios. Si reproborum etiam peccata *conditionatè* expiata ſunt, vel ***non omnia*** eorum peccata ita expiata ſunt, vel *omnia* : ſi *non omnia*, quæ cauſa diſtinctionis? Et quî illi ſalvari poſſunt, quorum peccata omnia expiata non ſunt, quum vel unum peccatum ſufficiat ad damnationem. Sin *omnia* conditionatè expiata ſint, ſub qua conditione incredulitas reproborum expiata eſt? An ſi credant, vel deſinant eſſe increduli? At præterquam quod non poſſunt deſinere eſſe increduli, abſque gratiâ ſpeciali expiantis, non magis, quàm deſinere eſſe corrupti, vel Lazarus mortuus, vel Bartimæus cæcus, nihil ab omni rectâ ratione alienius excogitari poteſt, quàm gratiam fingere quæ incorrigibili defectu laboranti offerri dicatur ſub conditione, ne eo laboret, & ut quod incorrrigibile eſt, haudquaquam ſit tale, & quod eſt ἐκ τ͂ μὴ ἐνδεχομένων, ſit ἐκ τ͂ ἐνδεχομένων. 4. Si etiam ſolâ incredulitate excepta omnia hominum in univerſum peccata expiata ſunt propitiatione Chriſti, ergò expiata etiam eſt omnium hominum *irreſipiſcentia*, quippe quæ diſtincta eſt ab incredulitate: omnes itaque quibus τὸ γνωςὸν oblatum duntaxat, non verò verbum Euangelii, debent ſalvari; quum enim irreſipiſcentia illorum ſit expiata, pœnitentiam agent, adeóque conditionem habebunt & præſtabunt exactam ab iis quibus τὸ γνωςὸν iſtud tantùm revelatum eſt, & ſic cum ſub conditionis iſtius præſtatione omnia reliqua peccata ſint expiata à Chriſto, omnia illorum peccata alia ſunt expiata, adeóque omnes tales ſunt ſalvandi: Et ſummi beneficii loco erit tantùm vocari per τὸ γνωςὸν τȣ͂ Θεȣ͂. Si dicat, ſe reſipiſcentiam etiam ponere conditionem, quod ſanè facit in ſequentibus, de ſola incredulitate alibi loqui non debuit, quod ſæpiſſimè facit, ſed impœnitentiam etiam adjungere. An denuò irreſipiſcentia talium *abſolutè* expiata, vel *ſub conditione*. Si *abſolutè*, reſipiſcent omnes; ſi *ſub conditione*, detur conditio quæ non recurrat cum conditionato. 5. Docebit verò nos Animadverſor, ſub qua conditione infantum Gentilium, (nam de illis jam liberè loqui nobis licet, depulſis μορμολυκείοις illis, ob quæ illos abactos voluit) peccata expiata dici debeant? An ſub condititione *pœnitentiæ* vel *fidei*, an ſub conditione ne naſcerentur ex parentibus infidelibus, vel ne eorum appendices eſſent, vel ne corruptionem ab illis traherent? Quibus omnibus quid magis ridiculum? Equidem conditionis ullius hîc nec ſpecies nec obtentus etiam minimus dari poteſt. Talium itaque omnium peccata

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

cata vel *abſolutè* expiata, & ſic gentilium liberi omnes ſalvandi ſunt, vel eorum peccata planè non expiata, adeóque omnium hominum in univerſum peccata haudquaquam à Chriſto expiata, nec ſola excipienda incredulitas vel impœnitentia.

IV. Addit Animadverſor: *In eodem loco Theſium neſcio quam dupliciter dilemmaticam aliam ratiocinationem per varia, ſi abſoluta, ſi conditionata, ſi prius, ſi poſterius circumductam, à me adduci, & tandem ita concludi, ut dicam, fruſtrà redemptionem eſſe impetratam à Chriſto ſub conditione non præſtabili ab homine mortuo in peccatis.* Obſervet Lector 1. Ab Animadverſore inverti argumentum Theſi noſtra XIII propoſitum, & caput argumenti caudam fieri, caudam caput, poſtremâ parte præpoſitâ, priore poſtpoſita, nec argumentum vel ſuo ordine vel integrè etiam repræſentatum eſſe, quod candidi Diſputatoris fuiſſet. Theſis verò mea ſic ſe habet: *Si voluntas redimendi per Chriſtum omnes & ſingulos peccatores in Deo univerſalis fuit, vel abſoluta fuit, vel conditionata: ſi abſoluta, omnes omninò redempti fuêre, adeóque in ſtatum gratiæ reſtituti: ſi conditionata, vel conditionem redemptionem ſibi applicandi redemptis omnibus Chriſtus impetravit, vel non: ſi prius, omnes conditionem præſtabunt, adeóque fructum redemptionis conſequentur: ſi poſterius, fruſtrà redemptionem illam impetravit, ſub conditione non præſtabili ab homine mortuo in peccatis. Excipere, impetrâſſe quidem Chriſtum conditionem, modò non rejiciatur, eſt excipere, Chriſtum impetraſſe cæco viſum, modò aperiat oculos, mortuo vitam, modò reſurgat. Non rejicere enim conditionem, eſt illam præſtare, adeóque denuò res volita, & conditio ſub qua volita, coincident. Adde vel Chriſtum pro omnibus omninò omnium & ſingulorum peccatorum peccatis expiandis mortuum eſſe, vel non; ſi poſterius, cadit univerſalitas redemptionis; ſi prius, pro rejectione etiam redemptionis, & pro infidelitate, malitiâ, & aliis id genus peccatis expiandis mortuus eſt; quæ intercedunt, quo minus homo ſibi applicet gratiam Redemptionis, adeóque ea non obſtabunt, quo minus ea applicetur.* Judicet jam Lector, an hoc argumentam iſto dicteriolo evertatur, *me neſcio quam duplicem dilemmaticam aliam ratiocinationem, per varia ſi abſoluta, ſi conditionata, ſi prius, ſi poſterius circumductam adducere.* Ingrata illa ſanè Animadverſori, quia cauſæ jugulum petunt, & effugiis omnibus obſtruunt viam. Haudquaquam verò vel contemptu excipienda erant, vel *poſticâ ſannâ*, ſed confutanda à Diſputatore accurationem & candorem profitente. Nec tædere debebat Animadverſorem ea integra & proponere & confutare, quorum refutationem aggreſſum ſe eſſe profitetur. Quî verò ad iſta omnia in ſuperioribus reſponſum fuerit, judicabit Lector æquus. ὤδινεν ὄρος, εἶτα μῦν ἀπέτεκεν. 2. Meritò concludo, fruſtra redemptionem eſſe à Chriſto impetratam ſub conditione

non præſtabili ab homine mortuo in peccatis. Nec unquam à ſe & cauſa ſua hoc abſurdum ulla ſubtilitate amolietur Animadverſor. De τῷ *fruſtra* ſanè ab eo actum, ſed fruſtra. De conditione impræſtabili à nobis etiam diſputatum, & demonſtratum, nihil juvari cauſam Animadverſoris diſtinctione *potentiæ naturalis* & *moralis*, quæ, ipſius vel confeſſione, in eo conveniunt, in quo à nobis comparantur, quâ unâ fibulâ ſubductâ luxatur tota Theologi noſtri machina. Fruſtrà etiam vel ſuprà ſe diſputâſſe gloriatur, vel alibi ſe tractaturum pollicetur de diſcrimine hominis in peccatis mortui, & mortui morte phyſicâ. De eo enim non agitur, nec vel mortes iſtæ vel mortui exæquantur à nobis in omnibus, ſed in aliquo, quod hîc *formale* eſt & ad cauſam noſtram facit, quatenus *eventus* utrobique *æquè certus eſt, & reſpectu futuritionis æquè neceſſarius, & non electum credere, & mortuum ſe ipſum ſuſcitare.* Et quatenus iſta *ſunt ex æquo* ἐκ τῶ μὴ ἐκδεχομένων, ut fatetur ipſe Animadverſor, quod unum quærimus. In eo uno itaque comparatio noſtra validiſſima eſt, cujus causâ à nobis adhibetur, Animadverſoris ipſius judicio. Differentias itaque alias allegare nihil eſt niſi digredi à ſcopo, & ἄνεμον θηρᾶν δικτύῳ. 4. Quod à nobis dictum, excipere non licere, *impetrâſſe quidem Chriſtum conditionem, modò non rejiciatur*, id iis à nobis oppoſitum, qui ſtatuunt gratiam credendi etiam à Chriſto impetratam, modò ei non ponatur obex, vel modò ei non reſiſtatur, vel modò ne repudietur. Nec enim Theſes meæ ſolius Animadverſoris ſententiæ oppoſitæ fuêre. Cauſæ itaque nihil erat cur in eas velut in ſe unum deſtinatas, incurreret. Tales verò qui ſuperiora ſtatuunt, meritò à me argumento apagogico ducti ad abſurdum. Adde, neceſſariò dicendum eſſe, fidem vel fuiſſe hominibus omnibus impetratam *abſolutè*, vel *conditionatè*, ut quæ ex potiſſimis fructibus eſt mortis Chriſti, quum gratia credendi ſit effectum Spiritus Dei, Spiritus verò ille per mortem Chriſti partus fuerit Electis. Sin Electis *abſolutè* impetrata fuit iſta gratia, vel reprobis *abſolutè* etiam impetrata fuit, vel *ſub conditione*, vel ne conditionaliter quidem Chriſtus ſua beneficia morte ſuâ non Electis impetravit, vel partem eorum duntaxat. Quodcunque ex hiſce elegerit Animadverſor, in abſurda ſe induet. Adde, fruſtranea omnia alia eſſe ſine impetratione fidei, quippe quâ præſente omnia alia beneficia nobis applicantur, abſente, nulla. Nec fidem hîc *ambiguè* accipimus pro *objecto virtutis*, ſed pro *virtute*, non pro fide *quæ*, ſed pro fide *quâ* creditur. Nihil itaque ad litem noſtram facit, quod ſummum & graviſſimum Theologum *Andream Rivetum* dixiſſe vult, Chriſtum multis non electis impetrâſſe, ut illis doctrina Chriſtiana per prædicationem annuntietur. Satis nobis, Chriſtum non impetrâſſe talibus ut ſalventur, vel ut ſalvari poſſent.

Sic

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

Sic ἐξαγώνιον, Chriſtum exigere à non electis, ut doctrinam quam illis offerri curavit, admittant, atque amplectantur, intellectum nimirum de iis qui vocationis externæ per verbum ſunt participes. Id verò nec univerſale eſt, nec niſi per gradus & certo ordine factum intelligi debet; *quæ* omnia in Exercitationibus noſtris expoſita. Haudquaquam intereà vel Chriſtus à non electis exigit, ut credant ſe pro ipſis mortuum eſſe, vel doctrinam ſuam illis eâ intentione proponit ut ſalventur, adeóque vel ut decretum reprobationis ſuæ æternæ evertatur, vel ut tales deſinant eſſe reprobi & fiant electi, vel ut aliqui reprobi ſalventur. Sic *Chriſtum ingratos & pertinaces interdum ita punire; ut ab iis Euangelium ad alios transferat, ſinatque illos jacere in tenebris, qui lucem exoſam habuerunt:* Id pari ratione inter nos controverſum non eſt. Nec enim negamus, Chriſtum ita multos etiam non electos puniviſſe & punire, non quod neglexerint ſalutem ſibi oblatam, ſed quod verbum & ſanctiſſima præcipiens, & cœleſtem doctrinam tradens ſpreverint, adeóque exactionem pœnitentiæ Deo debitæ ſuſque déque habuerint, ut & nuntium iſtud Euangelicum, ſalutem eſſe à Meſſia, & iſtum Meſſiam eſſe Jeſum Nazarenum, & omnes in eum credentes ſervandos. 5. Sic nos non ferit, quod addit Animadverſor, *lucem Euangelicam eſſe objectum quod offertur ad amplectendum, non conditionem.* Nec enim id à nobis aſſertum. Falſum verò ex Animadverſoris ſententia, *eam non propriè loquendo cuiquam ſub ulla alia conditione impetrari.* Annon verò ipſe docet paſſim; ſi homines benè utantur τῷ γνωςῷ, futurum ut Deus illis revelet Euangelium, vel per Angelum, vel miraculosâ aliâ ratione potius, quàm ut id iis non reveletur, adeóque ex ſua *hypotheſi*, negare non debet, id propriè loquendo ſub alia conditione multis impetrari, vel offerri ſaltem. 6. *Duo genera* eſſe *hominum à Chriſto redemptorum, & Electos & non Electos,* & falſum eſt & heterodoxum, & τὸ ἐν ἀρχῇ, quoad poſterius hominum genus; Imò cùm credentes tantùm ſint redempti, & ſoli electi ſint credentes, ſoli etiam electi ſunt redempti. Adde, illum de redemptione *abſolutè* loqui, non *conditionatè*. Non electis fidem nullo modo eſſe à Chriſto impetratam, libenter largimur Animadverſori, ſed addimus, nullum beneficium vel gratiæ ſalutaris, vel gloriæ cœleſtis eſſe illis impetratum ſive *abſolutè* ſive *conditionatè*. Imò καὶ τὸ βίαιον, quia fides illis non eſt impetrata ullo modo, haudquaquam Deus tales ſervari voluit. Indubium cæteroquin, eos teneri fidem præſtare, ſed ordine à nobis indicato, & juſtiſſimè puniri à Deo nî id faciant, datum enim primo homini credere omni Dei verbo, adeóque & verbo promiſſionis, quodcunque aliquando reveletur, huic itaque etiam, omnes credentes in Chriſtum eſſe ſervandos, nec enim alio habitu ad hoc verbum creden-

dum

dum opus erat, quàm qui homini integro fuerat conceſſus. 7. Electis fidem impetratam eſſe, ita ut impetratio omnem conditionem excludat, non controverſum eſt inter nos. Ex eo Verò abundè liquet, ſolos Electos poſſe ſalvari. 8. Non debuit verò Animadverſor ſubterfugere, quominus nobis diceret, *quomodo impetratio fidei ad mortem Chriſti referri debeat.* Haudquaquam verò aliter ad eam referri debet, quàm dona alia quæ nobis Chriſtus peperit. Nec hoc hîc ἀπροσδιόνυσον fuiſſet, ut multa in quibus luxuriat ſine causâ & ſine neceſſitate. 9. Si etiam hæc differentia certa ſit de morte Chriſti reſpectu Electorum & non electorum, quod fides illis à Chriſto impetrata ſit, iſtis non item, docebit nos Animadverſor, quî Chriſtus *æqualiter* mortuus fuerit pro omnibus, cùm pro illis *abſolutè* mortuus fuerit, pro iſtis *conditionatè*; illis fidem impetrârit, iſtis non item. Imò quî pro Electis & non electis Chriſtus ab æterno ſe ad mortem devovere potuerit, ut illis fidem impetraret, iſtis non, quum mortis iſtius deſtinatio anterior fuerit ordine concipiendi electione & reprobatione, ſi credimus Animadverſori.

CAPVT XVIII.

An Argumentum à conſideratione damnatorum ante Chriſti mortem, jugulet redemptionis univerſalis gratiam.

BREVIARIVM Capitis decimi octavi.

Argumentum noſtrum iterùm truncatum. Digreſſio inanis captata. An duæ virtutes in Deo maximè memorabiles dici debeant. An ex fide & reſipiſcentiâ exercitium miſericordiæ Dei neceſſariò pendeat. Verba Animadverſoris retorta. Digreſſio alia inutilis. An ceſſet miſericordiæ divinæ uſus, ſi creaturam non pœniteat peccati ſui. An miſericordia moveatur à pœnitentia ad condonationem. Contradictio impacta Animadverſori. Digreſſio alia inutilis. An Angeli ideò remiſſionem conſequi non potuerint, quia non reſipuêre. An miſericordiæ uſum homines ſibi concilient per reſipiſcentiam. An ex φιλανθρωπίᾳ Deus inclinatus fuerit ad remittenda omnibus peccata. An omnes ad fidem fuerint provocati. An ſpes remiſſionis omnibus propoſita fuerit. An talia conveniant ſapientiæ & bonitati Dei. An negotium ſalvationis hominum dici debeat multò operoſius ſalvatione Angelorum. Decretorum Dei ordo abſurdus conſtitutus ab Animadverſore. Abſurditatis demonſtratio. Digreſſiones Animadverſoris inutiles. An Deus omnibus & ſingulis oſtenderit miſſionem Filii, & ſpem veniæ in eo. An ſufficiat ſpem miſericordiæ oſtendere. Digreſſio alia Animadverſoris. An œconomia miſericordiæ unquam fuerit univerſalis. Placita Animadverſoris adverſa Synodo Dordracenæ, & faventia Remonſtrantibus. Falſa Animadverſoris aſſertio. An debuerit Chriſtus aliquid expiare. Argumentum invictum de non expiatione defectûs non præſtitæ conditionis. An pro reprobis expiatus fuerit conditionatè. Quî negotium aliquod conditione affectum alicui proponi poſſit. Secundùm Animadverſorem, falſum, ſanguinem Chriſti purgare ab omnibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

omnibus peccatis. Abſurda expiationis univerſalis conditionatæ. Argumentum à ſcientia Chriſti vindicatum. Petitio mera τοῦ ἐν ἀρχῇ. Verba Animadverſoris retorta. Abſurda ejus de OEconomia redemptionis loquutio. Revelationis gratiæ univerſalitas perperàm aſſerta. Pro quibus Chriſtus munere ſuò fungi voluit, pro iis eo integrè fungi voluit. An Pater ſpem gratiæ damnatis obtulerit. An Chriſtus ullo modo pro iis ſatisfacere voluerit. An ſatisfactionem offerre voluerit quæ illis profuiſſet, ſi credidiſſent. Conditionalium propoſitionum in hoc argumento inutilitas. Exempli de actu ſalvatis oſtenſa diſparitas. Petitiones meræ illorum quæ ſunt in quæſtione ab Animadverſore repetitæ. Æqualitas mortis Chriſti denuò tradita ab Animadverſore. Verba ejus retorta, & ex iis ſententia ipſius everſa. Cavilla Animadverſoris abſterſa.

I. ARgumentum iſtud à nobis occupatum Theſi XVI. Ita confusè verò agit Animadverſor, ut ſaltitet ab una Theſi ad aliam, pro arbitrio, vel omiſſis vel tranſpoſitis intermediis, quod non eſt diſputatoris ingenui. Sic verò *me argumentari* dicit *dilemmaticè. Vel Deus voluit jam actu damnatos, tunc cum Chriſtus mortem oppeteret, redimere, vel non: ſi poſterius, cadit univerſalitas redemptionis; ſi prius, dabitur ex inferno redemptio, vel ſaltem redimibilitas.* Truncat verò argumentum meum, nec integrum proponit.

II. Quæ nobis oppoſuit in Diſſertatione, in Exercitationibus noſtris cum pulviſculo, à nobis excuſſa fuêre. Reſtat ut videamus, quid hîc vel reponat vel regerat. 1. *Doctrinam ſuam breviter ſibi explicandam dicit, antequam ad argumentorum propoſitionem & ſolutionem veniat.* At nec illud neceſſarium erat. ſatis enim conſtat ſententia illius, ſed digreſſio denuò captanda erat, pro more, & vela laxanda ſpeculationibus ἀεροβατοῦσι. Nec verè dicere poteſt doctrinam ſuam fuiſſe à nobis vel ignoratam, vel diſſimulatam. Verè verò *doctrinam ſuam* vocat, tale illi nomen non invidemus. Obfirmandus interea nobis animus, quamvis opus eſſet reverâ Animadverſori præcone Attico, qui eum juberet agere ἄνευ προοιμίων καὶ παθῶν. Apud ſe ſanè non fuit, dum hîc ſcripſit, *doctrinam ſuam* ſibi explicandam, *antequam ad argumentorum propoſitionem veniat.* Ea enim jam *propoſuit* in anteceſſum. 2. *Duas in Deo virtutes maximè memorabiles* dicit *eſſe* Animadverſor, quaſi reliquæ minus memorabiles forent, & quum omnes *identificentur*, ut loquuntur ſcholæ barbarè, & inter ſe & cum eſſentia Divina, una non magis memorabilis eſt quàm altera. Adde *miſericordiam* (quæ bonitatis Dei velut ſpecies eſt reſpectu certorum objectorum, miſerorum nimirum) liberrimè ſe exeruiſſe, & potuiſſe ſe non exerere reſpectu hominum miſerorum, prout ſe non exeruit reſpectu dæmonum, an magis itaque memorabilis eſt Dei virtus quàm ſapientia, potentia & aliæ id genus? 3. Falſum, *ex fide & reſipiſcentiâ exercitium miſericordiæ neceſſariò pendere.* Datur enim ſine utrâque, erga infantes fœderatorum. Adde, κατὰ τὸ

βίαιον, ſi pendet ejus exercitium ex fide & reſipiſcentia, non poteſt ullâ ratione exerceri erga peccatores, quibus Deus iſtas virtutes largiri non vult, & qui eas ex ſe habere nequeunt, adeòque tales ſalvari non poſſunt, & fruſtrà dicitur, Deum illos ſalvari velle, quum peccatum condonari non poſſit peccatori non reſipiſcenti, ut ipſe fatetur, fieri verò non poſſit, ut illi reſipiſcant unquam, & Deus nôrit, eos reſipiſcere non poſſe. Quod verò hæ virtutes neceſſariæ ſunt, id à mera Dei ordinatione pendet, qui potuiſſet peccatorem pro quo ſatisfactum à Chriſto, ſtatim evehere ad lumen gloriæ, ſi voluiſſet. 3. Inutili digreſſione expatiatur denuò Animadverſor docendo, erga creaturam integram, nec juſtitiæ, vindici nimirum, locum eſſe, nec miſericordiæ. Quem quæſo iſta feriunt? 4. Falſum καθόλȣ, *ceſſare miſericordiæ divinæ uſum, ſi creaturam ſui peccati non pœnitet.* At antequàm eam pœniteat, vel pœnitere poſſit peccati, miſericordia divina ſe neceſſariò exerit, in electione multarum ex creaturis peccatricibus, in deſtinatione & miſſione Mediatoris pro illis, & in actuali doni reſipiſcentiæ collatione, quod exercitium, vel qui uſus miſericordiæ divinæ neceſſariò antevertit omnem creaturæ reſipiſcentiam: Et abſque eo foret, pereundum omnibus foret peccatoribus in æternum, ſi Deus ſuſpendiſſet eventum ſuæ miſericordiæ, donec creatura peccatrix reſipuiſſet ex ſe, adeòque dici non debet, *miſericordiam eſſe ad eam conditionem naturâ ſuâ determinatam*, Et falſum, *miſericordiam moveri ad condonationem, nec aliter ſe rem habere poſſe, ubi creaturam peccati ſui pœnitet.* Fateri enim ipſe cogitur in ſequentibus, *nullâ reſipiſcentiâ homines uſum miſericordiæ condonatricis ſibi conciliaſſe.* Vbi contradictio aperta, miſericordiam neceſſariò moveri ad condonationem, ubi creaturam peccati ſui pœnitet, & homines nullâ reſipiſcentiâ uſum miſericordiæ condonatricis ſibi conciliâſſe; De eadem enim miſericordia utrobique ſermo. 5. Juſtitiæ vindicis relationem neceſſariam ad peccatum, damus, ſed id extra quæſtionem. 6. Digreſſionem iterum planè inutilem ſubnectit Animadverſor, de diverſa naturâ Angelorum & hominum, quæ cauſam noſtram non ferit. In eo etiam hallucinatur, quod dicit Angelos ideò remiſſionem conſequi non potuiſſe ex miſericordiâ, quia ex peccato non reſipuerunt. An verò magis reſipuerunt homines? Annon potius dicendum, ideò eos remiſſionem non potuiſſe conſequi ex miſericordia, quia Deo non placuit illam erga illos exerere per eorum reſtitutionem, ut per reſtitutionem hominum. Ad id itaque duntaxat hîc aſſurgendum, *quia Deus id ita in æternum procedere voluit.* 7. Non *miſericordiæ tantùm condonatricis uſum* nullâ reſipiſcentiâ ſibi conciliant homines peccatores, ſed nec miſericordiæ, ut ita loqui liceat, *analogicè* cum Animadverſore, *inſtauratricis* ſuæ corruptionis,

vel

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

vel regenerantis potius. Adeòque per bonum uſum τοῦ γνωστοῦ ſibi conciliare nullo modo potuêre majorem gratiam, nec hoc ſine illud ipſis à Deo objici potuit. 8. Φιλανθρωπίᾳ Deum inclinatum fuiſſe erga genus humanum, & illi remiſſionem peccatorum indulgere voluiſſe, ſi crederet atque reſipiſceret, καθόλου intellectum, eſt κυρία δόξα Animadverſoris, & πρῶτον ψεῦδος, & hoc ipſum merum ludibrium eſt reſpectu omnium illorum, quibus reſipiſcentiæ gratiam facere noluit. Et nequicquam additur, *Deum ex φιλανθρωπίᾳ illa ſpem remiſſionis oſtendere conſtituiſſe, ut ad fidem & pœnitentiam provocarentur.* An enim ad fidem ſaltem, ſecundum ipſam Theologiam Animadverſoris, omnes illi provocati, quibus nec Chriſtus nec Euangelium unquam innotuêre? Imò *ne ſpes* quidem *remiſſionis* omnibus propoſita, nec vel τοῦ γνωστοῦ propoſitio, vel beneficiorum naturalium largitio, ad fœdus gratiæ pertinet, aut ex eo fluunt, ſed arguunt meram χρηστότητα & longanimitatem Judicis erga reos, ad generis humani conſervationem. Annon etiam Dei ſapientiæ & bonitati illuditur, dum ſtatuitur, Deum hominibus corruptis & reſipiſcere neſciis ſpem remiſſionis oſtendere, ut ad fidem & pœnitentiam provocentur, ad quæ tamen illos pervenire non poſſe ullâ gratiâ objectivâ ſolâ perſpectum habuit? Quî & quos τὸ χρηστὸν τοῦ θεοῦ εἰς μετάνοιαν ἄγειν dicatur, ſuo loco demonſtratum dabimus. Sufficiat hîc obſervâſſe in tranſcurſu, id non omnibus impingi hominibus ſed certo tantùm populo erga quam Deus uſus fuit diſpenſatione peculiari quæ ſingularem habuit χρηστότητα conjunctam. 9. Negotium iſtius ſalvationis hominum fuiſſe *multò quam negotium Angelorum operoſius* & ἀκυρολόγως planè, & parum dignè Dei majeſtate dicitur, cui nihil *operoſum*, nihil ergo vel magis vel minus tale. Si Angeli fuiſſent ſervandi, æquè juſtitiæ divinæ ſatisfieri opus fuiſſet & æquè illi ad pœnitentiam & fidem vocandi fuiſſent, ſi id Deo placuiſſet. 10. Quis docuit etiam Animadverſorem ita loqui de Dei conceptibus, & *quibus gradibus*, ut cum ipſo loquar, *aſcendit ad æternam decretorum divinorum conſtitutionem*, ut Deus voluerit primò φιλανθρωπίᾳ in genus humanum inclinari, & illis remiſſionem peccatorum indulgere, ſi credant & reſipiſcant. Secundò illis remiſſionis ſpem oſtendere, ut ad fidem & reſipiſcentiam provocentur. Tertiò, Sapientiam Deo ſuggeſſiſſe, ut Filium mitteret, qui ſatisfaceret ipſius juſtitiæ, & ſic decretum de Filio mittendo conſtitutum eſſe. Quid quæſo indignius Deo iſto conceptuum & decretorum in partes varias conciſo & ſic diſpoſito ordine fingi poteſt? Annon præſtat dicere, Deum ſimpliciter voluiſſe gloriam & miſericordiæ & juſtitiæ ſuæ oſtendere per certæ multitudinis hominum, quos ipſi placuit eligere præ aliis, è peccato & omnibus ejus appendicibus per Chriſtum liberationem, & alio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

rum in miſeria ſua relictionem? An homo ſapiens primò inclinatur erga reos vel captivos ad remiſſionem illis reatus vel pœnæ indulgendam, modò conditionem habeant, quam ſcit illos nec habere, nec habere poſſe, & quàm multis ex illis dare haudquaquam decrevit, etſi à ſe uno pendeat? An poſtmodum vult illis ſpem iſtius remiſſionis oſtendere, ut ad conditionem illam provocentur eâ ratione, quâ novit eos ad eam provocari non poſſe, præſertim ſi conditionis defectus ſit pars eſſentialis eorum miſeriæ? An tandem vult dare λύτρον, ſed quod aliquibus applicet, illis conditionis gratiam largiendo, aliis offerat, ſed nonniſi ſub conditionis illius præſtatione æquè impoſſibili illis ac ipſius λύτρου ſolutio eſt. Si quis auderet talia affingere homini qui pro non ſtolido haberetur, vix ſuſpicionem ejus traducendi multorum animis eximeret. An enim miſericordiæ id genus patefactio, & miſerorum ad eam invitatio ſub iſta conditione non ridicula cenſeretur, omnibus ſanis, & merum ludibrium? Ita tamen nos de Deo loqui vult Animadverſor. Adde, ſi ita procedendum foret, ordine inverſo executionem proceſſuram, & ſic prius Deus mitteret Filium quàm promiſſionis ſpem oſtenderet, & prius ſpem remiſſionis oſtenderet, quam φιλανθρωπίαν ſuam exerceret, quæ abſurdum evidens implicant.

III. Digreſſio itaque Animadverſoris inutilis eſt & abſurda: Et quid iſta fimbria ad peplum, vel tota iſta commentatio ad argumentum de damnatis, ad quod reſpondere ſe velle profeſſus eſt? Cur ita circumducendus erat Lector, & quis quæſo noſtrûm ejus patientiæ illudit? Addit, Deum certis de cauſis voluiſſe differre miſſionem Filii ad plenitudinem temporum. An verò de eo nobis lis eſt? Addit: *Et ſi Filii miſſionem in longum tempus diſtuliſſet, ſtatuiſſe miſericordiam illam ſuam & veniæ ſpem patefacere hominibus, qui ante illius adventum victuri erant, ut ſi crederent & reſipiſcerent, futuri illius placamenti fructum, in peccati condonatione participarent.* Quid iſta etiam ad diſceptationem noſtram? Notum enim quæſtionem non eſſe inter nos de hominibus, ſed de omnibus & ſingulis hominibus, an illis omnibus miſericordiam iſtam ſuam, & veniæ ſpem in miſſione Filii patefacere voluerit, vel an eam omnibus & ſingulis hominibus patefecerit? Non itaque *indefinitè* hîc loquendum erat, ſed *univerſaliter*, nec id prætermittendum erat quod controverſum eſt, afferendum verò quod non controverſum. Tuam verò fidem Lector & conſcientiam! An Deus vel miſſionem Filii, vel miſericordiam ſuam in Filio & ſpem veniæ ob futurum illud placamentum omnibus & ſingulis mortalium oſtenderit ante adventum Filii? Imò ne poſt ejus adventum quidem id vel factum, vel fieri per ætatem multorum potuit; vel hodieque fit, quamvis jam diſtin-

ctam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

ctam Chriſti cognitionem ipſe Animadverſor fateatur neceſſariam. Nec verò *ſpes* tantùm *miſericordiæ* oſtendenda erat, ſed & *modus* ejus & *ratio* in promiſſione Euangelica de ſemine mulieris, & contritione capitis ſerpentis per illud, adeóque & fœderis gratiæ propoſitio & explicatio. Nec Deus ſpem tantùm exegit, ſed fidem erga promiſſionem gratiæ. Fruſtra verò digreditur denuò Animadverſor, ut probet quia ſolutio noſtri debiti, & juſtitiæ divinæ per eam placatio ſit in genere *cauſarum moralium*, tantundem eam apud Deum præſtitiſſe antequam perageretur, ac poſt. id enim ἐξαγώνιον inter nos, & à me ipſo occupatum in exercitationibus. Id verò haudquaquam damus Animadverſori, vel œconomiam aliam miſericordiæ Dei circa ſalutem hominum univerſalem unquam fuiſſe, vel hanc eſſe *priorem partem œconomiæ miſericordiæ Dei circa ſalutem hominum quâ ſemel ita deliberatâ conſtitutaque Deus ad alteram partem acceſſit quæ pertinet ad fidem vel concedendam vel denegandam.* Id enim vel mediocri ſapientiâ, magis divinâ prorſus indignum, Deum priùs in incertum velut decreviſſe mittere Filium, qui pro reſipiſcentibus & credentibus placaret juſtitiam ſuam, antequam conſtitueret ſigillatim qui eſſent credituri & pœnitentiam acturi. Imò & Synodus Dordracena & Eccleſiæ noſtræ conſtanter miſſionem Filii Dei ducunt ex doctrina Electionis, ut medium ei exequendæ ſubordinatum, nec cum Animadverſoris Theologiâ conſtituunt electionem vel reprobationem tantùm in decreto dandi vel negandi fidem. Et ſanè ſi Animadverſorem audimus, ſtatuendum nobis erit, contra omnem rationem, & Scripturam, & omnes Theologos Orthodoxos, præcedere decretum de mittendo Filio, ſequi demum decretum electionis & reprobationis; Qui ordo placuit Remonſtrantibus etiam noſtris, & poſt ipſos novæ Theologiæ Myſtæ.

IV. Addit, 1. *ſe jam ad argumentum noſtrum venturum.* At id factum oportebat ſine iſta digreſſione, laciniosâ, inutili planè, & involvente multa partim ὕπελα, partim falſa. Quid verò dilemmatibus noſtris, quibus undiquaque conſtringitur opponit? Cavillum merum, quod genus reſpondendi partim Theologicum & mera λογοδιαῤῥοια. 2. Deſinere dicit ingentem iſtam molitionem meam in id, *conditionem ignoratam fuiſſe multis & debuiſſe conditionis non præſtationem expiari*; Prius à ſe refutatum eſſe, poſterius indignum eſſe hominibus qui ſe ratiocinari profitentur. Legat quæſo Lector *Theſin* meam XVI. integram, & mirabitur θυμὸν ἐπιτωβόειον hominis, qui audet affirmare in hoc unum deſinere diſputationem noſtram ibidem inſtitutam. Quamvis etiam in hoc unum deſineret, non ob id viciſſet Animadverſor. conditionem enim adjectam morti Chriſti, quæ eſt fides, innumeris non tantùm ignoratam fuiſſe hodie-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

que ignorari, adeò evidens eſt, ut ſine ſummo veritatis & Lectoris contemptu, negari nequeat à perfrictæ etiam frontis homine, imò & reſipiſcentiæ conditio, quæ tamen ſola non ſufficit, innumeris pariter ignorata fuit. *Debuiſſe* verò Chriſtum conditionis non *præſtationem* expiare, haudquaquam unquam dictum à nobis, nihil Chriſtus *debuit*, ſed hoc dictum; ſi Chriſtus voluiſſet omnium peccata expiare, futurum fuiſſe, ut expiaret etiam defectum non præſtitæ conditionis, quippe qui inter potiſſima hominis peccata eſt, & ſine cujus expiatione omnium aliorum expiatio inanis prorſus eſt & inutilis, utpote nunquam profutura peccatori: Quippe quem defectum Chriſtus moriens in omnibus redimendis prævidit, & inevitabilem quidem, & cujus non expiatio univerſalitatem expiationis peccatorum convellit. Et cùm Scriptura profiteatur, *ſanguinem Chriſti nos purgare ab omnibus peccatis* 1 Joh. 1, 3. vel conditionis non præſtatio peccatum non eſt, vel ab eo etiam ſanguis Chriſti purgat. Si dicat, electos tantùm à peccato iſto ſanguine Chriſti purgari, ſemper ſequitur, abſurdum non eſſe, defectum conditionis præſtandæ inter peccata referri, quæ expiantur à Chriſto. Adde ex Theologia Animadverſoris ſemper ſequi, quod *abſolutè* à Chriſto præſtitum pro electis, id *conditionatè* præſtitum eſſe pro non electis; dicat ergo, ſub qua conditione Chriſtus expiârit defectum non præſtitæ conditionis? Et quæ ſit illa conditio, an ſi homo vel non ſit incredulus, vel ſi deſinat eſſe talis? At prius ridiculum, poſterius inane, quippe quem Deus novit non magis deſinere poſſe ab incredulitate ſua ſine dono ſuo, quàm expiare peccatum. An hîc exclamatione iſta tragica opus erit? *Vſquene adeò eſſe homines Theologos rerum humanarum imperitos!* 3. Non ignoramus, *omne negotium conditione affectum ita pendere ex præſtatione conditionis, ut ſi præſtetur illa, ratum ſit, ſin minus, irritum & nullum evadat*, ſed ſupponitur, conditionis præſtationem eſſe poſſibilem illi cui negotium proponitur. Si verò illa conditio impoſſibilis ſit, vel non attingibilis illi, cui proponitur, nec gratia illius præſtandæ ipſi fiat, proceſſus iſte conditionalis cum tali merum ſchema eſt, larva mera. Inaniter itaque ſubjicit, *quum Chriſtus peccata non electorum non expiaverit, niſi ſub conditione, ſi credant, non modò incredulitatem, ſed & reliqua eorum peccata omnia manere inexpiata.* Annon verò inde ſequitur. 1. Chriſtum non omnia omnium peccata expiâſſe, pro quibus ſatisfeciſſe cenſetur, adeóque annon falſum erit, *ſanguinem Chriſti purgare ab omnibus peccatis?* Quod blaſphemum. 2. Annon incredulitatem Electorum Chriſtus expiavit & *purgavit abſolutè*? 3. Peccata non electorum expiata à Chriſto dici, ſub conditione fidei, ſi credant, joculare eſt, quippe quos certum erat nunquam credituros eſſe, & quibus Deus voluit denegare gratiam creden-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

credendi ab æterno. 4. Et quia nulla eorum peccata expiata, Chriſtus pro illis mortuus non eſt. Et ſanè expiare peccata incredulorum, quos nôris eſſe incorrigibiliter tales ſub conditione ne ſint tales, vel, ut tales eſſe deſinant, eſt ea non expiare, nec expiare velle, ſed cumulatam velle eorum miſeriam acerbo ludibrio.

V. Nec minus ſtringit firmiter argumentum noſtrum ductum *à ſcientia Chriſti*, mortem oppetentis, illum nimirum vel non ſciviſſe ante mortem ſuam non electos, conditionem non præſtitiſſe, & ſic non fuiſſe omniſcium vel ſciviſſe, & ſic noluiſſe pro illis ſub conditione mori, quos novit ſine conditionis præſtatione mortuos fuiſſe, & ob id etiam jam actu damnatos. Κωμῳδεῖσθαι, & frigidos jocos opponere rationibus, quod Animadverſor hîc facit, Theologi non eſt. Fruatur ingenio ſuo. Deſinat verò imitationem Chriſti profiteri, cui λόγοι σαπροὶ, imò & ἄεργοι, exoſi. Res certa, vel omniſcientiam Chriſti everti, vel concedendum eſſe, Chriſtum moriturum noviſſe, innumeros ſine conditionis præſtatione exſpirâſſe, adeóque eum pro iis ſub conditione mori nec debuiſſe, nec potuiſſe. Quid verò hîc opponit Animadverſor? Obſervet quæſo Lector acumen hominis. *Idem Chriſtus qui noverat*, inquit, *eos neque præſtitiſſe conditionem, & flammis infernalibus uſtulari, noverat, ſe ab æterno vadem interpoſitum pro omnibus hominibus ſi crederent; noverat, ſe Patri promiſiſſe, mortem eſſe oppetiturum pro omnibus in univerſum modò crederent, nóverat Patrem ejus tanquam vadis fidem veluti ſecutum, gratiam omni ſeculo talibus hominibus revelaſſe, nihil quicquam tale futurum unquam, niſi Chriſtus ad id ſeſe fide & vadimonio obſtrinxiſſet.* At 1. Quid hîc præter λέσχας meras, & repetitiones eorum quæ ſunt in quæſtione? Eſtne hoc reſpondere? At, ὦ γενναῖε, annon hoc ipſum κρινόμενον noſtrum eſt, & ἀμφισβητούμενον, an Chriſtus ſe *vadem interpoſuerit pro omnibus* in univerſum, *modò crederent*, & *an promiſerit Patri mortem pro omnibus* in univerſum, *modò crederent*. 2. Imò ponamus, quod falſum, Chriſtum promiſiſſe, ſe mortem oppetiturum pro omnibus modò crederent, annon ob id ipſum, quia noverat, multos exſpiraſſe in incredulitate, adeóque non crediſſe, nec debuit nec potuit pro talibus mori? verbi gratiâ, ſi quis polliceatur alicui, ſe pro debitoribus ſoluturum debita, ſub conditione, ſi hanc teſſeram gerant, vel hoc aut illud obſequium præſtent, & interea illi expirarent in carcere ſine præſtatione conditionum illarum, an pro talibus debita ſolvi deberent? Regeramus quæſo hîc Animadverſori ſua verba, *uſquene adeò eſſe homines Theologos rerum humanarum imperitos, ut non intelligant omne negotium conditione affectum, ita pendere ex conditionis præſtatione, ut ſi præſtetur illa, ratum ſit, ſin minus, irritum atquè nullum evadat!* Quia itaque conditio à talibus

præſti-

præſtita non fuit, Chriſtus qui pro illis ſub conditione tantùm mori debuit, pro illis neglectâ conditione, mori non debuit. 3. Ἀκυρόλογον etiam, *Chriſtum Patri hoc promiſiſſe*, quaſi ab eo initium duceret Scriptura iſtius œconomiæ redemptionis, imò Pater Chriſtum ad hoc & deſtinavit & miſit, etſi ſummo cum conſenſu Filii, nec ſine καταχρήσει dici poteſt, vel Patrem hîc Chriſti *fidem ſecutum*, vel Patrem nihil quicquam tale facturum unquam fuiſſe, *niſi Chriſtus ad id ſe fide & vadimonio obſtrinxiſſet*. 4. Falſum Deum *gratiam omni ſeculo revelâſſe*, omnibus nimirum & ſingulis hominibus, omnes enim & ſinguli intelligendi ad ſalvandam gratiam univerſalem. 5. Et quia Chriſtus, quum mortem oppetiit, non hoc habuit in animo, ut damnatos ab inferis redimeret, pro damnatis nec *abſolutè* mortuus eſt, nec *conditionatè*. *Fuit* ſanè *Chriſto animus fungendi munere à ſe ſuſcepto*, & ei *animus fuit fidem datam liberare*, ſed an pro omnibus in univerſum? Id verò ſplendidè ſupponitur, non probatur; Imò pro quibus Chriſtus munere ſuo fungi voluit, pro iis eo voluit fungi integrè, adeóque illis & vitam promereri, & conditionem ad eam obtinendam neceſſariam. 6. Patrem *ſpem gratiæ damnatis obtuliſſe*, ſalutaris nimirum, eſt ipſum κενόμενον, adeóque ſine fundamento dicitur, Chriſto morienti animum fuiſſe ea facere, quæ niſi feciſſet, Pater ſpem gratiæ hominibus illis (damnatis ſcilicet) olim, dum vivebant, temerè & inconſultò obtuliſſe exiſtimatus eſſet. Non entis enim nulla accidentia. Adde, ne ſpem quidem gratiæ per ætatem innumeris offerri potuiſſe; Adeóque reſpectu talium ſaltem eo fine non opus erat Chriſtum mori.

VI. *Chriſtum pro jam actu damnatis voluiſſe ſatisfacere*, abſurdè dicitur, quæcunque ejus rei interpretatio. Nec enim voluit, ut fatetur, ſatisfactionem pro iis offerre, quæ illis actu prodeſſet, ſi crederent. Et quia hoc non voluit, *conditionatè* mori pro illis non voluit, pro quibus enim ita mori voluit, ex ipſius Animadverſoris ſententia, illis ſalutem poſſibilem reddere voluit, modò crederent. Nec poteſt dici, *illum voluiſſe ſatisfactionem offerre, quæ illis profuiſſet, ſi illi olim credidiſſent*: Tum quia innumeris nec ſatisfactio nec ejus conditio ad credendum propoſita fuêre, adeóque talibus illa prodeſſe nullo modo potuit, imò innumeris ne per ætatem quidem proponi vel offerri potuit. Et quia prævidit ab æterno, non tantùm ſuam ſatisfactionem & ejus oblationem non profuturam, ſed ne prodeſſe quidem poſſe omnibus illis quibus gratiam credendi largiri noluit, nec ſapientiæ Patris, nec Chriſti convenit, talibus ſatisfactionem ſub iſta conditione vel deſtinare, vel offerre. *In ſenſu compoſito* cæteroquin dici poteſt, *profuturam ſatisfactionem talibus, ſi modò credidiſſent*, ob nexum officii & beneficii. At contradictio nectitur in adjecto, ſi enim tales credidiſſent,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

jam fuiſſent electi, cùm ſoli electi ad vitam æternam poſſint credere. Supponuntur verò eſſe non electi.

VII. Abſurdum à nobis impactum ipſe fateri cogitur; *Quum damnati jam eo loco eoque ſtatu eſſent, ut conditio non amplius ab illis exigeretur, indignum fuiſſe ſapientiâ Chriſti velle mori pro iis ſub ea conditione, quæ ab illis non exigitur in æternum.* Adeóque dici non poteſt, Chriſtum mortuum eſſe pro non electis, damnatis ante ejus mortem, ſub ea conditione, ſi crederent, ſed addendum erit, *ſi crederent, vel ſi credidiſſent.* Imò eo ipſo non debuit pro talibus mori, quia non credidêre, & quia in incredulitate exſpiravêre. Quod addit: *Si illi qui ante Chriſti mortem damnati ſunt, credidiſſent & reſipuiſſent, damnati non fuiſſent, ſed ſervati:* Oſtendit tantùm nexum inter antecedens & conſequens. Nec inde ſequitur voluntas Dei de talibus per fidem ſalvandis. Sic dici poteſt, ſi homines non peccâſſent, fuiſſent omnes ſervati: Si Iſraelitæ legem impleviſſent, fuiſſent per eam ſalvati: Si equus eſſet rationalis, eſſet homo, & alia id genus. Sic ſanè vera eſt propoſitio ratione nexûs, ſi non electi credidiſſent ac reſipuiſſent, Chriſti mors illis profuiſſet. At *oppoſitum* eſt *in appoſito*, non electos credere ac reſipiſcere, vel credere ac reſipiſcere poſſe. Sic dici poteſt, ſi gratiam Principis reus habuiſſet, non fuiſſet in furcam actus, quamvis Princeps voluntatem non habuerit, illi gratiam vitæ faciendi. Innumeræ id genus hypotheſes produci poſſent, ſed quibus antecedens non ponitur, nec voluntas de hoc vel illo per media id genus in iis efficiendo, qui media nec habent, nec habere poſſunt.

VIII. Occupavi ſanè per πρόληψιν objectionem *de actu ſalvatis, antequam Chriſtus moreretur*, quum ſcirem eam reponi ſolere ab illis qui hac methodo utuntur; Et dixeram Theſi XVI. *Exemplum à ſalvatis ἀπροσδιόνυσον eſſe*, adductis ſententiæ meæ rationibus. Quid verò excipit Animadverſor? 1. Quærit, *an Chriſtus habuerit in animo, cùm pro iis mortuus eſt, eos liberare è captivitate peccati & Diaboli, & mortis, ſi crederent? Id verò dici non poſſe. Eos enim jam actu liberatos fuiſſe, & nullam amplius conditionem fidei ab eis poſtulari:* At ratio oſtenſa in Theſi, quî pro illis mortuus dicatur, quia nimirum tales ſalvati fuêre ob redemptionem pro ſe à Chriſto præſtandam, quæ habita fuerit in mente Dei, ut jam præſtita pro illis. Voluit itaque, ut addit, *munus à ſe ſuſceptum convenienter exequi*, & quia pro illis ſuſceptum fuit, executioni etiam mandatum pro illis fuit. Et voluit ſic fidem pro illis datam exſolvere, & voluit id præſtare, abſque quo ſalus illis data non fuiſſet. Et quia tales conditionem requiſitam præſtitêre ante obitum, revera potuêre illi redimi. Quamvis itaque Chriſtus non pro eis mortuus fuerit, *ut eos liberaret ſub conditione fidei*, quippè qui jam in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

cœlum tranſcripti ſupponuntur, *voluit tamen id præſtare, ob quod ſalutem reapſe ſunt conſecuti*, quod eſt id ipſum, quod poſui in Theſi. *Quod enim illi ſalvati ante redemptionem actualem, hoc imputandum redemptioni à Chriſto præſtandæ.* Confirmat itaque Animadverſor à me poſita, non evertit.

IX. Addit, ſe fateri, *longè diverſam eſſe rationem ſalvatorum & damnatorum*, ſed per cavillum. Explicaveram verò in quo hîc iſta diſparitatis ratio conſtituta eſſet, ſimili ducto ab obæratis. Subjicit Animadverſor multas petitiones τ̃ ἐν ἀρχῇ pro reſponſionibus, quo reſpondendi genere nihil indignius. *OEconomiæ prioris partem pendere ex communi* φιλανθρωπίᾳ *& ſpem ſalutis univerſalem facere*, ſupponit, quæ nec prior eſt, nec poſterior, quia nec eſt, nec fuit unquam. Ejuſdem commatis eſt quod addit, *Chriſti mortem fuiſſe rem in mente divina deliberatam, & certiſſimè obeundam pro omnibus iis qui credunt, antequam actu oppeteretur: Deum etiam ejus intuitu incitatum, omnibus ſpem veniæ obtuliſſe, aliis in verbo, aliis* ἐν τῷ γνωστῷ, *certum ſalutem dandi, ſi ſpem illam amplecterentur. Omnibus igitur fuiſſe eatenus conditionem parem, quæ omnium pariter reſpectu requiſiverit ut mors à Chriſto oppeteretur. Sic factam eſſe gratiam univerſalem.* An verò hoc reſpondere eſt, ſuam ſententiam nobis ingerere, quæ tot argumentis confutata fuit & profligata? Sic nemo non diſputatorum eſt, qui hoc modo vincere non poſſit, modò rationibus objectis opponere liceat ſententiæ ſuæ repetitionem, quamvis reſponſionibus ipſis everſam. Quas non exclamationes in me concitarem, ſi ita projectè diſputarem! Iſta verò omnia à nobis ſatis ſuperque jugulata. Id tantùm obſervandum, mortis Chriſti *æqualiter* hactenus pro omnibus obitæ, & in Synodo Nationali Alençonenſi damnatæ, & reſorptæ cramben reponi ab Animadverſore. Et quia, ut addit, Deus *actu gratiam reſpuentes actu damnare decrevit*, & prævidit omnes non electos hanc gratiam reſpuituros, nec aliter facere poſſe, eos actu damnare, non ſervare decrevit. Et quia actu tales non tantùm damnare decrevit, ſed & actu plurimi ex illis jam damnati erant, antequam Chriſtus mortem oppeteret, non niſi abſurdiſſimè Chriſtus pro talibus ſe in mortem dediſſe vel *abſolutè* vel *conditionatè* dici poteſt, etſi pro actu ſalvatis ſe in mortem dare potuerit, ut demonſtratum in Theſi: Quid verò interſit inter *damnare* & *actu damnare* non video. *Et quia Chriſtus*, ut addit, *venit, qui ut promiſerat ſatisfecit pro omnibus credentibus, quocunque ſeculo vel vixiſſent, vel victuri eſſent, & vadimonium, quod Deo conſtituerat, bona fide obivit*, univerſaliter pro omnibus non ſatisfecit, quia plurimi jam expiraverant in incredulitate, adeóque non pertinere poterant ad objectum credentium. Nec magis vadimonium pro non credentibus obiri debuit quàm ſolutio præſtari debet pro hominibus, qui in pertinacia ſua in carcere

com-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

computruêre, nec vadem vel vadimonium admittere voluêre. Abſurda verò ſibi impacta non expedit Animadverſor, ſed cavillo denuò diſputationem claudit, & rhetoricatione. Quis verò ex *nobis aurum*, quis *orichalcum* obtrudat Lectori, judicabit quicunque ſine præjudicio ad collationem Scriptorum noſtrorum accedet, & videbit nullâ ratione argumentum à damnatis ductum expediri ab Animadverſore, nec reſponderi niſi per digreſſiones inutiles, & per meram repetitionem ſententiæ confutatæ, quod putridum diſputandi genus eſt. Et ſic, cum bono Deo, abſoluta *Pars Prima*, & demonſtratum, omnes argumentationes Animadverſoris çontra argumenta in Theſibus noſtris propoſita, ſtramentitias eſſe, & nullius commatis, præterquam quod plurima à nobis & in Theſibus & in Exercitationibus producta planè diſſimulata ab eo fuerint, nedum confutata. Poſt heroicam tamen iſtam diſputandi rationem, ſi Panegyriſtæ in futurum deſint Animadverſori, ipſe ſibi pæanas canet, & actor, plauſor erit ac Theatrum.

Finis Partis Primæ VINDICIARVM.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

FRIDERICI SPANHEMII VINDICIARVM EXERCITATIONVM DE GRATIA VNIVERSALI.

PARS SECVNDA.

Exhibens Defenſionem *Reſponſionum* oppoſitarum L. Erotematibus ab Animadverſore propoſitis.

CAPVT I.

Examen Præfationis *Animadverſoris.*

BREVIARIVM Capitis primi.

OCcaſio Partis ſecundæ. Scopus Animadverſoris in proponendis Erotematibus ſuis. Æſtus Animadverſoris & rhetoricatio. Falſa ejus aſſertio. Vox ominoſa. Illatio inanis à particulari ad univerſale. Cavillum abſterſum. An eædem reſponſiones perpetuò à me adhibitæ. An id improbandum ſit. Πρόφασις *vana Animadverſoris. Contradictio ejuſdem notata. Convitium ab eo impactum Gallis. Cauſa vera reſponſionis accuratæ prætermiſſæ. Injuſta accuſatio retuſa. Compendioſa Animadverſoris victoria. Inanis rhetoricatio notata. Forma reſpondendi epiſtolica jam cepta ab Animadverſore mutata. Cauſæ mutationis inſtituti & Animadverſionum extruſarum. Apologia ipſius pro me contra ſeipſum. Exiſtimatio Animadverſoris cauſa ſcriptionis, ut & Amicorum apud ipſum ſolicitationes. Vana aſſertio notata. Cauſa conſilii Amicorum non admittendi. Examen locorum Scripturæ ab Animadverſore declinatum. Digreſſiones ejus inutiles ad commentationes Calvini. Ignoratio elenchi meritò notatæ in Animadverſore. Vniverſalis gratia ab ipſomet everſa. Fuga Animadverſoris, & declinatio ſtatûs controverſiæ. Cavillum ejuſdem. An diſpenſatio ſalutis pertineat primariò & per ſe tantùm ad adultos. Oppoſitum demonſtratum. Argumentum de liberis infantibus vindicatum.* Τὸ κελνόμβρον *repetitum.* σχέσεις *ſe invicem evertentes Deo tributæ. Mediorum ad ſalutem ſufficientium propoſitio univerſalis everſa. Contradictio Animadverſoris notata. Diſpenſatio Dei ab ipſo Animadverſore conſtituta tollit gratiam univerſalem. An media ad ſalutem abſolutè deſtinata ſint infantibus gentilium, an ſub conditione. Animadverſor revocatus ad quæſtionem. An media infantibus illis offerantur in parentibus. Abſurda varia. Ignoratio alia elenchi notata, & aſſertio Animadverſoris retorta.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

retorta. Animadverſor denuò revocatus ad lineam. Vniverſalitas gratiæ everſa. An obtendi poſſit abuſus gratiæ, ſi infantes adoleſcerent. Reciprocatio quæſtionis, unde ille ſit. An aliquid damnoſi ſine ullo fructu alicui infligi poſſit. Cavillum Animadverſoris retuſum. Comparatio à nobis inſtituta, vindicata ex ipſo Animadverſore. Declinatio objectorum pro libitu illi exprobrata. Lenitatis Animadverſoris emblema. Querela de repetitis reſponſionibus abſterſa. Digreſſiones & aliena à re cui noſtrûm imputari debeant. Schemata ſolemnia Animadverſori. An ingenui diſputatoris & accurati ſit pro arbitrio ſibi confutanda eligere. An petitio delectûs argumentorum juſta ſit. Convitia abſterſa. Iudicia Theologorum Celeberrimorum faventia Exercitationibus, oppoſita.

I. NOtum, Animadverſorem non tantùm Theſibus noſtris oppoſuiſſe Diſſertationem rhetoricam potius quàm Diſputationem, toris inſtructam & nervis, verùm etiam ſententiam de Gratia Vniverſali L. Argumentis, quæ *Erotematum* formà ipſi proponere placuit, adſtruere conatum eſſe, quæ quia præ aliis ſeligenda cenſuit, dubio procul præcipuum robur novæ iſtius Theologiæ credidit, & velut ἱερὸν λόχον, aut τείχη quædam ἀσάλευτα, quibus perrumpendis nulla ſufficeret induſtria, vis nulla. Illa verò argumenta omnia à nobis cum cura excuſſa fuêre in Exercitationum noſtrarum Appendice, vel Parte Tertia, & κατὰ πόδας confutata.

II. Quid verò à nobis oppoſitis reponit Animadverſor in Novo Opere? 1. Aliquot paginis rhetoricatur, oſtendendo æſtum animi ſui, multùm diuque ſe dubitâſſe, num quid reſponſionibus ad iſta Erotemata eſſet repoſiturus. An verò ille qui ſe ad confutationem integrarum Exercitationum mearum jam accinxerat, dubitare de eo in progreſſu Operis debuit? An hoc reſpondere eſt, & integrè quidem, bonam partem eorum diſſimulare quæ opponuntur? 2. Rationes aliquot partim falſas, partim futiles adfert, cur ſibi reſpondendum primò non cenſuerit. Conſcientiæ verò ſuæ obloquitur, dum inquit, *pleraque omnia quæ in eis adverſus doctrinam de gratiâ univerſali diſputantur, in Animadverſionibus ſpecialibus vel fusè à ſe tractata, vel obiter perſtricta fuiſſe ut vix quid deſideretur in eorum refutatione.* At præterquam quod de quam plurimis quæ ibi proponuntur, alibi ſermo non eſt, vel ſola locorum Scripturæ conſideratio Animadverſorem convincit aſſertionis apertè falſæ. Multa enim ibi Scripturæ loca in Erotematibus propoſita excutiuntur & vindicantur, quæ ne tanguntur quidem ab Animadverſore in ſpecialibus Animadverſionibus. Nec quicquam aliud deſidero, niſi ut Lector collatis Reſponſionibus noſtris ad Erotemata, & Specialibus iſtis Animadverſionibus pronuntiet de candore iſtius Diſputatoris. Ominosè cæteroquin & verè dicit multa *obiter* à ſe eſſe perſtricta, & valdè *obiter* quidem. At ſolidè & accuratè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

confutanda ea erant, non obiter. 3. Addit, ſe *tria Erotemata accuratiſſimè defendendo,* ſatis oſtendiſſe quid præſtiterim in reliquis, & me *iiſdem eluſionibus, apagogis* & *cavillationibus perpetuò uti.* Id verò perquàm egregium, ad tria capita reſpondere è quinquaginta propoſitis, eſſe ad omnia reſpondere, & Adverſarium triumphatum obtorto collo ducere! Pone etiam, in tribus illis capitibus alicubi minus feliciter à me diſputatum, quod tamen haudquaquam probat Animadverſor, ut ex ſingulorum Examine conſtabit; an ob id ſequitur, nihil à me alibi opportunè vel ad rem dictum, quod mereretur hujus Herois conſiderationem vel curas? *At ſæpe eſt olitor verba opportuna loquutus.* Nec qui alicubi ceſpitat, ubique ceſpitat. Si tria illa etiam ad deciſionem Controverſiæ iſtius maximè pertineant, ut vult, reliqua Erotemata prætermittenda erant Animadverſori, & nequicquam ab eo propoſita fuêre. At quia ſemel ea extrudere voluit, vel vadimonium deſerendum erat, vel Pergama iſta tuenda. *Iiſdem me uti perpetuò reſponſionibus*, quod pro ſuo more, ut molliſſimè dicam, per merum convitium affirmat, falſum, & ex collatione à me dictorum revinci poteſt. Vel etiam Erotemata ipſius diverſa ſunt, vel non. Si diverſa non ſunt, cur ea multiplicata voluit, & lentem dividere in vaſta conchâ: ſin diverſa ſunt, quî, cum ad ea reſpondeam κατὰ πόδα, fieri poteſt, ut eaſdem reſponſiones ad diverſa argumenta perpetuò ſubjiciam? Niſi quando illa inter ſe quandoque coincidunt, & Animadverſor nobis eadem aliis verbis reponit. Aliàs certo ſenſu, iiſdem reſponſionibus aliquem uti, improbandum non eſt, ſed probandum potius. Hoc enim ſignum eſt, eum ſibi conſtare, nec à ſeipſo abire, modò ſimul certum ſit, reſponſiones iſtas eſſe probas & ſolidas. 4. Teſtatur, ſe noluiſſe meo more Lectores *defatigare ad languorem uſque.* Et hæc reſponſionis non inſtituendæ πρόφασις egregia! Imò ſi ſine digreſſionibus laciniosis & convitiis ad mea reſpondere inſtituiſſet, minori volumine quàm quod evulgavit, rem tentare poterat, ſi non conficere. 5. Addit, *tantam molem rerum* ſurrecturam fuiſſe, ut nemo inter Gallos ſit adeò χαλκέντερος, quem non deterrere potuerit. Hoc ipſo verò ſe ipſum caſtigat, non eadem ſemper repetita fuiſſe, ſed *molem rerum,* diverſarum utique, aliàs enim molem non facerent, occupandam ſibi fuiſſe. Non verò tam defugit laborem, quàm deſperavit, ſe à me dicta ullâ probabilitatis etiam ſpecie ſæpe carpere poſſe, pauciſſimis reſponſionibus exceptis, ubi videbatur majorem habere facilitatem copias ſuas explicandi, & meditationes diu paratas extrudendi. Gallis etiam ſuis convitium facit, quaſi impatientes eſſent operæ, & impares accuratiori rei alicujus inquiſitioni, quod facere non debuit. Sunt enim, ut de aliis viris Illuſtribus & Eximiis in iſta gente nihil dicam, inter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

ter Theologos Gallos Magni & Graviſſimi Viri, qui ut accuratè, ſic prolixè ſimul ſcribunt, & totum argumentum ſuum exhauriunt, quales fuêre retrò inter alios *Calvinus, Beza, Sadeel, Chamierus* & ſunt hodieque è Theologis Clariſſimis Gallis *Molinæus, Rivetus* uterque, *Falcarius, Mareſius, Blondellus, Albertinus, Bochartus*, alii, qui dum nihil inexcuſſum relinquunt, quod non confutent, ſive ab Adverſariis occupatum ſit, ſive id occupent ipſi, prolixitatem evitare haudquaquam potuêre. Quin tales & innumeri alii Galli Viri Illuſtres complures verè ſint χαλκέντεροι hoc ſenſu, negari haudquaquam poteſt. Subjicit, *delectum à ſe inſtitui non potuiſſe, quin gloriarer de reliquarum reſponſionum incolumitate, quanquam pleraque extra rectæ diſputationis orbitam evagentur.* Meritò verò non glorior quidem, ſed doleo, ita jejunè hoc penſum exequutum eſſe ſublimem iſtum Diſputatorem, ut pleraque à me propoſita ne attigerit quidem, nedum confutârit, adeóque eo ipſo oſtenderit, quo ſe redactum ſæpe ſenſerit. Nec ullius judicii homo cenſebit paginas digreſſionibus fartas alienis à re, ſufficere ad ovationem vel triumphum. *Reſponſiones meas plerunque extra orbitam rectæ diſputationis evagari* probandum erat, non aſſerendum tantùm. Imò eò minus operoſa futura fuiſſet earum confutatio Animadverſori, ſi res ita ſe haberet. 6. *Satius ſe putaſſe*, addit, *illam propè infinitam rerum inutilium copiam omittere, quæ ipſæ per ſe diffluerent, quàm delectu aliquo inſtituto præbere ſuſpicionis materiam, firmiora à ſe præterita eſſe, infirmiora ſelecta ad triumphum.* Quid compendioſius ad gloriam hoc vincendi genere, quàm ſolo contemptu difflare copias ſibi oppoſitas! Quis non cerdo, vel diobolaris Doctor Φιλωνίδου etiam ἀπαιδευτότερος ſic ſplendidè triumphare novit? Scilicet κώνωπος ἐλέφας οὐκ ἀλεγίζει! Bonum verò factum, quod cordatis omnibus non tantùm iniquâ iſtâ agendi ratione quam ſæpe ſequutus eſt ſuſpicionem paſſim injecit deſerti vadimonii, ſed apertiſſimè oſtendit, ſe deſperâſſe accuratam ad ſingula reſponſionem. Plaudat itaque ſibi quantum volet Roſcius noſter, & φοιτητὰς aliquot ſibi obnoxios habeat, qui complodant manum, & Magiſtri ſui victorias canant, theatro erudito iſtâ agendi ratione nec cauſam ſuam, nec ſuum candorem unquam probabit. An verò à me oppoſita vel *inutilia* ſint, vel *per ſe diffluant*, Lectoris, non Animadverſoris judicio decidendum erit.

III. *Rationes oppoſitas* oſtendit, quibus ſe inductum profitetur, ut reſponderet ad ea quæ Erotematibus ipſius oppoſita à me fuêre. At quia conſilium poſterius ſe amplexum profitetur poſt diuturnum animi æſtum, fruſtranea eſt tota illa de inſtituto priori rhetoricatio. Diſſimulat verò apud Lectorem, ſe Epiſtolâ primò dicteriolis totâ fartâ conſtituiſſe

reſpon-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

reſpondere, & jam à Typographo Salmurienſi aliquot folia typis exſcripta fuiſſe, quæ cum ne amicis quidem ipſius ſatisfacerent, nec vel exſpectationi, vel cauſæ ullo modo ſatisfactura viderentur, tandem ἀέκοντι γε θυμῷ ſe ad prolixiorem confutationem Exercitationum mearum accinxit. Hoc itaque conſilium, & maſculum iſtum partum non debemus inſtituto Animadverſoris, ſed convitio amicorum, & importunis eorum flagitationibus, quibus tandem ceſſit, ut patebit ex ſequentibus. Fatetur verò, ſe animadvertiſſe, niſi ad illa reſponderet, id conjunctum *futurum fuiſſe cum aliqua labe exiſtimationis ſuæ, & cum cauſæ ipſius detrimento.* At ſi hoc verum, à me oppoſita talia non erant, *quæ per ſe diffluerent:* ſin talia erant, ſine labe exiſtimationis ſuæ pati poterat, illa præterfluere. Satis verò ipſa mole Operis nobis oppoſiti oſtendit, neceſſariò ſibi occupandum fuiſſe hoc penſum, nec id omitti potuiſſe, nec ita levia eſſe argumenta mea, quæ confutatione operosâ etiam eſſent indigna. Nec ſanè illa pro talibus habita à Summis etiam Viris, & in Gallia ipſa, & extra eam, quod & ipſe agnoſcere cogitur, & quod jecur hominis etiam Theologi non parum uſſit. Tangit verò hîc Helenam ſuam, pro qua pugnat revera, *exiſtimationem* nimirum *ſuam.* Cujus, in publicis etiam congreſſibus, haudquaquam vel immemor fuit vel incurioſus. Abſque hoc fuiſſet, pro nova iſta Theologia nunquam laborem tertium & decimum ſubiiſſet hic Hercules. 2. Ad hoc etiam ſe adductum ait *virorum prudentiſſimorum vocibus.* Et ſanè abſque iis fuiſſet, Animadverſor copias omnes ſuas domi continuiſſet. Vt ut enim ad ſcribendum ſe propenſum fateatur, excitandus tamen fuit, & cogendus fermè, ut aliquid moliretur, ea una cauſa fuit Epiſtolæ bombis & flatu tantùm refertæ revocandæ. Iiſdem Amicis tribuit, quod non ad ſingula Erotematibus ipſius oppoſita reſponderit, quaſi, qui Epiſtolam aliquot philyrarum duntaxat opponere privato arbitrio conſtituerat Operi meo, fartum ex eo facturus fuiſſet, niſi interceſſiſſent Amici, quibus tamen unis debemus Animadverſionum molem! At vel hoc conſilium ipſi dandum non erat, vel ab ipſo non adoptandum, quod non poterat non oſtendere cauſæ ipſius apertam imbecillitatem. An enim verbi gratiâ loca Scripturæ ſacræ ab eo mihi objecta, & à me vindicata, non tuenda ipſi erant, & ad argumenta mea reſpondendum, quibus oſtendi, haudquaquam illa quicquam pro gratia univerſali facere? Quod ipſum tamen obiter admodùm facit & perfunctoriè, etſi in iis diſputationis totius fundus ſit. Intereà digreditur paſſim ad *Calvini* commentationes nobis opponendas, quaſi magnorum etiam virorum dicta omnia forent αὐτόπιστα (quamvis Calvinus revera in ea in qua eſt ſententia, quod nunquam demonſtrabit, fuiſſet) prætermiſſo locorum Scri-

pturæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

pturæ examine accurato. Quod an Theologi ſit ſolidè veritatem quærentis, judicabunt omnes, quippe cujus baſis una Scriptura eſt, & eſſe debet. 4. Fugam ſuam tandem tegit brevitatis obtentu, & Lectoris, cui utrique ſtuduerit ne faſtidium pareret. Sic omnia declinari potuiſſent, nec quicquam putidius iſto ſchemate, ubi de divina authoritate (non humana, in qua talia declinare licet) agitur.

IV. Magnam ſuorum Erotematum partem ex iis teſtimoniis Scripturæ ſumptam fatetur, quæ gratiam in Euangelio oblatam iis omnibus faciunt communem, quibus annuntiatur. Reponi verò à me frequenter, inquit, ex iis probari non poſſe gratiam Vniverſalem. Et meritò quidem, quia ipſe fatetur, inſanum eſſe qui dicat, Euangelium omnibus prædicari. Et innumeri ante tempora illa, ut addit ipſe, periêre, & illâ ipsâ hujus œconomiæ periodo è vita rapiuntur, quibus non innoteſcit. Ad hoc verò in Secunda parte Animadverſionum Specialium ſe reſpondiſſe dicit. Cur itaque hîc id occupat incaſſum? *In eo uno ſe niti*, addit, *ut gratiam quæ in Euangelio proponitur non ad electos ſolummodò, ſed etiam ad non electos quibus annuntiatur, pertinere demonſtret. Id verò ad hypotheſin meam labefactandam ſatis eſſe.* Imò id ſatis non eſt, quia de Gratia Vniverſali diſputamus, & hoc Thema tum in Theſibus à me impugnatum, tum ab Animadverſore defenſum, tum titulo operis ipſius præſcriptum in quo defendere voluit contra Theſes meas, gratiam & miſerationis Patris, & redemptionis Filii, & vocationis eſſe univerſalem. Nec conceſſo etiam, quod non concedimus, gratiam Euangelii ad non Electos quoque pertinere, concludi poſſet Animadverſoris inſtitutum, ſed tantùm, illam eſſe latiorem, quàm à me propoſita fuit, univerſalem haudquaquam. Solenne verò Animadverſori, in toto hoc opere vela obliquare, & loco defenſionis Gratiæ Vniverſalis, quam tuendam ſuſcepit, & quæ eſt κρινόμενον noſtrum, manifeſto imbecillitatis cauſæ ſuæ indicio, deflectere ad Thema aliud, quod majori ſpecie urgeri poſſe cenſet, ſuper iis quæ non electis aliquibus, vocatis tamen externè per verbum, communia videntur. 3. Argumentum de liberis gentilium (quibus nec verbum, nec τὸ γνωστὸν proponi potuit ſimpliciter) cavillo eludit, ſe non *detenturum Lectorem diutius in umbrarum iſtarum depulſione.* Omnem enim Dei diſpenſationem circa ſalutem hominum pertinere *ad adultos per ſe & primariò, ad infantes ſecundariò tantùm & conſequenter*, quod ſint tantùm *partes* & *appendices parentum*. Elumbem iſtam reſponſionem accuratè excuſſimus & confutavimus cap. XIV. Partis Primæ. Falſum etiam, diſpenſationem Dei circa ſalutem pertinere *per ſe* & *primariò* ad adultos tantùm. At Scriptura de Jacobi ſalute, Eſavi exitio, pronuntiat, quum eſſent adhuc in utero mater-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

no: Eoſque ut παραδείγματα electionis & reprobationis conſtituit. Sic promiſſiones Dei æquè ad liberos fidelium parentum, ac ad parentes ipſos pertinent. An etiam diſpenſatio Dei circa ſalutem non pertinet per ſe & primariò ad illos quos Deus ſibi ſanctificat ab utero? Imò diſpenſatio iſta primò & per ſe pertinet ex æquo ad omnes illos qui ſunt & fœderati & ſalvandi. Et quum æqualem ponat tum prædeſtinationem tum redemptionem conditionatam, vel voluntatem ſaltem Dei talem, ejus objectum ex æquo ſunt omnes omninò, qui ut individua ad genus humanum pertinent, vel iſta voluntas, & beneficia illam conſequentia æqualia non erunt. 4. *Vmbras* illas ſe non tam facilè, ut videri vult, *à ſe abigere*, ſatis docet, dum hoc argumentum reſumit, & oſtendit ſe ne ſibi quidem ipſi in ſuperiori confutatione ſatisfeciſſe proponendo diverſam Dei σχέσιν, *unam, quâ pro ſua* φιλανθρωπίᾳ *res pertinentes ad ſalutem hominum procurat, alteram quâ orbis terrarum rector atque moderator eſt in eis quæ ſpectant ad generis humani ſocietatem conſervandam & gubernandam. Priori reſpectu, Deum ea ſalutis media hominibus ſuppeditare quæ liberis eorum juxta cum illis offerrentur ſi adoleſcerent, quia deſtinata ſunt univerſaliter omnibus. Poſteriori, multos infantes è numero vivorum eximi, antequam adoleſcant, quia ſic è re eſſe judicat ſocietatis humanæ. Quâ in re,* addit Animadverſor, *& bonum ſe ſe oſtendit erga homines, quorum commoditatibus iſtorum morte conſulit, & erga infantulos illos ita ſe gerit, ut ſi ex eorum conſpectu ſublatum eſt objectum, quo certum erat, fore ut abuterentur ad majorem ſuam perniciem, non habeant cur de eo conquerantur.* At 1. σχέσις iſta φιλανθρωπίας, nimirum communis & univerſalis, qualem intelligit Animadverſor, Deo ab eo affingitur, non probatur, & eſt ipſum κρινόμενον. 2. Vtut iſtæ σχέσεις diſtinguerentur ſano ſenſu, una tamen ex illis tribui non debet Deo, eo modo quo evertit alteram. Pone verò, φιλανθρωπίαν Dei ex una parte erga ſingulos peccatores tendere ad eorum ſalutem; ex altera verò Deum infantes gentilium naturaliter & neceſſariò corruptos, ex decreto ἀμεταϰινήτῳ, adoleſcere non ſinere; annon ſemper ſequitur talibus omnia prorſus media ad ſalutem interverti? Adeóque poſterior σχέσις, per quam ſtatuitur Deus ut rector univerſi infantes illos tollere antequam adoleſcant, evertit priorem de talibus ſalvandis, & de univerſali propoſitione mediorum ſufficientium ad ſalutem in ordine ad omnes & ſingulos homines. 3. Quàm parùm ſano judicio hîc uſus fuit Animadverſor, dum dicit, Deum ex gentilibus de quibus agitur media ſuppeditare, *quæ liberis eorum juxta cum illis offerrentur; ſi adoleſcerent.* Eo ipſo enim incurrit in ſe ipſum, & fatetur, talia media illis nec offerri nec oblata eſſe, quia non adoleſcunt, & quia Deus vult eos non adoleſcere. Adeóque Deus qui non vult illos adoleſcere, non vult

illos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

illos eſſe in eo ſtatu in quo ulla illis media ſalutis poſſint offerri. Iſta itaque diſpenſatio tollit omnino φιλανθρωπίαν illam univerſalem & ejus exercitium. Si quis diceret, Pharaonem voluiſſe ſub una σχέσει liberos Iſraëlitarum ad ſplendida munia in aula ſua evehi, ſub conditione ſi hoc vel illud præſtarent adulti, & tamen ſimul eum voluiſſe ſub alia σχέσει illos in profluentem projiciendos curare in prima infantia, nec permittere ut adoleſcerent, ille vix ſe, vel Principem ejuſmodi tueri poſſet à meritiſſimis dicteriis & juſtiſſima inſectatione. Et tamen, ſi Animadverſori credimus, Deus voluit id genus infantes ad beatitudinem evehi, ſub condine, ſi adulti hoc vel illud præſtarent, noluit tamen eos adoleſcere, imò eos in herbâ oppreſſos voluit. 4. Deſtinata eſſe etiam illa media omnibus univerſaliter, falſum eſt, & implicat contradictionem: *Abſolutè* ſanè ea iis deſtinata non eſſe, ex eo patet quia non adoleſcunt; *ſub conditione* ea iis deſtinata eſſe, ſi adoleſcant, ridiculum pariter eſt, quia Deus decrevit eos è vivorum numero eximere, antequam adoleſcant. 5. Non eſt quæſtio, an id ſit *è re ſocietatis humanæ*, ſed an hoc ſit *è re* infantium illorum? Et an Deus id *è re* eorum eſſe velit? Et an Deus talibus, quibus propter humanæ ſocietatis bonum vitam adimere vult antequam adoleſcant, ſalutem velit, & media ſalutis ulla ſuppeditet? 6. Nec ſatis, media iſta offerri parentibus, quia infantes illi in ſe peccatores & rei cenſentur, objecta in ſe damnationis, quibus tamen media ſalutis nulla, ſed tantùm parentibus eorum obtingere ſupponuntur. An verò illi obſtare poſſunt, vel ne naſcantur ex parentibus id genus, vel ne parentes illorum negligant iſta media, vel ne eximantur è numero vivorum, antequam adoleſcant? 7. Peccatur denuò *ignoratione elenchi*. Nec enim quæſtio, an ſic Deus bonum ſe ſe oſtendat erga homines, quorum commoditatibus iſtorum morte conſulit, ſed an infantibus illis quos in prima ætate exſtingui vult, ſalutem velit, & iis media ulla ad eam perveniendi ſuppeditet? Imò eo ipſo quia iſtorum morte in tenerrimâ ætate conſulit reliquorum commoditatibus, fatetur, eos abripi in ſtatu, in quo nullorum prorſus mediorum ſunt capaces. 8. Εξαγώνιον etiam, infantes iſtos non habere cur de Deo conquerantur; nec hoc quæritur. Id verò quæritur, annon omnia media illis denegata ſint ad ſalutem. Iſtam verò difficultatem nulla ſubtilitate eludere unquam poterit Animadverſor. Et ipſe fateri cogitur, ex eorum conſpectu ſublatum eſſe objectum, & omne quidem. 9. Nec juvat dicere, certum fuiſſe, futurum ut eo abuterentur ad majorem ſuam perniciem, ſufficit nobis, nullum planè objectum illis fuiſſe manifeſtatum, adeóque gratiam objectivam non fuiſſe nec eſſe univerſalem, quod eſt κρινόμενον noſtrum. Quî etiam factum, quod in hoc

 ſtatu

ſtatu naſcerentur, in quo futurum erat, & infallibiliter quidem, ut abuterentur objecto ſibi propoſito, ſi adoleſcerent? An illi poterant vel impedire iſtam corruptionem, vel eam emendare ulla ratione? Et, an talibus malitia affectata, qualis Animadverſori impotentia moralis eſt, adſcribenda eſt? Et annon omnia quæ ad eorum nativitatem ita corruptam pertinent evenêre ex diſpenſatione Dei, & quî ullo modo potuêre ſalvari, qui tales? 10. Si etiam certum, fore, ut abutantur objecto gratiæ ad majorem ſui perniciem omnes qui non ſunt electi, ut fatetur, adeóque id non tantùm utile illis eſſe non poteſt, ſed etiam damnoſum eſt, & non poteſt non eſſe, vel caſtiget ſe Animadverſor vel ſua verba ſibi applicet: *Quis ferat quemquam ex ulla re magnum damnum accipere debere, ex qua nullum omnino emolumentum capere poteſt?* Ne ferat ergo hoc Animadverſor, vel emendet iſtam Dei diſpenſationem, & doceat homines eam non ferre! Præter hos ſanè de quibus agimus, plurimi adulti ex non regenitis, neceſſariò ex vocatione per verbum majus damnum accipere ab ipſomet cenſentur, ſine ulla perceptione emolumenti, ne poſſibili quidem, ob corruptionem ſuam moralem.

V. Addit Animadverſor; *ſe præterire pardos, Æthiopas, leproſos & mortuos, quòd jam ſint eliminati:* At non pro imperio, ſed ratione ſunt eliminandi; nec prætorio edicto hæc cauſa agitur vel ſupercilio, ſed argumentis, qualia nobis nunquam exhibebit, quæ examen accuratum ſuſtinere poſſint. Ipſe ſanè, ut demonſtravimus, fateri cogitur, dari comparationem reſpectu talium in eo in quo à nobis inſtituitur duntaxat, *quatenus eventus utrobique æquè certus eſt, & reſpectu futuritionis æquè neceſſarius.* Eliminata verò ſimilia iſta cupit Animadverſor, ædilitatem ſibi ſumens ſine ſuffragio, quia abſurditatem cauſæ ipſius renudant, & docent eum πρὸς τ̃ ἥλιον τετραμμένον λαλεῖν. *Conditiones non præſtabiles* etiam *ſe ne reſpecturum quidem* dicit, ſingulari ſanè prudentiâ. Scilicet σχοινίον φεύγει τὸ μεμιλτωμένον! Et ſanè obſtructâ rimâ unâ impotentiæ moralis, ὀυδ᾽ ἔγκαφος λέλειπται Animadverſori: An hoc etiam Diſputatoris ingenui, & qui Adverſarium ſuum catenatum triumphatumque ſe ducere gloriatur, pro arbitrio ea eligere quæ *reſpiciat* in confutatione, prætermiſſis pro arbitrio iis, quibus δοκὸς τέτυκται. Importuna ſanè talia ſæpe viſa Animadverſori, ſed qui ſe iſtâ indagine cinctum videbat undiquaque & vix rimam proſpiciebat ad fugam: Quod inquit: *Feram ſe inſectari,* dum me inſectatur, non inſectabor. *Lenitatis* iſta Chriſti ſunt emblemata. Si cæteroquin vel ſemel ſolidè refutet à me dicta, repetitionem reſponſionum non urgebo. Demonſtratum verò denuò à nobis, peſſimæ notæ eſſe reſponſiones allatas in prima Animadverſionum parte, adeoque vel ipſe ingenuâ confeſ-
ſione

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

ſione erroris ſe triumphatorem oſtendet, quod vix ſperare nobis licet ab ipſius ingenio, & quæſitâ tam anxiè retrò exiſtimatione; vel alia ipſi excogitanda erunt, quæ cauſam labentem fulcire poſſint. Nequicquam enim quiritatur, me eadem ſæpiùs inculcare. Si enim bona ſint, non peribit illorum robur, quamvis repetantur: ſin mala, cauſam noſtram proſtitutum ibunt, & Animadverſoris negotium commendatum. Sed id prius ipſi demonſtrandum erit. *Permiſcere* verò *me multa ad rem minimè pertinentia*, docere debuit inductione exemplorum. Judicabit verò Lector cordatus, quis noſtrûm ad rem pertinentia dicat, quis aliena à re, & meras digreſſiones, quavis occaſione captet. Et ſi à talibus Animadverſionum opus expurgandum foret, tumida iſta moles tota concideret. Certum interea, & æquè clarum, ac Solis radii eſſe ſolent, quum ſudum eſt, eum patientiam Lectorum non fatigare, ſed enecare propemodùm, non digreſſionibus duntaxat creberrimis, ſed etiam repetitionibus continuis ſuarum opinionum, & diſtinctionum, & ſeſquipedalibus ampullis, quibus ſe triumphatorem paſſim infert magnâ cum pompa. Reſponſiones ſe *delectu facto* aggreſſurum pollicetur, *quæ plus roboris habent*. Eſtne verò Diſputatoris candidi delectum facere pro arbitrio confutandorum, ſi & integra ab eo exigatur confutatio, & ille ipſe eam μετὰ πολλῆς φαντασίας polliceatur (quod ſæpe jactabundus facit) imò ſi glorietur, nihil à ſe prætermiſſum. Adoptionem verò quod ſpectat, quam mihi defert, ut eligam quamlibet reſponſionum mearum partem, injuſta illa eſt & iniqua, quippe qui omnes reſponſiones meas ſolidas eſſe cenſeo & optimæ notæ. Totam ergo molem tantus heros vel expugnare debuit, vel aggredi ſaltem. An verò *tergiverſationibus* rem geſſerim, an verò argumentis, an nihil ſit *vanius meis argumentis*, vel an illa *indigna* ſint *vero genio Theologorum*, judicabunt alii. Judicârunt per Dei gratiam de iis aliter præcipuæ Orbis Reformati Academiæ, & Celeberrimi totius Europæ Theologi, quorum judicia non obnoxia quæ penes me habeo, pluris facienda quàm hominis æſtuantis & extra ſe rapti impetigo, vel *lauros ſuas marceſcere dolentis* indignatio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

CAPVT II.

Vindiciæ Reſponſionum ad I. Erotema.

An ex iis quæ de temporariis dicuntur Hebr. VI, 4. *probetur Gratia univerſalis?*

BREVIARIVM Capitis ſecundi.

REgeſta ab Animadverſore ad reſponſiones noſtras. Conſideratio triplicis eventûs prædicationis Euangelicæ. Elenchus παρὰ τὸ ἑπόμενον *impactus Animadverſori. An rejicientes omninò prædicationem Euangelii, vel ad tempus eum admittentes ſalvificâ fide eam excipere poſſint. Inconſequentia Animadverſoris notata. Ignoratio elenchi oſtenſa. Quî dicantur homines* ἀνασταυροῦν ἑαυτοῖς *Filium Dei. An verborum Apoſtolicorum conſideratio ſit jejuna grammaticatio. Temeraria Animadverſoris aſſertio. Quid* τὸ φωτίζεσθαι *multis è Veteribus. Quid* φωτισμὸς *&* αἱ ἡμέραι τῶν φώτων. *Inconſequentia alia notata. Exceptio de aliquibus non electis confutata. An credant temporarii, Chriſtum pro ſe mortuum, & an hoc ſit à Spiritu Dei. Quî veritas Euangelii quadantenus admittatur à multis. An ad quamvis admiſſionem veritatis ſit neceſſaria vis Spiritus. Calvini verba retorta in Animadverſorem. Diſtinctiones luminis* convincentis, coërcentis *&* convertentis. *An* donum cœleſte *hîc ſit Apoſtolo juſtificatio in morte Chriſti. Argumentatio* à non diſtributo ad diſtributum *impacta Animadverſori. Dogma* ἀθεόλογον *Animadverſoris de juſtificatione. An ſermo Apoſtolo de* potentiali *&* conditionatâ *juſtificatione. Inconſequentia alia notata. An* ἡ δωρεὰ τοῦ Θεοῦ *ſemper deſignet juſtificationem. An Spiritus ad Hebr. 12. ſit Spiritus conſolator & ſanctificator. Oppoſitum demonſtratum. Calvinus adverſus Animadverſori. An Spiritus ſanctificator obtingat deficientibus à Chriſto. Quî tales participes dicantur Spiritus S. An Spiritus conſolator præcedat Spiritum ſanctificatorem. Quid denotet* bonum Dei verbum. *Quid pariat ejus guſtus. An omnes qui guſtant Euangelium, habeant ſuave divini erga ſe amoris teſtimonium. An* virtutes futuri ſeculi *non poſſint eſſe virtutes miraculorum. Quî OEconomia Meſſiæ deſignetur à Iudæis. Quid ſit* οἰκουμένη ἡ μέλλουσα. *Quî hoc ſeculum dicatur futurum. Quis deſignetur guſtus ab Apoſtolo. Quorum donorum fuerint vel non fuerint participes illi de quibus ſermo Apoſtolo. Annon Electi eadem dona dicantur imbibiſſe cum electis. An externa doctrina ſalutaris eſſe poſſit non electis. An dicendum temporarios tantùm* non æquè *imbibiſſe eadem dona cum electis. Oppoſitum in appoſito ab Animadverſore ſtatutum. Graduale, non ſpecificum diſcrimen poſitum inter electos & temporarios ab eodem. Ignoratio elenchi notata. Quî idem verbum proponatur & non proponatur electis. Quo ordine proponatur verbum Euangelicum. An non electi poſſint recipere ſemen in bona terra. An ſub intentione ſalutis illis proponatur. An dicendum, non electos poſſe bene recipere ſemen,* ſi velint. *Exceptio iſta confutata. Aſſertio falſa Animadverſoris. Verba ejus contradictoriè oppoſita verbis Chriſti. Falſa ſuppoſitio, initia veræ conſolationis ac ſanctificationis in temporariis dari. An guſtus non electorum oriatur ex perſuaſione de Chriſti morte. Contradictio Animadverſoris in adjecto de perſuaſione non perſuaſione. Chriſtum non mortuum eſſe pro non electis probatur. Candor in Animadverſore deſideratus. Truncata ab eo & diſſimulata multa. An vera poſſit*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

poſſit eſſe conſolatio vel ſanctificatio quæ ſolida non ſit. An initia utriuſque ſint ſine complemento. An temporarii guſtent divini erga ſe amoris teſtimonium. Guſtus duplex diſtinctus. An nemo poſſit eſſe particeps Spiritus S. ſine aliquo ſanctificationis tentamento. Diſtinctus ſenſus univocus & æquivocus. Conſolationis vel gaudii temporariorum initia. Varia Exempla. An ea ſint ex paternæ Dei indulgentiæ ſenſu. An perſuaſio de Deo in Chriſto placato fuerit, vel potuerit eſſe univerſalis. An omnis perſuaſio de re vero ſemper nitatur fundamento. An Deus temporariis Chriſti ſatisfactione verè placatus fuerit, vel non. An ejus rei perſuaſio in illis poſſit eſſe à Spiritu Dei. Convitium de contradicendi ſtudio, abſterſum. Contradictio Animadverſoris notata. Quî temporarii dicantur peccare in Spiritum S. An ex noſtra ſententia deſinat hîc commemorari peccatum maximè horribile. A quo Spiritu deſciſcant temporarii. An deſciſcant à perſuaſione, mortem Chriſti pro ſe obitam eſſe. An deponatur à fideli perſuaſio Spiritus S. de morte Chriſti pro ſe obita. An temporarii verè talem habere potuerint, ſecundùm ipſum Animadverſorem. Falſa opinatio diſtinguenda à perſuaſione fidei. Quî temporarii ſpernant remiſſionem peccatorum. An verum ejus habeant ſenſum. Quale officium eorum qui verbum audiunt. An remiſſio peccatorum ad temporarios pertineat ſub conditione. Connexionis alia ratio, alia partium connexi. Illi etiam peccare poſſunt in doctrinam de remiſſione peccatorum ad quos non pertinet. An abſurdius ſit, omnibus incumbere pœnitentiam quàm fidem. Nodus ab Animadverſore nexus ipſimet ſolvendus. An Apoſtolus ſupponat, Chriſtum ſemel crucifixum fuiſſe pro temporariis. Παρερμηνεία *aperta verborum Apoſtoli in Animadverſore notata. Quo ſenſu dicat, tales Filium Dei* ἀνασταυροῦν. *Vera phraſeos iſtius expoſitio defenſa. Temeraria Animadverſoris aſſertio caſtigata. Contraria, oppoſita. Senſus cauſalis verborum Pauli. Locus ad Hebr. x. nequicquam allegatus ab Animadverſore. Calvini commendatio. Cui noſtrûm faveat. Abſurda varia interpretationi Animadverſoris impacta. Interpretatio alia evertens totam Animadverſoris argumentationem. OEconomia Dei circa electos.*

I. EROTEMA *primum* à Diſſertatore propoſitum à nobis accuratè expenſum fuit Parte III. Exercitationum à pag. 1720. ad p. 1731. & reſponſionibus variis partim *oſtenſivis*, partim *apagogicis* confutatum. Quæ ut conſulat Lector, & cauſæ intereſt, & id ejus ſeriò & ſanctè actæ fiducia me ab eo flagitare jubet.

II. Quid ad ſingula Animadverſor? 1. Oſtendit prolixè, ex quo pendeat vis argumentationis primo Erotemate comprehenſæ, nimirum ex eo quod Scriptura doceat, *prædicationem Euangelii triplicem eventum ſortiri*: Vel enim recipi per veram fidem, quod in electis contingit, vel omnino rejici, quod fit à multò maxima parte non electorum, vel aliquatenus admitti à nonnullis, quorum quia fides fluxa eſt, nec perſeverat uſque ad mortem, *temporarii* nuncupantur. In poſtremo hoc hominum genere quoſdam repertos, de quibus Apoſtolus loquatur Hebr. vi, 4, 5. quibus tamen acciderit, ut ab Euangelio deſciverint. At 1. Quæ conſequentiæ ratio; ſi dentur quidam qui aliquatenus admittunt prædicationem Euangelii, & qui fidem fluxam habent: Ergo datur Gratia univerſalis?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

ſalis? Iſtud enim thema eſt quod probare debent Erotemata, ſi reſpondeant ſcopo Auctoris ſui, & titulo operis. An verò fides illa omnium non electorum eſt, vel eſſe poteſt ex diſpenſatione Dei? At ne ipſe quidem hoc affirmare auſit. 2. Ille qui vel rejicit omnino prædicationem Euangelii, vel qui ad tempus illam aliquatenus admittit, vel verâ ac ſalvificâ fide prædicationem illam excipere poteſt, potentiâ morali, ſecundùm Animadverſorem, vel non: ſi prius, poſſunt non electi fieri electi, & reprobi ſalvari, & aliqui poſſunt venire ad Chriſtum, quos tamen Pater non trahit, & credere quamvis non ſint ordinati ad vitam æternam, & mala arbor poteſt bonos fructus ferre. Si poſterius, haudquaquam Deus illis Euangelii prædicationem proponit ad ſalutem, vel eos per eam vult ſalvari. 3. Quæ ſequela: ſi temporarii ſunt illuminati: Ergo ſibi perſuadent vel Deum ſe velle ſalvari, vel Chriſtum pro ſe mortuum?

III. 2. Addit: *Quando tales ab Euangelio deſciſcunt*, ἀδύνατον εἶναι αὐτοὺς ἀνακαινίζειν εἰς μετάνοιαν, *ejuſque rei rationem hanc reddi, quòd Filium Dei* ἀνασταυροῦσιν ἑαυτοῖς, *& exponunt ignominiæ.* At 1. *Quid* hoc ad Gratiam Vniverſalem facit, quod tales non poſſint revocari ad pœnitentiam? 2. Quî tales dicantur Filium Dei ἀνασταυροῦν ἑαυτοῖς, ex phraſeos ab Apoſtolo adhibitæ, & locorum parallelorum collatione à nobis demonſtratum p. 1728. 1729. Quibus nihil aliud opponit Animadverſor, niſi eſſe *jejunam grammaticationem:* Nomenclationem iſtam revera merentur pædagogicæ illæ crepundiæ & ſcruta, quibus duas Partes ſpeciminis ſui oppleta voluit, quæ multùm ſanè faciunt pro gratia univerſali probanda. Loci verò Apoſtolici, & verborum Apoſtoli ſeria conſideratio ad argumentum noſtrum directè faciens Animadverſori eſt *jejuna grammaticatio. Contra ſenſum* verò *omnium Interpretum & Theologorum quotquot ſunt vel fuêre inter veteres atq; recentiores, me hîc ire* temerè affirmat, cùm ne decimam quidem eorum partem vel viderit vel noverit. Auctoritates humanas congerere hîc proclive foret, niſi conſtitutũ nobis in hoc Opere eſſet ex humana authoritate non diſputare.

IV. 3. Subjicit: *Illuminari, eſſe vi aliquâ Spiritus Dei veritatem Euangelii quadantenus admittere.* At 1. An & hoc Veterum omnium & Recentiorum interpretum gloſſema eſt? Atqui multi τὸ φωτίζεσθαι ſumpſêre hîc pro βαπτίζεσθαι, prout φωτισμὸς & φώτισμα ſumitur apud Veteres pro βαπτισμῷ & αἱ ἡμέραι τῶν φώτων, dies baptiſmales, baptiſmo olim adminiſtrando deſtinati dicebantur, ut Paſchale & Pentecoſtale feſtum. Sic ἐμφώτειον ἐσθῆτα vocat *Gregorius* veſtem, quâ indui ſolebat ὁ φωτισθείς. 2. Demus, *illuminationem* intelligi. Quæ conſequentia? Si aliqui non electi vi aliquâ Spiritus Dei veritatem Euangelicam quadantenus admittunt. Ergo datur gratia univerſalis. An verò omnibus vel proponitur veritas Euange-

Euangelica, vel an illuminantur omnes? Si excipiat, ſatis eſſe aliquos non electos eam admittere: præterquam quòd non concludat inſtitutum ſuum de gratia univerſali probanda, abſque quo omnia alia nequicquam probantur, proclive nobis regereret, ex eo non ſequi vel Deum voluiſſe tales ſalvari, vel tales ſibi perſuaſiſſe, vi Spiritus Dei, Deum voluiſſe ſe ſalvari. Vt ut enim Spiritus S. operatione communi in illis aliquod produxerit lumen, non ſequitur tamen evanidam illam opinionem, *ſe ſalvandos*, fuiſſe à Spiritu Dei, quum ipſo eventu pateat, illam falſam eſſe. Quamvis ne hoc quidem conſtet, temporarios eam habere. 3. An etiam veritatem Euangelii *quadantenus* admittere eſt ſtatim credere Chriſtum eſſe pro ſe mortuum? Atqui illi poſſunt veritatem Euangelii *quadantenus* admittere, qui credunt, ſalutem non eſſe in lege, in Synagoga, in Gentilitate, ſed in Meſſia, & illum Meſſiam eſſe Jeſum Nazarenum, & omnes in eum credentes ſervandos. Imò iſtius doctrinæ veritas admitti ſæpè poteſt *theoricè*, ſine ulla vi Spiritus Dei, prout Diabolus eam admittit, & agnoſcere cogitur, eam veriſſimam eſſe. An verò iſtam fidem quam Jacobus tribuit dæmonibus, dicemus productam à Spiritu Dei?

V. 4. *Calvini* verba adducit Animadverſor, quæ nos non feriunt, imò pro nobis ſunt, quia enim *cæci ſunt homines, donec Chriſtus illis affulgeat*; cæci fuêre, & manſêre, omnes exſtincti in gentilitate, quibus Chriſtus non affulſit, nec aliter ſe habere potuêre, idque ex decreto Dei, quos utique ſalvari noluit. Adde, ſupponi, non probari, omne lumen quo Chriſtus affulget mentibus virtute Spiritus ad ſalutem ſufficere. At datur ſæpe lumen aliquod *convincens* aliud *coërcens*, non electis, electis verò ſolis lumen *convertens*. Nullum verò poteſt eſſe ſalutare niſi ultimum. Et nulli ſalutem Chriſtus vult, cui non vult affulgere lumen ultimum.

VI. 5. *Donum cæleſte*, inquit, eſſe *juſtificationem in morte Chriſti*, quæ Rom. v. ἡ δωρεὰ τοῦ θεοῦ nuncupetur. Quo nihil abſurdius. Nam 1. Argumentum ducitur *à genere ad ſpeciem* affirmativè, vel *à non diſtributo ad diſtributum*. Tales dicuntur particeps redditi doni cæleſtis: Ergo juſtificationis in morte Chriſti. Vel, juſtificatio in morte Chriſti eſt donum cœleſte: Ergo ubi de dono cœleſti ſermo, ibi intelligitur juſtificatio. At plura alia æquè ſunt dona cœleſtia ac juſtificatio. 2. Quid magis his ἀθεόλογον? Si enim temporarii illi participes ſunt facti doni cœleſtis, & donum illud cœleſte ſit juſtificatio in morte Chriſti. Ergo tales fuerunt juſtificati in morte Chriſti: At defecerunt poſtmodùm, & fuêre damnati: Ergo juſtificati in morte Chriſti poſſunt damnari, & juſtificatio non connectitur nexu inſeparabili cùm glorificatione? Nec ſermo de *potentiali vel conditionatâ* juſtificatione: verba enim Apoſtoli abſoluta ſunt, & docent actua-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

lem receptionem doni iſtius cœleſtis. 2. Quæ conſequentia etiam? Paulus Rom. v. per δωρεὰν τοῦ θεοῦ intelligit juſtificationem in morte Chriſti. Ergo & hîc? At & alibi ἡ δωρεὰ τοῦ θεοῦ alio ſenſu ſumitur, verbi gratiâ Act. VIII, 20. Quaſi verò notitia & guſtus aliquis doctrinæ Euangelicæ non ſit etiam donum cœleſte!

VII. 6. Addit; Notum eſſe ex Euangelio, quid ſit Spiritus ille cujus participes eſſe dicuntur; nempe *Spiritus conſolator*, & *Spiritus ſanctificator*, iis omnibus indultus qui Euangelium recipiunt. Mira verò Animadverſoris fiducia de ſtupore Lectoris! At id haudquaquam ex Euangelio notum, vel Spiritum ſemper deſignare ſpiritum *conſolatorem*, & *ſanctificatorem*, ut Ciceronianè loqui placet Animadverſori; vel iis omnibus qui ſpiritus participes dicuntur, obtingere Spiritum *conſolatorem* & *ſanctificatorem*, quaſi non alia dentur dona Spiritus magis communia, vel quaſi quævis Euangelii receptio hoc Spiritu fiat! Iſte verò Spiritus quem *conſolatorem ſanctificatorem* vocat, Filiorum Dei peculium eſt. Si conſuluiſſet etiam Animadverſor Calvinum in hunc locum, vidiſſet id quod vult omnibus notum eſſe, tanto Interpreti hîc ignotum fuiſſe. An hoc etiam Orthodoxæ Theologiæ axioma eſt, Spiritum *ſanctificatorem* obtingere illis qui poſtmodum deficiunt totaliter & finaliter, à Chriſto, nec inſtaurantur? At ſanctificationis donum perpetuum eſt, & conjunctum cum glorificatione, & ubi Deus ſemel incipit bonum iſtud opus gratiæ, ibi etiam id perficit ad diem uſque Domini. Cur non potius dicamus, tales participes fuiſſe factos Spiritus ſancti, ſecundùm dona communia etiam non electis, verbi gratiâ quod linguis loquerentur, prophetarent, &c. de quibus Spiritus donis ſermo Apoſtolo 1 Cor. XII, & XIV. Equidem ſi Calvinum inſpexiſſet in locum illum Animadverſor, obſervaſſet, Deum dare Spiritum regenerationis, adeóque ſpiritum *ſanctificatorem*, nec enim alius eſt, *electis*, & eos hoc ipſo differre à reprobis. Cur etiam Animadverſor præponit ſpiritum *conſolatorem* ſpiritui *ſanctificatori?* At hic præcedere debet & actu præcedit. Nec enim ſolida conſolatio, niſi poſt ſanctificationis ſenſum.

VIII. 7. Addit, Calvinum rectiſſimè explicare, quid denotet *bonum Dei verbum*; notari enim diſcrimen Legis & Euangelii. Quamvis hîc æquè recedere poſſemus à Calvino, ut Animadverſor ab eo recedit in verborum antecedentium expoſitione, hoc nos non ferit, & dabimus libenter, Euangelium deſignari, & tales dici guſtâſſe Euangelii doctrinam vel ob novitatem, vel ob ſuavitatem ſummam, vel ob liberationem à jugo legalium ceremoniarum, vel ob alia id genus. Quid inde? An verò, quia Calvinus inquit, Euangelium eſſe *ſuave divini erga nos amoris & indulgen-*

tiæ

tiæ teſtimonium, ſequitur, omnes illos qui guſtant Euangelium quovis modo, ſentire ſuave divini erga ſe amoris teſtimonium? Illud verò liberaliter admodùm de ſuo ſupponit Animadverſor. Nec enim omnes illi, qui aliquomodo percipiunt rem aliquam, percipiunt id omne quod eſt in re. Imò quia tales *guſtum* tantùm aliquem habent, hoc eſt, primordia quædam cognitionis Euangelicæ, id non habent, quòd nonniſi veram applicationem iſtius Euangelii per fidem ſequitur. Annon Herodes etiam habuit guſtum aliquem boni Dei verbi, quando cum gaudio audivit Johannem? Annon Judæi etiam multi Joh. v, 35? An & illi habuêre in ſe, & ſenſêre ſuave divini erga ſe amoris teſtimonium?

IX. 10. Subjicit, *ſecundùm Calvinum ſignificari, guſtu virtutum futuri ſeculi nos admitti in regnum cœleſte, ut beatam immortalitatem, quæ ſenſus noſtros latet, ſpiritu cernamus.* At 1. An de eo dubium, *in nobis* guſtum virtutum futuri ſeculi hoc efficere, vel in eo guſtum illum reſpectu *noſtri* conſiſtere; quæſtio eſt, an idem reperiatur in omnibus qui guſtum aliquem habent virtututum futuri ſeculi? 2. Quid? ſi per *virtutes futuri ſeculi* cum Chryſoſtomo & Interpretibus aliis eximiis intelligamus τὸ θαύματα ἐπιτελεῖν, *virtutes miraculorum* quæ obtingebant multis etiam hypocritis & quæ vocantur *virtutes futuri ſeculi*, hoc eſt, œconomiæ N. Teſtamenti, vel Meſſiæ, quæ à Judæorum Magiſtris interdum appellabatur עולם הבא vel עולם עתיד לבוא hoc eſt, *mundi venturi*, renovandi, cui mundo & promiſſæ & reſervatæ veluti erant iſtæ virtutes. Sic cap. 11, 5. οἰκουμένη ἡ μέλλουσα, ſumitur pro Eccleſiâ Novi Teſtamenti. *Futurum* verò dicitur hoc *ſeculum*, non reſpectu illorum, qui tum vivebant, ſed reſpectu Patrum, qui id & futurum credebant & ſperabant, & iſtâ fiduciâ ſe erigebant, & hoc nomen obtinet per ἀντίθεσιν ad ſtatum Teſtamenti Veteris, cujus œconomiâ durante ferebant jugum ἀβάστακτον. 3. Demus etiam, intelligi guſtum quendam immortalitatis & gaudiorum cœleſtium, quæ proponebant præcones Euangelii doctrinam iſtam ſalutarem amplexantibus, an ob id ſequitur, quicunque capiebantur interdum, deſultoriâ quâdam ratione, deſiderio iſtius felicitatis, illos fide in regnum cœleſte admiſſos fuiſſe, & beatam immortalitatem ſpiritu, ut oportet, intuitos eſſe. Et ſanè τὸ γεύσασθαι bis hîc adhibitum à Spiritu ſancto, oſtendit ſuperficiariam duntaxat perceptionem talium ſubjecto iſti tribui, prout & τὸ *guſtare* opponitur ſufficienti applicationi vel perceptioni Matth. xxvii, 34. & ii Reg. iv, verſ. 40.

X. Quid verò ex his infert Animadverſor? *Fuerunt ergo*, inquit, *iſti temporarii, de quibus eo loco agitur omnium iſtarum rerum participes aliquatenus.* Fuerunt ſanè, ſed quarum & quatenus & quî oſtenſum. Et ſupponitur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

non probatur, ullorum donorum adoptionis, & propriorum electis temporarios, ſi tales hîc intelligantur, unquam fuiſſe participes. Deſcribuntur verò hoc modo ab Apoſtolo, quia γεῦμα aliquod illorum habuêre, quæ revera Apoſtolus proponit, non quæ illi affinguntur, ut notet, tales & Chriſto nomen dediſſe, & Euangelium profeſſos eſſe, & de eo multa noviſſe, & ſuper eo gaviſos eſſe, ſed gaudio evanido, ut Chriſtus docet in parabola, Matth. XIII, 20. Radicem tamen tales non habuêre, adeóque nunquam veræ fidei facti fuêre participes. Addit Animadverſor, *iſtos ea omnia non æquè cum electis imbibiſſe, & electorum illuminationem ſingulare quid habuiſſe, quo fit ut à temporariis non gradu tantùm, ſed etiam ſpecie vocationis diſcernantur.* At 1. Iſta dona vel ſunt dona adoptionis, vel non; Si ſunt, nulli ſunt communia qui non vel adoptatus ſit, vel adoptandus, adeóque qui non ſit electus. Sin talia non ſunt, non ſunt eadem dona cum donis quæ imbibuntur ab electis. Idem quidem ſemen eſt, hoc eſt, eadem doctrina externa quæ proponitur multis non electis, etſi ſuo ordine & gradu; quia verò recipi non poteſt ſalutariter niſi in bona terra, nec terra bona eſſe poteſt niſi à Spiritu S. talis reddita per vocationem efficacem, & tractionem ad Chriſtum, externa ſementis ſalutaris eſſe non poteſt ulli qui non redditur terra bona à Spiritu S. Et quem talem reddere non vult, illum non vult ſalvari. 2. *Illuminatio* de qua Apoſtolus hîc loquitur, *guſtus doni cœleſtis, participatio ſpiritus S. guſtus boni Dei verbi & virtutum futuri ſeculi*; vel ſunt dona ejuſdem ſpeciei & naturæ cum donis electorum, vel non. Si ſunt dona ejuſdem ſpeciei & naturæ, debent habere radicem & non deficere, & ii qui ea habent non poſſunt eſſe temporarii. Sin talia non ſunt, non poſſunt eſſe ſalutaria, nec Deus illos ſalvari vult, quibus illa tantùm vult obtingere. Non ergo tantùm temporarii non *æquè* imbibêre cum electis eadem dona, ſed planè non imbibêre eadem dona, minus perſuaſionem de morte Chriſti veluti pro ſe obitâ. Nec illuminatione tantùm electi diſtinguuntur à non electis, ſed & tractione & ſanctificatione. 3. *Oppoſitum* ſtatuit Animadverſor *in oppoſito*. Si enim in eo tantùm ſit diſcrimen inter temporarios & electos, quod non *æquè* talia imbiberint, & quòd electorum illuminatio, ſingulare quid habeat, quo diſcernatur ab illuminatione temporariorum, non *ſpecie vocationis*, ſed *gradu* tantùm different. Et ſanè, quum in utriſque, ſecundùm Animadverſorem, detur φωτισμὸς, γεῦμα, participatio Spiritus *conſolatoris & ſanctificatoris*, teſtimonium ſuave divini erga ſe amoris, admiſſio per fidem in regnum cœleſte, non poteſt *ſpecificum* ſed *graduale* tantùm diſcrimen inter electos & temporarios conſtitui, quòd dona illa deficiant in temporariis, perſeverent verò in electis. Negat itaque hoc tantùm verbis

Animad-

Animadverſor, amoliendæ invidiæ, ne hac etiam in parte videatur idem cum Remonſtrantibus ſentire & dicere, quamvis reipſâ gemina eorum dogmatibus tradat.

XI. Addit: *Ipſum Chriſtum in ea parabola in qua deſcribit temporarios hoc diſcrimen inter eos & verè fideles conſtituere, quòd hi verbum, Euangelicum ſcilicet, & quo gratia continetur, recipiunt in bonam, in illis ſemen iſtud vivificum ſuperficiem tantùm occupat, ex qua mox erumpit cum aliquo gaudio, at quia non ſatis altas radices habet, confeſtim exareſcit.* Atqui 1. Quæſtio non eſt, an idem verbum utriſque proponatur, electis & temporariis, ſed an eâdem intentione & eodem fine à Deo, ut utrique ſalventur, quod in quæſtione eſt? 2. Quæſtio etiam eſt, an utriſque proponatur, ut credant Chriſtum pro ſe eſſe mortuum? quod ſupponitur, non probatur. Hactenus verò verbum idem illis proponitur, nimirum, ſalutem non eſſe quærendam in ceremoniis, vel operibus legalibus, ſed in Meſſia, illum eſſe Jeſum Nazarenum, omnes in eum credentes ſervandos. Hoc verbum Euangelicum primò proponitur, haudquaquam verò promiſſio ſingularis, ut credat Petrus vel Paulus, verbi gratiâ Chriſtum pro ſe eſſe mortuum, nec illa locum habet, niſi ubi prius verâ fide exceptum fuerit. Illa itaque communiter proponuntur electis & temporariis, non verò ultimum iſtud. 3. Quia Deus novit electos tantùm poſſe eſſe bonam terram, & ſe velle illos duntaxat talem reddere; ſalutariter verò hoc ſemen excipi non poteſt niſi ab illis qui ſunt bona terra, ſequitur, Deum iſtud ſemen non ſerere cum intentione ſalutis, niſi reſpectu talium. Et vel non electi poſſunt recipere ſemen iſtud in bona terra, vel non: Si prius, non ſunt temporarii; ſi poſterius, non cum intentione ſalutis id iis proponi poteſt. Si *excipias*: illos id poſſe facere *ſi velint*, nihil niſi mera verborum ſpumâ circumagetur Lector. Quæſtio enim recurrit, an id velle poſſit non electus; Si poteſt, electus erit; ſi non poteſt, fruſtrà hoc dicitur. Hoc enim velle poſſe, præſupponit bonam voluntatem, bona voluntas vocationem efficacem, vocatio efficax electionem. Nec ſermo hîc de potentia volendi *phyſicâ*, quæ etiam in diabolis eſt, ſed de conſtitutione ejus *morali*, hoc eſt, de ejus rectitudine. 4. Et quia lumen iſtud in talibus non tantùm meram ſuperficiem occupat, ſed etiam non poteſt non ibi hærere, iis ad ſalutem proponi non poteſt, non magis quàm ſemen poteſt ſeri cum intentione ut germinet ſuper petram, quum fieri non poſſit ut ſaxum penetret. Etſi enim impotentia diverſa conſtituatur, ſemper tamen eventus idem in utriſque conſequetur, & incorrigibiliter quidem per naturam, ut iſta ſeminatio nunquam bonum fructum proferat. 5. Nec tantùm ſemen in talibus exareſcit, quia *non ſatis altas radices* habet, ſed quia nullas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

habet, Chriſto diſertè negante, tales *radicem habere.* Contradicit itaque Animadverſor Chriſto, id affirmando, quod Chriſtus expreſsè negat. Si Chriſto credimus, tales *radicem non habent*, ſi Animadverſori, radicem quidem habent, imò radices, ſed *non ſatis altas.* An hîc hærendum homini, qui nondum pudorem omnem decoxit, cui credendum ſit?

XII. Ex his, inquit Animadverſor, ſe hoc Erotema confeciſſe; *Quum initia conſolationis ac ſanctificationis quæ ſunt in temporariis, non poſſint aliunde eſſe quàm ex eo quòd illis aliquatenus perſuaſum fuit, Chriſtum pro ipſis eſſe mortuum; & perſuaſio iſta non potuerit aliunde eſſe quàm à Spiritu Dei, quæritur quomodo id illis Dei Spiritus perſuaſerit, ſi verum non eſt?* At 1. Ex antedictis iſtud Erotema confici non potuit, putrido quippe tibicine fultum, quum nulla initia *veræ* vel *conſolationis* vel *ſanctificationis* in temporariis dentur. 2. Nec quod in iis eſt γεῦμα ex eo oritur, quod illis *perſuaſum aliquatenus* fuit, Chriſtum pro ſe eſſe mortuum. De hoc enim ne verbum quidem Apoſtolus habet: Adeóque falſum eſt, Spiritum Dei id illis perſuaſiſſe. 3. Contradictio ponitur *in adjecto*, id iſtis *aliquatenus perſuaſum* fuiſſe; At vel id illis planè perſuaſum fuit; vel omninò perſuaſum non fuit, quum perſuaſio de re aliqua non detur, quæ non plena ſit. 4. Si etiam Chriſtus pro talibus mortuus eſt, vel verè pro illis mortuus eſt, vel non: Si verè, ſemper pro iis mortuus erit in quocunque ſtatu ſint, etiam quando deficiunt, ac ſic damnari nequeunt. Imò ne deficere quidem poterunt, quia oves Chriſti, Chriſto non eripiuntur, diligit enim ille ac cuſtodit ſuos ad finem: Sin non verè pro illis mortuus eſt, non debet dici pro iis mortuus eſſe. Conditionatæ mortis rima retrò obſtructa fuit Animadverſori, nec mors Chriſti à conditione, ſed iſta ab illâ pendet.

XIII. Quid hîc Animadverſor? An candidè mecum agit, & à me oppoſita ſincerè vel proponit, vel examinat? Nihil minùs. Delibat quæ vult, truncat & diſſimulat quæ non vult. Conſulat Lector à me reſponſa à p. 1720, & videbit fidem ac candorem Animadverſoris. 1. Inquit, me negare in temporariis ulla eſſe *ſolida* initia conſolationis, & ſanctificationis, quia ſi ſolida haberent, perſeverarent. Et meritò quidem ita à me exceptum. Quid opponit? *De ſoliditate, quæ perſpicitur in perſeverantia, hîc non agi, ſed tantùm de reipſa, num aliqua veræ conſolationis & ſanctificationis initia experiantur.* At 1. Agitur de *vera* conſolatione & ſanctificatione, illa verò non poteſt non eſſe ſolida, adeóque & perſeverans ubi eſt; vel ergo de ea non agitur, vel de dono ſolido agitur, adeóque & perſeverante, quod cùm non cadat in temporarios, nec vera conſolatio vel ſanctificatio in illos cadit. 2. Vbicunque ſunt initia veræ conſolationis & ſanctificationis, ibi ſequitur complementum. Quia ubi incipit Deus

iſtud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

iſtud bonum opus gratiæ, ibi id perficit, & quibus Chriſtus eſt ἁγιασμὸς, illis etiam eſt ἀπολύτρωσις, quibus eſt ἀρχηγὸς, illis etiam eſt τελειωτὴς τῆς πίστεως. Nec vera datur ſanctificatio, quæ non ſit perſeverans, adeóque quæ non ſit *ſolida.* illa enim demum talis eſt, quæ *radicem habet*, quæ verò talis, illà eſt in terra bona, fructum conſtantem profert, & non deficit.

XIV. Addit. *Quisquamne poteſt, vel guſtare divini erga ſe amoris & paternæ indulgentiæ teſtimonium, atque adeò ſeveritati Legis oppoſitum, ſine aliquibus conſolationis primordiis, vel eſſe particeps Spiritus Sancti ſine aliquo ſanctificationis tentamento?* Atqui 1. Humana nobis gloſſemata opponit, non verbum divinum, quod ſolum αὐτόπιστον, reliqua omnia ἀλλόπιστα. 2. Supponit, temporarios guſtare divini erga ſe amoris & paternæ indulgentiæ teſtimonium, & quod de *nobis* Calvinus dicit, trahit Animadverſor ad *omnes.* 3. *Guſtus* eſt vel ἐπιπόλαιος, hærens velut in ſuperficie, mera opinatio, eaque fallax de amore Dei erga ſe, vel *radicalis* fundatus in fiducia vera. Alius *apparens, verus* alius. Prior in temporarios cadere poteſt, poſterior non item. Vt itaque duplex guſtus, ſic conſolatio duplex, una vera, alia apparens. Quoties verò peccatores cum Micha ſe ſolantur quaſi Deus ſibi ſit propitius, quando minimè propitius eſt! Qui intereà verè guſtat guſtu poſteriori divini erga ſe amoris, & paternæ indulgentiæ teſtimonium, veram conſolationem ſentit. Qui non verè guſtat, nec veram conſolationem ſentit, nec ſentire poteſt. 4. Nihil falſius, quàm neminem poſſe eſſe participem Spiritus Sancti, ſine aliquo ſanctificationis tentamento. At Spiritus Sancti etiam fuerunt participes *Saul, Iudas* & hypocritæ varii, donis linguarum, prophetiæ, & aliis id genus inſtructi, qui tamen nullum ſanctificationis in ſe habuêre tentamentum. Id enim vel in *ſenſu æquivoco* dicitur, & nihil facit ad rem, vel in *ſenſu univoco*, ut intelligatur vera ſanctificatio, qualis eſt electorum, & nullum ejus tentamentum datur, quod non perficiatur. Vbi enim Spiritus adoptionis ſemel ingreditur, ibi ſtationem figit, & manet in æternum, ſecundùm dona nimirum ſalutaria. Vbi incipit bonum opus, ibi id perficit.

XV. Addit: *Me negare & irridere, quicquid illud eſt, ex eo profectum eſſe, quod talibus aliquatenus perſuaſum fuit, Chriſtum pro ipſis eſſe mortuum. Quî pote igitur,* inquit, *ut quiſquam vel guſtet conſolationis initia, ex paternæ indulgentiæ ſenſu orta, atque adeò aliquo modo regni cœleſtis poſſeſſionem mente atque animo antecapiat, quin aliquatenus perſuaſum ei ſit, Deum ſibi eſſe Chriſti ſatisfactione placatum?* At 1. Non hoc à nobis vel cavillis exceptum, vel convitiis, quod ſolenne Animadverſori, ſed rationibus. 2. Demonſtratum, unde initia ſive conſolationis, ſive gaudii alicujus (non ſanctificationis) in temporariis oriantur, exemplo allato p. 1722. 1723. & rationibus ejus

rei

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

rei variis adductis. Quæ omnia mirum quantum diſſimulat Animadverſor, quamvis clarè oſtendant, potuiſſe gaudium iſtiuſmodi in temporariis excitari, haudquaquam verò iſtam perſuaſionem. 3. Annon Gentiles multi conſolationis & gaudii de futura etiam felicitate ſua materiam uberrimam concepêre ex virtutum ſuarum moralium, integritatis vitæ, & heroicarum actionum ſuarum recordatione? Quot Judæi talem ſibi finxêre ex mera legis ceremonialis & externorum aliquot actuum obſervatione! Quot Muhametani & ſuperſtitioſi alii ex fictitiis ſuis cultibus! Quot Sociniani omne placamentum per Chriſti mortem rejicientes! Falſum ergo, quamvis conſolationem, quodvis gaudium id genus habere fundamentum ſolidum. 4. Supponit ſplendidè Animadverſor, temporarios ſuæ conſolationis initia guſtare ex *paternæ Dei indulgentiæ ſenſu, & ex regni cœleſtis poſſeſſione mente & animo antecaptâ*, cùm nôrit alia ejus rei fundamenta à me propoſita, & illa evertere debuerit, contrà probare id quod ponit ipſe fundamentum, antequam ex eo argumentetur. Certum equidem, multorum pectora & gaudio ac ſolatio aliquo præſenti perfundi, & idem ſibi in futurum polliceri, ſed vanâ pollicitatione, quamvis de fundamento Animadverſoris ne ſemel quidem cogitârint. 5. Temporarii illi vel verè ſentiunt *paternam Dei indulgentiam erga ſe*, & fide *admittuntur in regnum cœleſte, ut beatam immortalitatem ſpiritu cernant*, ut ante ex Calvino docuit Animadverſor, vel non. Si prius, revera ſunt Dei Filii, adeóque electi. Si poſterius, de illis hoc efferri non debet, nec id de iis intellectum voluit Calvinus. 6. Quî quæſo illi perſuaſum habere poſſunt, Deum ſibi eſſe Chriſti ſatisfactione placatum, quibus nunquam illa revelata, imò quibus revelari non potuit, ne per ætatem quidem! Illo itaque etiam dato, quod haudquaquam damus, & cujus contrarium oſtendimus, non ſequeretur univerſalitas redemptionis Chriſti. 7. Adde, non perſuaſionem omnem de re vero ſemper fundamento niti, vel aliquem *aliquatenus perſuaſum* ſine ἀκυϱολογία, imò ſine aperta contradictione dici poſſe, quod ipſi antehac impactum generosè diſſimulavit Animadverſor. qui enim de re aliqua perſuaſus eſt, vel planè de ea perſuaſus eſt, vel nullo prorſus modo perſuaſus dici debet. 8. Imò vel verè Chriſti ſatisfactione Deus temporariis placatus fuit, vel non. Si non fuit, malè id ſibi perſuadent, nec iſta perſuaſio Spiritum S. authorem habet. Si fuit, ſemper illis placatus manebit, adeóque illi nec deficient, nec damnabuntur. Cùm verò tales non manere in gratia ſupponantur, perſuaſio illa falſa fuit, & quia falſa fuit, Spiritum veritatis authorem habere non potuit. Si excipiat, Deum illis ſub conditione placatum fuiſſe, eo ipſo docet, Deum illis reverà placatum non fuiſſe, quia illos conditionem nec habere,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

habere, nec habituros, nec habere poſſe novit, futurum verò demum placatum, ubi conditionem habuerint, quam tamen nunquam habebunt.

XVI. *Denique*, inquit, *me falſum arbitrari, perſuaſionem iſtam non aliunde eſſe quàm à Spiritu Dei.* Addit: *Me præ contradicendi ſtudio non ſatis adverte-re, quid dicam: Quaſi quiſquam qui Euangelium audit, in animum ex eo ſuum inducere queat, Deum ſibi per Chriſtum eſſe placatum, niſi aliqua efficacitate Spiritus, & quaſi illi non dicantur peccare in Spiritum S. quia Spiritus S. eorum mentibus illuxit.* Atqui 1. Non tantùm hoc à me dictum, ſed etiam probatum, illam perſuaſionem à Spiritu S. nec eſſe, nec eſſe poſſe. 2. Contradicendi ſtudium in me nullum, ſed dolor ſerius, quòd contradicendum ſit, & quòd tot paradoxa infarciantur in Theologiam noſtram ab homine Orthodoxiam profitente. An verò non *advertam quid dicam*, Lectoris judicium eſto. Convitia & contumelias, vel dicteria rependere, noſtrum non eſt. 3. Falſum, concepiſſe plurimos temporarios gaudium, quod Euangelium illis tribuit ex ulla fiducia, Deum ſibi per Chriſtum eſſe placatum. contradictionem enim implicat, talem fiduciam habere, & temporarium eſſe, quum fiducia iſta vel ſit ipſa fides radicata, vel actus ejus. Quæ Apoſtolorum ipſorum aliquandiu hîc fuerit vacillatio, de hoc ipſo ſatis conſtat ex Hiſtoria Euangelica. 4. Vel talibus verè Deus per Chriſtum placatus ſtatuitur, vel non. Si verè, ſemper illis placatus manſit, & illi non fuêre temporarii. Sin minus, talium falſa perſuaſio non debet Spiritus S. operationi, minus efficacitati adſcribi. 5. Dicuntur ſanè tales peccare in Spiritum S. ſed non quia ſibi *perſuaſêre aliquatenus*, Deum ſibi eſſe placatum per Chriſtum. Quod gratis ſupponitur. Ideò verò in eum peccaſſe dicuntur, quia veritatem Euangelicam *theoricè* agnitam, imò in qua ſe gaudere erant profeſſi, negabant, odio habebant & perſequebantur. Spiritus S. illorum mentibus ſanè illuxit ad aliquam illuminationem, non verò ad perſuaſionem, Deum per Chriſtum iis fuiſſe placatum.

XVII. Addit: *In primis verò iſtud memorabile eſt, quod defectionem iſtam Apoſtolus eo loco deſcribit tanquam peccatum præ cæteris omnibus peccatis maximè horribile, cum tamen, ſi viro docto credimus, neque à Spiritu conſolante atque ſanctificante deſciſcant, neque perſuaſionem de morte Chriſti pro ipſis obita deponant, niſi falſam & temerè ſuſceptam; quâ in re laudem potius merentur quàm vituperationem: neque vel remiſſionem peccatorum ſpernant, vel ſpem beatæ immortalitatis abjiciant, quæ nihil ad ipſos attinebat. Tum & de eo quid fiet, quod cùm Apoſtolus tantam eſſe peccati iſtius atrocitatem prædicet, ut impoſſibile ſit eos ad pœnitentiam revocari, quia contempto ac veluti proculcato Chriſti ſacrificio, non*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

aliter ſervari poſſent, quàm ſi denuò pro illis crucifigeretur & exponeretur opprobrio? At vir doctus admirabilem illam rerum in Apoſtoli inſtituto connexionem diſſolvit ſcilicet, fretus neſcio qua jejunâ grammaticatione in particulam ἀνὰ, in qua it contra conſenſum omnium Interpretum & Theologorum, quotquot uſquam ſunt vel fuerunt inter veteres atque recentiores. Conferat, quæſo, Lector, hunc locum cum altero qui habetur, Hebr. x, 26, 27, 28. *& in utrumque legat Calvini Commentarium. Videbit quid inter duos illos Theologos interſit.* At 1. Exceptio iſta hauſta à Remonſtrantibus, quorum vitulâ hîc arat Animadverſor, quicquid obtendat. 2. Si intelligantur verba Apoſtoli *abſolutè*, & *ſubjectum* propoſitionis iſtius conſtituantur temporarii, non deſinit peccatum de quo hîc ſermo, eſſe *maximè horribile* præ cæteris, quamvis tales à Spiritu *conſolante*, vel *ſanctificante* non deſciſcant, à quo nemo deſciſcit. Satis, deſciſcant à Spiritu *illuminante*, mentem illorum convincente de veritate Euangelica, cor etiam tangente gaudio aliquo, ſed evanido, prout ſerium, verbi gratiâ, ſobrietatis præconium & commodorum ejus, ac incommodorum intemperantiæ repræſentatio interdum ebrioſos etiam afficit amore aliquo ſobrietatis, quamvis relabantur facile, occaſione datâ ad ἀσωτίαν ſuam, ut aqua celefacta ad ſuum frigus, quia calor illi adventitius, frigus naturale. 3. Quaſi verò peccatum talium deſinat eſſe *maximè horribile*, quamvis perſuaſionem de morte Chriſti veluti pro ipſis obita non deponant, ob *lumen convictivum* quod habent, & ob *guſtum* aliquem, quo affecti fuêre. De perſuaſione ſanè iſta, quod mors Chriſti pro ipſis obita ſit, ne verbum quidem apud Apoſtolum, quod tamen prætermittendum non erat, ſi illud beneficium ipſis fuiſſet indultum. Non opus itaque, ut tales id deponant, quod nunquam habuêre; ſatis, eos deponere id quod habuêre, extinguendo *lumen convictivum*, & ſuffocando guſtum & gaudium conceptum ex Euangelii doctrina. Supponitur etiam, perſuaſionem de morte Chriſti pro ſe obita verè conceptam & à Spiritu S. productam deponi poſſe. At iſta perſuaſio fides eſt, & quidem juſtificans, conſiderata in potiſſimo actu ſuo. Non magis itaque iſta perſuaſio deponi poteſt, quàm vera fides, quæ eſt ſemen incorruptibile, donum ἀμεταμέλητον, & perſeverans, quia Chriſtus eſt τελειωτὴς æquè ac ἀρχηγὸς fidei. 4. Imò, ne ex *hypotheſi* quidem Animadverſoris, tales perſuaſionem habere poterant de Chriſti morte pro ſe obita. nec enim *abſolutè* pro ipſis obita erat, ut notum, quippe qui ſupponuntur eſſe non electi, nec *ſub conditione* fidei, quia veram fidem nunquam habuêre. Nec magis ſi quæ de eo fuit opinatio in eorum animis, appellari debet vera *perſuaſio* aut fides, & cum *contradictione in adjecto*, *perſuaſio aliquatenus* talis, quàm opinatio illius qui naves omnes in Piræum appellentes ſuas cenſebat; vel

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

piſtoris Pharaonis, ſibi ex favente ſomnii ſocii interpretatione fingentis dignitatis ſuæ inſtaurationem; vel ſtolida cogitatio, quam Micha fovebat animo, Deum ſibi fore propitium ex inſtitutione ſuæ ἐθελοπερισσοθρησκείας. Vituperationem ſemper merentur tales, ob luminis *convictivi* exſtinctionem, & graves pœnas. Servus enim qui novit voluntatem Domini ſui, nec facit, pluribus plagis cædetur. 5. Remiſſionem peccatorum omninò tales ſpernunt, quatenus ſpernunt doctrinam, in qua ſola traditur, & in qua eam tradi vident, amplexando & præferendo cum Demâ præſens ſeculum, præſentia magis ſpectando quàm futura, & pluris faciendo externam nimirum quietis, opum, honorum, & aliorum id genus ſine Euangelio poſſeſſionem, quàm poſſeſſionem Euangelii ſine illis. Prout hodieque doctrina de remiſſione peccatorum à multis ſpernitur, qui in Eccleſia ſunt, quando illi cum temporariis iſtis peccata ſua ſæpe non ſentiunt, ſed ſtupore & lethargo quodam corripiuntur, vel abripiuntur ab illecebris carnis & mundo. Nec tales ſpernunt remiſſionem peccatorum, quaſi nôrint eam ſibi deſtinatam, ſed ſpernunt & rejiciunt per ſuam apoſtaſiam doctrinam in qua traditur ratio ejus conſequendæ. Et cùm in doctrina iſta non offeratur iſta remiſſio niſi verè reſipiſcentibus & credentibus, iſti verò nec tales ſint, nec tales ſe eſſe ſentiant, haudquaquam poſſunt verum ejus ſenſum habere. An verò ob id non peccant? Imò maximè peccant. debent enim omni ſtudio anniti, media adhibere, ut reſipiſcant, & ut ſic donum iſtud remiſſionis peccatorum ſuum faciant. Nec enim illis cogitandum de *decreto* Dei, ſed de *officio* ſuo, nec de iis quibus id vel deſtinatum, vel non, ſed de promiſſione quæ omnibus reſipiſcentibus & credentibus hoc beneficium exponit; prout qui in navi cum plurimis naufragis cum fluctibus colluctatur, & funem projectum videt, non debet anxiè quærere, an funis ſibi projectus ſit & deſtinatus, ſed eum apprehendere. Si excipiat Animadverſor, eo ipſo remiſſionem peccatorum ad tales pertinere, ſub conditione, adeóque gratiam univerſalem conditionatam admittendam. Obſervandum, id tantùm inde ſequi, eam pertinere ad omnes eam apprehendentes. At quia & apprehenſio illa exigitur, & Deus ejus gratiam non omnibus facit, illis ſolis eam deſtinat & vult, quibus gratiam eam apprehendendi largitur. Conſequentia cæteroquin datur, ſi tales apprehenderent quod proponitur, futurum, ut ſalvarentur, ob connexionem antecedentis & conſequentis, quæ nunquam à nobis negata, ſed potius retorta; prout dici poteſt, ſi ſaxum ex ſe adſcenderet, id fore leve; ſi formica impleret Theatrum, eam fore majorem mole elephanto. Cùm verò in argumento noſtro conſequens locum habere non poſſit, niſi poſito antecedente, & antecedens poni non poſſit, niſi ab iis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

qui trahuntur à Patre, & qui ſunt ordinati ad vitam æternam, ſequitur, Deum ſalutem talibus duntaxat velle. In eo itaque temporarii iſti ſemper peccant, quòd non faciant officium, quod eſt reſipiſcere, & per reſipiſcentiam quærere remiſſionem peccatorum. An Diaboli etiam non peccant, qui doctrinam de remiſſione peccatorum per doctrinam Euangelii omni modo oppugnant, quamvis illa ad eos nihil planè attineat? An qui conſpuunt & conſcindunt literas & diplomata regia, gratiam ſubditis offerentia, pœnam non merentur, quamvis beneficium literis illis contentum ad eos non pertineat? Quod verò de remiſſione peccatorum dictum, applicandum etiam ad *ſpem beatæ immortalitatis*. Abjicere ſanè doctrinam & deficere ab ea, de qua convictus es, eam eſſe viam ad immortalitatem, propter externa vel illicia vel terriculamenta, maximè horribile crimen eſt. Tales etiam nec nôrant, nec debent nôſſe, eam nihil ad ſe pertinere. Scire verò debent, eam pertinere ad omnes reſipiſcentes, & ſuum officium eſſe reſipiſcere, Deo verò relinquere arcana ſuæ Electionis. Et idem nodus expediendus Animadverſori, qui vult omnibus incumbere τὸ credere, Chriſtum pro ſe eſſe mortuum. At quum Deus fidem velit eſſe tantùm *electorum* ſuorum, nec illa aliunde haberi poſſit, quî omnes ſcire poſſunt, an Deus velit donum iſtud in ſe operari, & an ſint ex numero electorum? Annon ibi Animadverſor vult homines debere hærere in præſtatione officii, eventum verò Deo committere? Idem etiam & hîc occupandum ab iſtis temporariis. 6. Falſum, omnino Apoſtolum ſupponere, Chriſtum ſemel pro hominibus iſtis crucifixum fuiſſe, dum inquit, Tales ἀνασταυροῦν ἑαυτοῖς τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, & innuere, eos ſervari non poſſe, niſi denuò pro illis crucifigatur, quod nec verba Apoſtoli docent, nec verborum vel rerum connexio (quam fingit Animadverſor, non probat) nec ratio patitur. Nec enim ſermo de remedio neceſſario talibus ad ſui inſtaurationem, ſed ſermo de ſolo eorum crimine, quod tales ſibi crucifigant Filium Dei, hoc eſt, id iterum faciant, quantum in ſe eſt, quod ſemel fecêre Judæi, contumeliis & probris Chriſtum afficiendo per apoſtaſiam ſuam, recedendo à doctrina Euangelii, & eam inſectando, idque in ſuam perniciem. Et ſanè ἐπεξηγητικῶς ſubjicitur, quid ſit ἀνασταυροῦν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, nimirum eum παραδειγματίζειν, publicè traducere, & velut piaculum aliquod aut victimam odii publici proponere. Et ſanè verbum poſterius hîc eſt ἐξηγητικὸν prioris. Tales ad pœnitentiam revocari, impoſſibile eſſe, ab Apoſtolo dici, ἐξαγώνιον, tales etiam contemnere ac proculcare Chriſti beneficium, patet, haudquaquam verò, ut ſibi deſtinatum. Remedii itaque iſtius inculcatio, & *admirabilis* illa quam fingit Animadverſor, *rerum connexio*, merum figmentum eſt, alienum planè & à verbis

&

& à ſcopo Apoſtoli, qui ſimpliciter negat, tales poſſe revocari ad pœnitentiam, gravitate criminis illorum deſignatâ, quod ſibi denuo crucifigant Chriſtum, & eum ludibrio exponant. 7. An verò expoſitio noſtra appoſita ſit, quæ à nobis propoſita fuit p. 1728. 1722. ſuper verbo ἀνασταυροῦν & ſuper ſenſu, quo tales dicuntur Chriſtum ἀνασταυροῦν ἑαυτοῖς, an verò jejuna duntaxat ſit *grammaticatio*, tametſi ex Scriptura ipſa firmata, Lectoris æqui judicium erit, hîc enim Animadverſor judex ſedere non poteſt. Compendioſa ſcilicet confutandi ratio, contemptus eſt & ſupercilium. 8. Me hîc ire contra conſenſum *omnium interpretum & Theologorum, quotquot unquam ſunt vel fuerunt inter veteres atque recentiores* (ſi reverâ id facerem, quod tamen nunquam probatum dabit) haudquaquam mirum videri deberet Animadverſori, cui ſolenne, ab omnibus paſſim recedere, & ea fingere quæ nemini Orthodoxorum unquam cogitata vel ſcripta. Imò gratulari ſibi deberet, ſegregi ſegregem accedere, niſi ſibi ſoli indultum putat τὸ νοσφίζεσθαι, & nolit etiam hîc ſibi aliquid mecum commune eſſe. Mirâ verò ſui & Lectoris fiducia hoc ſplendidè aſſeverat, quum tamen plurimorum hujus loci Interpretum ne corticem quidem viderit unquam, nedum ſenſum nôrit, ut qui laborum aliorum contemptum potius profitetur, quàm lectionem, paucis exceptis, quos ſibi faventes credi vult. Intereà, ſi humana auctoritate, quam in toto hoc Opere unius compendii causâ defugimus, pugnare vellemus, nube Interpretum hîc obruere poſſemus Animadverſorem, qui hîc pro nobis faciunt, & hunc locum juxta nobiſcum interpretantur de temporariis, qui dona duntaxat communia habent, haudquaquam verò ſalutaria, & deficiendo ab illis graviter peccant, donec creſcente Dei judicio plenum in Spiritum S. peccatum admittant. Horum verò inſtaurationem impoſſibilem eſſe, ut qui eò impietatis progrediuntur, ut cum Judæis Filium Dei velut probro & contumeliæ exponant & traducant, ſed in ſuam perniciem; Talibus itaque Apoſtolum horrendum judicium denuntiare, & eo ipſo Hebræos ab hoc crimine deterrere velle. Et ſanè Interpretes multi verba illa Apoſtoli ἀνασταυροῦντας ἑαυτοῖς τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ in *ſenſu cauſali* accipienda cenſent, ut cauſa reddatur impoſſibilitatis reſtitutionis ὅτι ἀνασταυροῦσι καὶ παραδειγματίζουσι τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ καθ' ἑαυτῶν, adeóque eo deſignari ſcelus iſtorum hominum, non verò remedium quod illis inſtaurandis neceſſarium foret. Conſulat Lector Interpretes Orthodoxos pleroſque, & judicet de eorum vel conſenſu vel diſſenſu. Nos enim allegationibus humanis eum non morabimur, feſſum ſatis & enecatum propemodum iis quas in Animadverſoris Opere frequentius penè divinis, luculentius ſanè & magis anxiè pertractatas, paſſim reperit. 9. Loci ad Hebræos x. ſenſum eundem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

eſſe, fatemur, adeóque nec illum magis quàm iſtum qui exſtat, Hebr. VI. favere Animadverſori, quod proclive nobis foret demonſtrare, ſi compendio non ſtudendum nobis cenſeremus. Cùm vel inprimis ſatis habeat Animadverſor id affirmare, adeoque affirmationi ſimplici ſimplicem hîc opponere negationem ſufficiat. Vbi verò vires ſuas in loco iſto periclitari volet, habebit me ſibi obſequentem & Λύδον εἰς πεδίον. Calvini commentariorum prolixam diſcuſſionem ob cauſam datam prætermittimus, quamvis eum in ſumma rei pro nobis facere haudquaquam nobis operoſum eſſet demonſtrare. Sed præſtat in divina auctoritate, & quæſtione *juris* ſubſiſtere. Illa una rem decidit. Quid cæteroquin interſit inter Maximum iſtum virum, & me, ſine monitore toto animo agnoſco, nimirum illum fuiſſe ſummum Theologum, & eximium Dei ſervum, me inter minimos, & ex minimis eſſe. Conſenſum cæteroquin doctrinæ noſtræ cum doctrina Calvini longè majorem in hoc argumento eſſe, quàm Animadverſoris præter apertiſſima & plurima Calvini dicta, & totam doctrinæ ejus ἁρμονίαν & texturam, vel ſolæ Adverſariorum criminationes docent, qui ob iſtam quam tradimus de Prædeſtinatione doctrinam, potiſſimùm nos *Calvinianos* appellant, & eo nomine Calvinum acerbè flagellant. Peculiaris verò, quam publico exhibendam confidimus, operæ erit, id ex ipſis ſanctiſſimæ memoriæ Viri commentationibus & ſcriptis demonſtratum dare.

XVIII. His obſervatis conſtabit Lectori candido de primi Erotematis vel firmitate vel futilitate quod 1. Fingit initia veræ ſanctificationis & conſolationis in temporariis, non probat. 2. Fingit falſum fundamentum illis ſubſtratum, *perſuaſionem*, & quidem cum contradictione in adjecto, *aliquatenus* tantùm talem, Chriſtum pro ipſis eſſe mortuum, de quo ne verbum quidem habet Apoſtolus. 3. Fingit, perſuaſionem vel opinionem potius quam habent tales, à Spiritu Dei profectam eſſe, quam tamen eventus docet eſſe falſam, nec Chriſtum pro talibus verè eſſe mortuum, adeóque tale quid Spiritum S. authorem habere non poſſe. 4. Vniverſalitatem gratiæ non probat, & *ignoratione* apertâ *Elenchi* peccat, cum agatur hîc disertè de vocatis per verbum, innumeri verò ita vocati non ſint. Nec excipi poteſt, ſatis eſſe, id de aliquibus non electis probare. Aberratur enim ſemper à ſcopo quæſtionis & ab ejus ſtatu, qui eſt agere de Vniverſali gratia, quæ ſententia vel probanda erat vel deſerenda. 5. Imò tota iſta diſputatio & ducta ex hoc loco & ducta ex loco ad Hebr. X. ab Animadverſore à nobis verbo confutari poſſet, ſi cum multis Interpretibus dicamus, agi hîc ab Apoſtolo de Filiis Dei, & Electis, non quòd ſit futurum unquam, ut tales deficiant, ſed id proponi ne defi-

deficiant. Et ſanè nihil obſtat, quominus cum Interpretibus aliquot participium παραπεσόντας interpretemur *conditionaliter*, ſubintellectâ conditione, quod Græcis in iſto loquendi genere ſolenne, & id reſolvamus in phraſin iſtam ἐὰν παραπίπτωσι, vel ἐὰν παραπεσῶσι, ſi *prolabantur*, vel ſi ita prolabi eos contingat. Qualia loca in Scriptura non infrequentia ſunt, Filios Dei ſub graviſſimis comminationibus dehortantia à peccatis etiam illis, in quæ tamen, ne incidant, divina intercedit gratia, adeò ut illæ ipſæ minæ ſint medium potens, cujus interventu, Deus eos continet in officio, & impedit illorum lapſum. Quæ interpretatio etiam ex eo confirmari poteſt, quod Apoſtolus de Hebræis, quibus talia proponit, addat immediatè v. 9. *Sed perſuaſimus nobis de vobis meliora iſtis, & cum ſalute conjuncta, etiamſi ita loquamur.* Sive itaque *ſubjectum* Aphoriſmi Apoſtolici cum Animadverſore hîc conſtituamus *temporarios*, ſive cum aliis *electos*, ſive συγχωρητικῶς reſpondeamus, ſive ἀρνητικῶς, nihil plane pro cauſa Animadverſoris ex verbis iſtis Apoſtoli exſculpi poteſt.

CAPVT III.

Vindiciæ Reſponſionum ad II. Erotema.

An ex verbis Iohannis 1 Joh. v. 9, 10, 11, 12. *probari poſſit doctrina de Gratia Vniverſali?*

BREVIARIVM Capitis tertii.

INnutilis repetitio notata, & oſcitantia in deſcribendis verbis Ioannis. Ignoratio elenchi obſervata. Verba Animadverſoris retorta. Particularitas gratiæ ex iis oſtenſa. Ἐξαγώνια *multa propoſita. Quî non credentes Deum accuſent mendacii. Retorſio verborum Animadverſoris contra gratiam univerſalem. An omnes dici poſſint rejicere Filium & vitam. Aliud, vitam rejicere, aliud, non habere. Senſus verborum Iohannis oſtenſus. Quæ ex iis haberi poſſint, expenſa. Elenchus diviſionis notatus. Falſæ Animadverſoris ſuppoſitiones. Quî increduli Deum faciant mendacem. Exceptio de morte conditionali confutata. An Diabolus etiam Deum non faciat mendacem. Contradictio Animadverſoris notata. Iohannem loqui de credentibus oſtenſum. An Deus teſtetur omnibus vocatis per verbum, Chriſtum ipſis eſſe deſtinatum Mediatorem. Ordo obſervandus in actibus qui exiguntur à vocatis.* Teſtimonii *diſtinctiones obſervandæ. Aliud* commune, *aliud* ſingulare, *aliud* propoſitum, *aliud* receptum. *Neminem niſi electum vitam habere poſſe probatur. An Deus omnibus dederit vitam in Filio, vel abſolutè vel ſub conditione. An* τὸ ἡμῖν *non ſit expendendum apud Iohannem. An Iohannes ſe ibi conſideret ut electum, an ut hominem. Iohannem de electis loqui demonſtratum. Peccatum incredulorum in quo conſiſtat. Falſa ſuppoſitio de peccato incredulorum. An ſub conditione vita data incredulis. Ordo obſervandus incredulis. Abſurdæ aſſertiones Animadverſoris. An aliquis ſtatuere debeat ſe non eſſe electum. Chriſtum eſſe Redemptorem omnium*

&

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

& ſolorum electorum. Euangelium eſſe bonum nuntium παντὶ τῷ πιστεύοντι*, excludit non electos. Quî offeratur ſalus non electis. An illis quâ talibus poſſit offerri. Calvini locus eximius de fine propoſiti Euangelii reprobis. An oblatio ſalutis fiat hominibus quâ talibus. Ordo decretorum à Remonſtrantibus & Animadverſore conſtitutus idem. Pronominis obſervatio defenſa.*

I. SEcundum *Erotema* à Diſſertatore propoſitum, à me acuratè excuſſum & confutatum habet Lector Exercitat. Part. III. à pag. 1732. ad pag. 1738. Quid ad mea reponit Animadverſor? I. Verba Johannis repetit ex 1 Johan. v, 9, 10, 11, 12. Quâ repetitione tamen haudquaquam opus erat, nec enim ea à nobis vel ignorata, vel negata. Nec ita oſcitanter exſcribenda erant verba Spiritus S. ut illi affingeretur repetitio inanis: *Porrò hoc eſt teſtimonium Dei quod teſtificatus eſt de Filio ſuo*, quum prius jam id expreſſerit: *Quoniam hoc eſt teſtimonium Dei quod teſtificatus eſt de Filio ſuo.* Quâ ille aget religione in humanis dictis deſcribendis, qui in divinis ita negligenter verſatur! II. Addit, ſe eum locum ita intellexiſſe, ut exiſtimaret, *teſtimonium quod de Filio Deus ipſe perhibuit, in eo conſiſtere, ut teſtaretur, eum eſſe ipſius Filium Meſſiam promiſſum à Prophetis, vitæ æternæ auctorem omnibus credentibus, adeò ut nihil ab hominibus requiratur, ut Filii, & unà cum eo vitæ æternæ ſint compotes, niſi ut eum pro tali agnoſcant, & in eo tribuant ipſi Patri gloriam veracitatis: Eos qui credunt, iſti Dei teſtimonio locum dediſſe, atque intra ſe in animum induxiſſe, & in ea re non ore tantùm, ſed etiam mente atque animo Deo laudem illam tribuiſſe quam merebatur. Eos qui non credunt, Deum accuſare mendacii, quia habent pro falſo id quod de Filio teſtificatus eſt. Eos qui credunt, quià ſic Filium recipiunt pro Filio Dei, & Meſſiâ, & auctore vitæ æternæ, recipere unà vitam æternam, quia in Chriſto incluſa eſt tanquam in cauſa & unica & minimè dubitabili. Eos qui non credunt, ideò quia Filium rejiciunt, rejicere pariter vitam,* &c. *Cui bono* verò iſta omnia! Nec enim regnum quod hîc exercet Animadverſor, me abſterret, quominus ut antehac, ſic & in poſterum optimo ſenſu iſta phraſi utar. An 1. A me negatum, teſtimonium quod de Filio Deus ipſe perhibuit, in eo conſiſtere, *ut teſtaretur eum eſſe ipſius Filium, Meſſiam promiſſum à Prophetis?* At hoc diſertè à me poſitum. An etiam à me negatum, eum eſſe *vitæ æternæ auctorem omnibus credentibus?* Id verò paſſim non minus à me affirmatum. 2. *Nihil ab hominibus requiri, ut Filii, & unà cum eo vitæ æternæ ſint compotes, niſi ut eum pro tali agnoſcant, & in eo tribuant ipſi Patri gloriam veracitatis*, ſano ſenſu ſumptum difficultatem etiam non habet, nec inter nos controverſum eſt. Quia tamen hoc requiritur, quod nonniſi illorum eſt, & eſſe poteſt, qui ſunt ordinati ad vitam æternam, & quos Pater trahit, nec Filii nec una cum eo vitæ æternæ compotes

potes eſſe poſſunt ulli alii, niſi electi. An etiam de iis quibus Deus Pater Chriſtum nec revelavit unquam, nec revelare per ætatem potuit, dici poteſt, nihil ab illis requiri niſi ut Filium agnoſcant, & in eo tribuant Patri gloriam veracitatis? An hoc docet τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ? Hoc ipſum itaque ſemper particulare manet, unde de hominibus hîc *indefinitè* loqui cogitur ipſe Animadverſor, niſi verò *univerſaliter* ita Filium omnibus propoſitum dicat, non concludit inſtitutum ſuum de Gratia univerſali, nec hoc Erotema etiam quicquam ad ejus probationem facit. Nec quamvis ad vocatos omnes per verbum hoc teſtimonium pertinere diceremus, ſequeretur, id univerſaliter ad omnes & ſingulos homines pertinere, adeóque gratiam iſtam eſſe univerſalem. 3. Eos qui credunt, ut oportet, iſti teſtimonio Dei locum dediſſe, & in ea re, non ore tantùm, ſed & mente & animo Deo laudem tribuiſſe, quam merebatur, ἐξαγώνιον eſt, nec quicquam facit ad rem noſtram. Talibus enim teſtimonium iſtud cum invitatione eos ſalvandi proponi, conſtanter profeſſi ſumus. 4. *Eos qui non credunt, Deum accuſare mendacii, quia habent pro falſo id quod de Filio teſtificatus eſt*, nos haudquaquam ferit. Id enim faciebant ii ex vocatis, qui credebant jam olim, Chriſtum non eſſe Filium Dei, nec ab eo miſſum in carnem, ut Meſſiæ munus fungeretur, quamvis Deus disertè id teſtatus fuiſſet è cœlo Matth. III, & XVII. Credebant verò, Chriſtum eſſe Pſeudoprophetam, hoſtem Dei, Moſis, Legis & Sabbathi, emiſſarium Beelzebub, quas blaſphemias quandoque eructabant. 5. Nec ſequitur, ſi credentes plus credidêre, Chriſtum nimirum ſuum eſſe Mediatorem, non credentes, quibus Deus hanc gratiam facere noluit, in eo Deum accusâſſe mendacii, vel Deum illis eſſe teſtificatum, Chriſtum eſſe ipſorum Mediatorem & eum pro ipſis mortuum eſſe, de quo quippe ne cogitabant quidem. Illi equidem qui credunt, & priorem actum edunt & poſteriorem, electi quippe, aliàs non crederent, qui non credunt, non ideo rei peraguntur quod poſteriorem actum non edant, quippe cui locus non eſt ante primum actum, ſed quod primum actum non præſtant. Quandiu verò in hoc ſtatu aliquis eſt, poſterior actus ab eo non exigitur, quemadmodum à non pœnitente, hoc eſt, à non agnoſcente vel non deflente peccata ſua fides non exigitur. Eos etiam qui credunt, recipere unà vitam æternam, nemo in dubium vocat, & iſta omnia ἀπροσδιόνυσα. 6. Si verò vita æterna in Chriſto incluſa eſt, tanquam *in cauſa unica*, vita æterna illorum eſſe non poteſt, quibus non placuit Deo ullo modo revelare Chriſtum, in quo incluſa eſt, nec Deus illos ſalvari voluit. 7. Eos qui non credunt, ideò quia Filium rejiciunt, rejicere pariter vitam, utique de omnibus dici non poteſt, quia illi non poſſunt dici rejicere Filium,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

quibus ille nec oblatus eſt, nec offerri per ætatem potuit, adeóque hoc ipſum univerſalem gratiam non probat. Nec Johannes dicit, tales vitam rejicere, ſed *vitam non habere*. Iſta verò diverſiſſima ſunt, illi enim etiam *non habent* Filium, quibus Filius nunquam revelatus eſt, haudquaquam tamen dici poteſt illos rejeciſſe Filium. Nec magis dici poteſt, eos rejeciſſe vitam, ideo quia rejiciunt Filium. Et ſanè tales non judicabuntur ex Euangelio, ſed ex Lege. Adde, eos qui non credunt ſimpliciter, Chriſtum eſſe Filium Dei vel Meſſiam, dici poſſe aliquo modo rejicere vitam æternam, non quod Filius illis ſit deſtinatus ad ſalutem, ſed quia id averſantur, ſine quo vita haberi non poteſt. Sic verbi gratiâ, ſi Medicus eximius urbem aliquam ingrederetur, quamvis nollet ægris omnibus curandis manum admovere, & ſperneretur ab aliquibus ex illis, nec ab iis haberetur pro Medico, ſed pro impoſtore, tales poſſent dici rejicere reſtitutionem ſui, eo quod ſpernerent illum, ſine quo nemo curari poſſet. Quamvis de phraſi Animadverſoris laborandum nobis non ſit, ſed de phraſi tantùm Johannis qui id non dicit quod hîc illi affingit Animadverſor.

II. Addit Animadverſor: Se ex iſtis Erotema hoc confeciſſe: *Quum Iohannes dicat, eos qui non credunt Dei teſtimonio, ipſum facere mendacem, hoc eſt accuſare mendacii, teſtimonium autem illud in eo poſitum ſit, quod illis Deus vitam æternam dedit in Filio, quæritur, quomodo Deum faciant mendacem, ſi id illis non teſtatur; ſi teſtatur, quomodo verum non eſt*? Obſervet Lector. 1. Hunc verborum Iohannis duntaxat ſenſum eſſe, teſtimonium quod teſtes & cœleſtes & terreſtres de quibus ſermo v. 7, 8. perhibuêre de Chriſto, omni acceptione digniſſimum eſſe, divinum quippe non humanum. Quale verò illud eſt? Ieſum Nazarenum eſſe Dei Filium & Servatorem unum omnium in ſe credentium vel crediturorum, nec ſalutem vel vitam poſſe haberi in alio, vel alio medio, eſſe enim eum *qui venit per aquam & ſanguinem*, hoc eſt, vel qui aquam & ſanguinem ex latere ſuo fudit, vel qui res ſignatas per *ablutiones* & *ſacrificia* legalia in ſe exhibuit, hoc eſt, & expiationem peccatorum pro nobis, & eorum ablutionem in nobis, vel quia duo Sacramenta, aquæ unum, ſanguinis alterum inſtituit. Credentes etiam huic teſtimonio, & Chriſtum verâ fide amplectentes non tantùm habere promiſſionem vitæ, ſed iam arrham, guſtum, & principium quoddam ejus in ſeipſis. Eum verò qui Chriſtum pro Salvatore non habet, nec cenſet vitam per eum, & nonniſi per eum haberi poſſe, quantum in ſe eſt, Deum facere mendacem, vel in dubium vocando, vel negando illud Dei teſtimonium quod perhibuit de Filio ſuo. Quo teſtimonio conſtat. 1. *Vnde* nobis in morte conſtitutis ſit vita æterna? Nimirum à Deo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

Deo. 2. *Quî* ea nobis obtingat? Quod *detur*. 3. *Per quem?* Per Filium, imò *in quo* ſit ut in fonte, & extra quem haberi non poſſit. 4. *Quibus?* Nimirum nobis actu in eum credentibus, quos vocat *dilectos* & *filiolos ſuos*. Omnes ergo qui credunt in Filium, & eum habent pro ſuo Servatore, habent vitam hîc in fiducia & ſpe, habituri aliquando reipsâ. Qui verò non credunt in Filium, nec eum pro Authore vitæ vel ſalutis habent, eos vitam nec habere, nec habituros. Cur verò hæc à Johanne ſcripta ita ſollicitè? Verſus 13. cauſam ejus rei ſubjicit, qui verſus ad præcedentes pertinet, & cum iis connectendus erat ab Animadverſore. Sed quia vidit, ſic argumentationis ſuæ imbecillitatem clarè nimis conſtituram eſſe, *per fallaciam diviſionis* comma illud prætermiſit, & à reliquis ſejunxit. *Hæc ſcripſi vobis*, inquit Iohannes, *qui creditis in nomen Filii Dei, ut ſciatis vos vitam æternam habere, & credatis*, hoc eſt, credere pergatis, *in nomen Filii Dei*. Ex quo conſtat, quibus ſit deſtinatum & teſtimonium iſtud, & res teſtimonio confirmata, & ſalutaris ejus fructus, quod evertit planè univerſalem Chriſti deſtinationem, & miſſionem. 2. Hinc etiam patet, quo jure locum iſtum ad dogma iſtud ſuum detorqueat Animadverſor. I. Supponendo, Deum teſtimonium iſtud de Filio univerſale reddidiſſe, quod falſum, nec enim de eo quicquam ἐν τῷ γνωςῷ. Quum verò vita tantum in ipſo ſit, & nonniſi per fidem in ipſum haberi poſſit, utique quibus teſtimonium illud nunquam revelatum fuit, illi nunquam potuêre ſalvari. II. Supponendo, etiam teſtimonio illo revelato omnibus, quod tamen falſiſſimum, ullum mortalem potuiſſe id excipere, ut oportet, vel per id ſalvari, cui Deus gratiam fidei largiri noluit. III. Supponendo, teſtimonium illud eſſe, Chriſtum eſſe Salvatorem omnium omninò hominum ſub conditione fidei, quum illud potius ſit, Salvatorem illum eſſe omnium & ſolorum & actu in ſe credentium vel certò crediturorum ex Dei ſingulari dono, ſine quo quippe nemo eo unquam ad ſalutem potiri poteſt. IV. Supponendo, eos Deum non facere mendacem, qui non credunt ſimpliciter, vel Jeſum Nazarenum eſſe Filium Dei, vel eum *veniſſe per aquam & ſanguinem*, hoc eſt, exhibere res ſignatas per *aquam*, vel luſtrationes legales, & per *ſanguinem*, vel victimas & ſacrificia vetera ἱλαςικὰ; uno verbo, eum eſſe Salvatorem, & vitam in ipſo eſſe, & in eo tantùm. Non itaque impii & increduli Deum mendacem facere dicuntur à Johanne quod non credant, Chriſtum pro ſe eſſe mortuum, ſed quod non credant ſuperiora de Chriſto. Imò illi mendacem Deum facerent, ſi crederent Chriſtum pro ſe eſſe mortuum, quùm nec *abſolutè* pro iis mortuus ſit, ut patet, nec *ſub conditione*, quippe quam nec habent, nec habituri ſunt, nec habere poſſunt unquam & quam Chriſtus moriens novit eos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

nec habere, nec habituros eſſe. Et fruſtra ſupponitur, Chriſtum pro ipſis moriturum fuiſſe, ſi eam haberent, eo ipſo enim, quo Deus noluit illis gratiam dare, ut eam habeant, & illi eam ex ſe habere non poſſunt, & tamen voluit vitam ab iſto dono ſuſpendere, tales ſervari noluit, adeóque & Chriſtus pro iis mori inutiliter noluit. Annon etiam Diabolus, quantum in ſe eſt, Deum mendacem facit, perſuadendo innumeris, nec Jeſum Nazarenum eſſe Filium Dei, nec Salvatorem, nec vitam in ipſo eſſe, etſi illi nec Filius, nec vita ſint deſtinata ullo modo? v. Supponendo, Deum illis dediſſe vitam in Filio, qui non credunt Dei teſtimonio, quod implicat *contradictionem in adjecto*, ſi enim dediſſet eis vitam in Filio, dediſſet etiam iis fidem in Filium: Iohannes verò non de non credentibus in Filium, ſed de credentibus diſertè loquitur, quod *nobis* dedit vitam, hoc eſt credentibus, quos vocat ſupra τεκνία, ἀγαπητοὺς, & quos dicit verſ. 13. πιστεύοντας εἰς τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ. Teſtatur itaque Deus multis externè tantùm vocatis per verbum, Ieſum Nazarenum eſſe Filium ſuum, & Mediatorem credentium, & omnes actu credentes in eum ſalvandos, ſed non teſtatur illis, eum omnibus & ſingulis externè quoquomodo vocatis eſſe deſtinatum in Mediatorem, ob vocationem antecedentem ad reſipiſcentiam, ſine cujus præſtatione non datur vocatio ad fidem, & ob ordinem neceſſariò obſervandum inter actus varios fidei. Nemo ſanè ad hunc actum vocatur, ut credat Ieſum Nazarenum eſſe ſuum Mediatorem, antequam verè credat, eum eſſe Mediatorem omnium credentium. Nemo utique vel confidere vel credere poterit, aliquem ſibi Medicum eſſe, vel fore, niſi credat prius, eum Medicum eſſe, & artis medendi peritum. Imò quia ut credentium tantùm Mediator proponitur, non proponitur ut Mediator illorum, qui nec ex ſe credere poſſunt, & quibus Deus credendi gratiam largiri nullo modo vult.

III. Quæ verò reſponſionibus meis opponit hîc Animadverſor? I. *Multa inutilia* à me reſponſa dicit. Hoc verò arbitro mihi haudquaquam ſtandum. II. Me dicere, inquit, non credere Dei teſtimonio de Filio, nihil aliud eſſe, quàm non credere, Chriſtum eſſe miſſum in carnem, nec eum eſſe Mediatorem, non verò, Chriſtum pro ſe eſſe mortuum. Id verò eo impugnat, quod Apoſtolus *diſertè* dixerit, *teſtimonium illud in eo poſitum eſſe, quod vitam æternam nobis dedit, quodque hæc vita eſt in Filio, adeò ut quicunque teſtimonium illud recipit, quod Deus perhibet de Filio, vitam æternam habeat, & quaſi vitam quiſquam habere poſſet, niſi pro ipſo Chriſtus mortuus eſſet.* Atqui I. Teſtimonium illud Iohannis diſtingui debet in *commune* & *ſingulare*. *Commune*, quod Deus teſtatur omnibus per verbum vocatis, Ieſum eſſe Filium ſuum, & *veniſſe per aquam & ſanguinem,*

&

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

& illum eſſe audiendum, & omnes in eum credentes ſervandos. Et hoc eſt teſtimonium Dei quod teſtificatus eſt de Filio ſuo in baptiſmo & transfiguratione Matth. III. & XVII. *Singulare* eſt, quod Deus teſtatur tantùm ſingulis credentibus, id non proponendo duntaxat foris, ſed etiam in illis producendo intus, quo teſtatur eorum cordibus, ſe illis dediſſe vitam in Filio. Vel diſtingui poteſt teſtimonium *propoſitum* à teſtimonio *recepto*. Teſtimonium teſtificatione Deì externa *propoſitum*, eſt, Ieſum Nazarenum eſſe Filium ſuum, & ſervatorem omnium credentium. Teſtimonium *receptum*, eſt, teſtificatio Dei interna quam ſentiunt Filii Dei in cordibus ſuis, de vita æterna, ſibi data per Filium. Et hoc eſt teſtimonium quod, qui credit, habet in ſe ipſo, de quo ſermo verſu. 11. Et ſanè ſolus qui credit actu, hoc teſtimonium in ſe habet. Quod teſtimonium cum priore non eſt confundendum. Vnde τὸ ἡμῖν diſertè habet Iohannes, & reſtringit id teſtimonium ad credentes. 2. Extra controverſiam eſt, eos qui teſtimonium illud recipiunt, vitam æternam habere, quum verò nemo id recipere poſſit, niſi Electus, cui Deus gratiam id recipiendi dat, certum, neminem, niſi electum, vitam æternam habere poſſe. 3. Nec quæſtio hîc eſt, an aliquis vitam æternam habere poſſit, pro quo Chriſtus mortuus non eſt, ſed an vel omnibus Deus vitam æternam propoſuerit, vel media ſufficientia dederit eam conſequendi, vel an Chriſtus pro omnibus mori voluerit. 4. Adde illud, *quod Deus nobis dedit vitam in Filio*, vel *univerſale eſt*, & ad omnes ac ſingulos mortales pertinet, vel *particulare* eſt, & pertinet tantùm ad Electos. Si prius, omnibus ſaltem proponi debuiſſet, quod haudquaquam factum, cum ſine ejus propoſitione non poſſit non eſſe inutile iſtud beneficium in æternum. Si poſterius, nihil id facit pro gratia univerſali. Si omnibus etiam Deus *dedit* vitam in Filio, vel *abſolutè* eam dedit, vel *ſub conditione fidei*. Non prius, ut fatebitur Animadverſor, ſic enim omnes actu vitam haberent; Si poſterius, illis non dedit vitam, qui non credunt, nec poſſunt credere ob impotentiam credendi invincibilem per naturam. Nec dare voluit, niſi volitione evanidâ & inani, quam volens novit nunquam illis profuturam, quibus eam voluiſſe dicitur ſub iſta conditione. Quibus verò dedit vitam in Filio, illi revera ejus ſpem imò fiduciam hîc habent, & eam actu reipsâ aliquando ſunt habituri, & in iis vita gratiæ exibit in vitam gloriæ.

IV. Addit: Me dicere, *Iohannem loqui diſertè de ſe, & Electis aliis Dei Filiis, quia ait Iohannes* ἔδωκεν ἡμῖν? Quid opponit? *Quaſi*, inquit, *illa obſervatio* τοῦ ἡμῖν *non eſſet omninò futilis, quaſi in eo Apoſtolus ſe conſideraret ut electum, non verò ut hominem.* At 1. Nihil verius iſta obſervatione, illos enim intelligit Iohannes, qui in eodem ſecum erant ordine, adeóque qui electi

Dei Filii erant, quos v.19. dicit, noſſe ſe *ex Deo eſſe*, & *eſſe in Chriſto* v.20. An verò prædicata iſta communia ſunt & omnium ac ſingulorum hominum, imò hominum quà talium? Annon etiam diſertè illos deſignat, quos opponit *mundo?* 1 Ioh. III,1. An verò mundus non conſtat ex hominibus? Imò illos intelligit, quibus Deus actu *dedit vitam æternam*, quoad certam de ea fiduciam, & vividum ejus ſenſum, quod ſanè non niſi credentibus actu, adeóque nonniſi Electis convenit. An ergo hoc futile? 2. Certum, Apoſtolum ſe conſiderare ut credentem, teſtimonium quippe habentem in ſe ſuæ Electionis & perſuaſionem de vita æterna, ut ſibi per mortem Chriſti acquiſitâ. Nec quicquam reverâ futilius, quàm Iohannem ſe conſideràſſe ut hominem. An enim in eo poteſt eſſe argumentum conſolationis? Et an *vitam æternam dedit* Deus omnibus & ſingulis hominibus? Si etiam Iohannes ſe conſideravit ut hominem, Deus dedit vitam æternam hominibus, ut hominibus, quod eſt contra ipſum Animadverſorem, qui vult Deum dediſſe vitam non hominibus *reduplicativè* quà talibus, ſed *ſpecificativè* (ut liceat βαρβαρίζειν cum ſcholis) quà credentibus. Conſideravit ſe ergò Johannes non ut hominem ſimpliciter, ſed ut hominem credentem. Homo verò credens neceſſariò electus eſt, quùm ex una Electione fiat ut ſit credens. Act. XIII, 48.

V. Addit; *Quaſi incredulorum peccatum in eo conſiſtat, quod non credant Redemptorem, & vitam datam eſſe electis, non verò ſibi, quod eſt longè abſurdiſſimum,* inquit, *nec enim id ab illis unquam exigitur. Hoccine poſtulat Euangelium à non electis, ut credant, Chriſtum eſſe Filium Dei, Meſſiam Redemptorem electorum ſolorum, in quo nihil quicquam habeant, an verò ut eum, pro ſuo Redemptore, proque Authore vitæ ſuæ agnoſcant & amplectantur.* At 1. Supponitur, in eo tantùm peccatum incredulorum à nobis conſtitui, conſtituitur verò etiam in eo, quod vel Chriſtum abſolutè non habent pro Dei Filio, vel pro Meſſia, vel quod axioma, omnes credentes in ipſum ſervandos, cenſent eſſe fabulam, & Euangelium, delirium. Vt verò increduli diverſi ordinis ſunt, ſic & peccatum, quod illis imputatur, diverſum eſt. Sufficit verò, eos non credere, quod poſtulat ab illis Euangelium, nimirum, Chriſtum eſſe redemptorem omnium & ſingulorum credentium. 2. Supponitur, non probatur, peccatum incredulorum in eo eſſe, quod non credant Redemptorem & vitam ſibi datam eſſe: At falſum crederent, ex ſententia Animadverſoris ipſius, ſi crederent vel vitam vel Redemptorem incredulis data eſſe, quippe quæ non data niſi credentibus. Si excipiat, ea illis etiam data eſſe, ſi crederent. Certum, connexionem dari, ſi enim crederent, jam eſſent Electi. connectuntur enim fides & vita, ut electio & vita. At quia nonniſi ſub hâc conditione vita data & Redemptor, illis iſta non data,

data, quibus conditionis gratia non data. 3. Ordo obſervandus, incredulis, agenda pœnitentia, pœnitentibus credendum, Jeſum Nazarenum eſſe Dei Filium & Meſſiam, vel Mediatorem, & omnes in eum credentes ſervandos. Hæc omninò credenda, antequam jubeatur ullus credere, Chriſtum eſſe ſuum Mediatorem. Quia verò increduli priora illa non credunt, neceſſariò incredulitas iſta illis imputatur in peccatum, quum illa veriſſima ſint, quamvis ea nunquam credant. Verum verò non eſt, Chriſtum illis eſſe datum, vel vitam, cùm non ſint in ordine eorum quibus datus eſt. 4. An in eo etiam nulla ratio peccati, non credere, Redemptorem & vitam eſſe data electis, & doctrinam de Electione proſcindere? Annon abſurdiſſimum, iſtud etiam ab illis non exigi, & inter credenda non eſſe? Annon proponitur in Euangelio, & ab ipſo Animadverſore, vitam eſſe omnium & ſolorum credentium, adeóque omnium & ſolorum Electorum Dei? An enim alii vel credunt, vel ſunt credituri, vel credere poſſunt eâ potentiâ quæ hic exigitur, præterquam ordinati ad vitam æternam? An verò hoc inter credenda non eſt? Sin inter ea eſt, peccant utique qui id non credunt. 5. Supponitur, non electos ſtatuere debere, ſe eſſe non electos. At nemo hoc debet ſtatuere dum vivit, niſi qui ſenſit ſe peccare in Spiritum S. quia Deus diverſas horas habet homines ad ſe vocandi & trahendi, & ſæpè ſextâ horâ trahuntur, qui non tertiâ, ſæpè nonâ qui non ſextâ, ſæpè undecimâ qui non nonâ. Omnes itaque debent electionis & reprobationis arcana Deo relinquere, & officium facere, pœnitentiam agere, credere, Chriſtum eſſe Filium Dei, & Redemptorem, & omnes in eum credentes ſervandos eſſe, & conari hoc ordine progredi ad actum ultimum. 6. In genere certum, omnes qui audiunt verbum, debere ſtatuere, Chriſtum eſſe Redemptorem omnium & ſolorum credentium, adeóque, quum nemo credat niſi electus, omnium & ſolorum electorum, ſuarum *ovium*, non canum, non hircorum, populi ſui, non extranei, civitatis Dei, non diaboli, in quo beneficio partem nullam habent reprobi quoad beneficia ſalutaria, quippe quod ſcriptura tradit Ioh. x, 15, 16. & xvii, 9, 18. Rom. viii, 33, 34. & paſſim alibi. Quibus enim Chriſtus datus Redemptor, illis omnia cum eo traduntur, & contra tales nulla eſt accuſatio, quod non eſt niſi electorum. Et falſum, ac τὸ ἐν ἀρχῇ, Euangelium poſtulare à non electis, ut Chriſtum *pro ſuo Redemptore, & pro Authore vitæ ſuæ agnoſcant*. Quum enim tales ſint increduli, & neceſſariò quidem, & Chriſtus tantùm ſit Redemptor credentium, & tantùm Author vitæ talibus, ſecundùm ipſum Animadverſorem non electi, id ſibi tribuere non deberent, ſi ſcirent ſe non electos eſſe. A nemine itaque hoc poſtulatur, præterquam à pœnitente actu.

VI. Addit,

VI. Addit, 1. Se à me ad Calvinum remitti, qui hoc in genere de Euangelio interpretetur, iſtud verò nihil aliud eſſe, quàm bonum nuntium vitæ per Chriſtum mortuum partæ *παντὶ πιστεύοντι*. 2. Alia Calvini verba citat, ex quibus in fine colligit, eum ſalutis oblationem in Euangelio communem facere electis & non electis, non quà tales ſunt, ſed quà ſunt homines, quibus ſeſe ſub ea *σχέσει* annumeret. 3. Convitium mihi dicit, quod ſuſque dêque habeam, dummodò ad ſilentium redactus eſſe non videar, & *τὸ nos* urgeam. At 1. Ad Calvinum ſanè à me ablegatus Animadverſor, ſed *argumento* duntaxat *ad hominem*, quia illius authoritate ipſi pugnare ſolenne potius, quàm Scripturæ, & eò perpetuò fermè Lectorem ſuum ablegat ipſe. Alioquin quo ad rem ipſam, humanâ auctoritate hîc non pugnabimus, pro inſtituti noſtri ratione. 2. An à nobis unquàm negatum, Euangelium eſſe bonum nuntium *παντὶ τῷ πιστεύοντι*? Annon *κατὰ τὸ βίαιον*, quia tale nuntium eſt, excludit omnes illos quibus Deus gratiam credendi non facit, & qui ex ſe credere nequeunt. 3. Salutis oblationem à Calvino non electis communem fieri, vel fieri debere ab ullo, (ſi agnoſci poſſent) falſum, eo ipſo quia electis ſolis præparata eſt ante jacta mundi fundamenta. Quia verò à ſervis agnoſci non poſſunt, illorum eſt benè de omnibus ſperare, quibus Deus Euangelii audiendi gratiam facit, adeóque officium promiſcuè exigere, & id præſtantibus offerre beneficium. Quando verò de non electis diſputatur *ſub hâc ratione formali*, quâ conſiderantur ut non Electi, certum, ſalutem illis ſeriò quà talibus offerri non poſſe, quoniam, ſecundùm ipſum Animadverſorem, inevitabiliter & increduli ſunt & damnandi. Audiat quæſo Animadverſor hîc illum quem ſemper audiri vult Calvinum ſic commentantem ad comma 25. cap. XXIV. Actorum: *Iam hîc mirabile Dei conſilium notare operæ pretium eſt, qui vult interdum reprobis Euangelium proponi, non ut inde quicquam proficiant, ſed magis ut reddantur inexcuſabiles.* An verò Deus ſalutem vult iis quibus ita Euangelium proponi vult, *ut nihil quicquam inde proficiant?* Si tale quid à me ſcriptum fuiſſet, dubio procul in me concitâſſet totam Animadverſoris facundiam, & ſplendida dicteria, vix multâ ſpongiâ abluenda. Si dicamus, oblationem illis fieri debere, *quà* ſunt *homines*, & hoc falſum, quia fieri tantum debet credentibus, vel hominibus *quà* ſunt *credentes*. *ὕπουλον* verò dogma ſuum inſinuat denuò Animadverſor, quo ſtatuit cum Remonſtrantibus, & miſſionem Mediatoris & oblationem ejus anteriorem eſſe decreto electionis, quæ tamen & Scriptura, & poſt eam Synodus Dordracena, & omnes Eccleſiæ noſtræ conſtanter ex electione, ut primâ benedictione ſpirituali, ducunt. 4. Convitium regerere nec noſtri Ordinis eſt, nec inſtituti. Quis verò noſtrûm ſolidè & accuratè diſpu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

diſputet, & *ad rem* loquantur, judicium aliorum & non obnoxiorum quidem eſſe debet non hominis pro tota ſua fama hîc ſtantis? *Pronomen* cæteroquin meritò à me urgeri, quod & Apoſtolus habet, & Calvinus ipſe obſervatus, judicabunt omnes, qui ſuæ ſunt ſpontis, & videbunt, non niſi abſurdiſſimè id ad omnes trahi poſſe, quod diſertè Johannes reſtringit ad paucos.

CAPVT IV.

Vindiciæ Reſponſionum ad III. Erotema.

An ex loco ad Col. 1, 28. *collato cum loco* Actor. xx, 31. *poſſit probari Gratia Vniverſalis?*

BREVIARIVM Capitis quarti.

REpoſita noſtris ab Animadverſore. Eorum examen. Syncategorematis quis ſenſus Col. 1,28. *Inconſequentia oſtenſa Animadverſori. Calvini auctoritas fruſtra objecta. An omnis hortatio ad officium nitatur propoſitione ſpei. An Paulus cenſuerit ſpem ad omnes pertinere. Quid per* πάντα ἄνθρωπον *deſignet Apoſtolus. Cavillum Animadverſoris abſterſum. Diſſimulatio objectorum in Animadverſore notata. Quo ſenſu ſyncategoremate iſto uſus ſit Paulus, & cur. An hortationes ad vitam inferant deſtinationem vitæ. An* πᾶσα σοφία collectivè *ibi apud Apoſtolum ſumi poſſit. Illatio inconſequens & inanis Animadverſoris. An ex actu hominis argumentum duci debeat ad decretum Dei. Canon charitatis adhibitus à Paulo. Locum Pauli ad Gratiam univerſalem inutilem eſſe, demonſtratum. Elenchus oppoſitorum notatus. Calvinus vindicatus. An abſurdum ſit*, intentionem charitativam *Pauli latius patere* φιλανθρωπίᾳ *ſalutari Dei. Quî hujus dignitas ſperanda. Vnde illa nata fuerit. Oſcitantia notata. Elenchus à dicto ſecundùm quid commiſſus. Varietas œconomiæ in annuntiatione verbi adhibita. Inconſequens illatio notata. Calvini verba retorta. Aſſertio in Erotemate propoſita, revicta. Argumentum ab actu Pauli ad actum Dei, & à mandato Dei ad decretum ejus, inane. Objectio Animadmverſoris retorta. An admonitiones ſub ſpe ſalutis inferant, Deum velle omnes ſalvari. An omnis admonitio præ ſe ferat ſpem ſalutis. Inconſequentia ad Gratiam univerſalem probandam notata.* παρερμηνεία *verbi* νουθετεῖν. *Falſa mihi affictа ab Animadverſore. Ordo à Paulo obſervatus, & meritò. Inconſequentia alia notata. An non reſipiſcentes debeant ſibi perſuadere, Chriſtum eſſe pro ſe mortuum. Intentio Dei de ſalute hominum unde colligenda. Quibus cum negotium fuerit Paulo Epheſi. Candor deſideratus in Animadverſore in iis quæ mihi affingit. An ex mandato dato Paulo ſequatur Deum velle omnes ſalvari. Idem retortum contra Animadverſorem. Quorum cauſa miniſterium verbi per ſe inſtitutum. Vſus ejus circa non electos.*

I. EROtema tertium petitum ex Col. 1,28. refutatum à nobis exactè habet Lector Exerc. Part. III. à p. 1739. ad p. 1748. Quæ verò nobis regerit Animadverſor? 1. *Syncategorema* urget, Apoſtolum loqui de *omni* homine, & videri, neminem non electum excludi.

2. Calvini authoritatem denuò adducit. 3. Adjicit, ſe addidiſſe locum Actor. xx, 31. ut ἐξηγητικὸν prioris, ne *ſyncategorema* intelligeretur *diſtributivè*. Col. 1,28. Nec enim conſentaneum eſſe, hortari ad fidem unumquemque ſub ſpe ſalutis obtinendæ, neque tamen eſſe certum, ſpem illam ad unumquemque pertinere. At 1. *Syncategorema* à nobis diligenter expenſum, & demonſtratum, neceſſario id hîc *diſtributivè* ſumi debere, cùm de toto *integrali* ſit ſermo, non de *generico*, & aliis de cauſis. Oſtendimus quoque *ſyncategoremate* etiam *collectivè* ſumpto nihil ex hoc loco pro gratia univerſali exſculpi poſſe. 2. Dato etiam, Apoſtolum *neminem non electum excludere*, quem non admoneret, quum illius non fuerit diſtinguere inter electos, & non electos, an ex eo ſequitur, ſalutem omnibus ſub conditione deſtinatam? 3. De Calvini auctoritate pro inſtituto noſtro hîc non litigabimus, cujus verba & ex illo ipſo loco & ex parallelis aliis nobis cæteroquin vindicare proclive foret. 4. Oſtendimus, ſine ullo fundamento locum Actor. xx, 31. ἐξηγητικὸν ſtatui loci Col. 1, 28. 5. Falſum, quamvis Apoſtolus ſciret ſpem illam ad unumquemque non pertinere, quicquam intercedere, quominus poſſet hortari unumquemque ad officium, quia id etiam ſine objecta ulla ſpe debetur ab omnibus. Imò, quamvis Apoſtolus ſciret, ſpem illam ad unumquemque non pertinere, falſum tamen, illum non potuiſſe hortari unumquemque ad fidem ſub ſpe ſalutis obtinendæ, quia ipſius non erat diſtinguere illos ad quos revera ſpes illa pertineret, ab iis ad quos non pertineat, electos à non electis. Ipſius itaque erat fungi officio, & promiſcuè proponere officium, & cum officio beneficium, utpote omnibus reſipiſcentibus & credentibus deſtinatum, eventum Deo relinquere. An verò dubium eſſe poterat Paulo, ſpem iſtam ad omnes non pertinere? An etiam ignorabat multos à Deo præteritos eſſe, conſtitutos ad iram, præſcriptos ad judicium? Annon de reprobationis myſterio prolixè ſatis diſſeruerat Rom. VIII. & IX. & XI. & oſtenderat, Deum non omnium miſereri velle?

II. Quid addit Animadverſor? 1. Primùm me negare dicit, πάντα ἄνθρωπον aliter accipi debere quàm *diſtributivè*, ut apud Matthæum πᾶσαν νόσον & apud Lucam πᾶν λάχανον. Hoc verò dicterio diſſolvit; *Scilicet*, inquit, *id vehementis Emphaſeos ergo dixerit*, νουθετοῦντες πάντα ἄνθρωπον καὶ διδάσκοντες πάντα ἄνθρωπον, *ut paucos homines à reliquis ſecretos deſignaret*! At 1. Prætermiſſa ſunt ab Animadverſore alia à me notata, quæ oſtendunt evidenter, illum peccare *ignoratione Elenchi* nec, dato etiam, quod vult, eum concludere inſtitutum, hîc probari gratiam objectivam univerſalem. 2. Meritò ſenſus *diſtributivus* à me ut oſtenſum, hîc expreſſus & defenſus. Quæ omnia ſolidis rationibus probata dedimus, quæ aut confu-

tanda

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

tanda erant Animadverſori, vel admittenda. Ea verò à Lectore ſuo loco plenè videri malumus, quàm hîc exſcribere, contrahendæ operæ. 3. An verò emphaſis perit, & ad paucos *abſolutè* refertur hortatio, quæ promiſcuè proponitur *quibuſvis*, tum Judæis, tum gentilibus, tum magnis, tum parvis, tum divitibus, tum pauperibus, tum ſapientibus, tum inſipientibus? Annon etiam in eo ab Apoſtolo conſtituta ἀντίθεσις inter œconomiam Veteris & Novi Teſtamenti, in illo enim νουθεσία id genus non directa fuit ad πάντα ἄνθρωπον, ſed tantùm ad Iudæos, pauciſſimis proſelytis exceptis. Satis ergo oſtenſum, cur ita locutus fuerit Apoſtolus. Adde, muneris Apoſtolici latitudinem non affixam ulli Eccleſiæ ſic indicatam, & παῤῥησίαν ejus oſtenſam, quoſvis etiam ex falſis Doctoribus Coloſſenſium percellendi. 4. Annon etiam *donum fidei* ipſe Animadverſor refert ad paucos homines, à reliquis ſecretos? Et tamen vult, Apoſtolum omnes promiſcuè hortari ad fidem. Et an minor abſurditas, hortari omnes ad fidem, quamvis ſcias, eam ad omnes non pertinere, quàm hortari ad vitam conſequendam omnes, quamvis vita paucis illis tantùm ſit deſtinata?

III. Addit, ſecundùm me, *Apoſtolum dicere, ſe* διδάσκειν πάντα ἄνθρωπον ἐν πάσῃ σοφίᾳ, *& id diſtributivè intelligendum eſſe, quia non docuerit Metaphyſicam, nec Phyſicam, nec Politicam. Et id me operam dare dicit, ne quid unquam in Apoſtoli ſcriptis intelligamus. Opponere verò Apoſtolum veram & ſolam ſalutarem ſapientiam, quæ in Euangelio revelata eſt humanæ ſapientiæ, quam nonnulli inter Coloſſenſes jactabant, & in ea oppoſitione tacita, tacitè pariter indicare, omnem aliam, quæcunque ſit, ſapientiam, præ divinâ illâ, quam annunciabat, pro nulla haberi debere. Reſtabat ergo illi,* inquit, *ſapientia Euangelica, quam,* ſecundùm me, *annunciavit omnem diſtributivè, non autem collectivè, vel universè.* Et quærit, quam partem divinæ illius ſapientiæ Paulus Coloſſenſes celârit. At 1. Negare nequit, πᾶσαν σοφίαν haudquaquam ſumi poſſe *collectivè* de quavis ſapientia, ſed debere intelligi reſtrictè de ſapientia cœleſti, ut oſtendi in Exercitationibus, nec cavillum moror, à bile vel tumore profectum. 2. An ſequitur, ſi Paulus ſolam Euangelicam ſapientiam pro ſapientia habeat, & nullam aliam, ob id *Syncategorema* univerſale additum τῇ σοφίᾳ non neceſſariò ſumendum *diſtributivè*? Nec enim quia ſapientia humana, politica, alia, nulla eſt *comparatè* in ordine ad ſapientiam Euangelicam, ob id ſapientia non eſt? Et quia Paulus illam ſolam intellectam voluit, non potuit ſyncategorema illud *collectivè* ſumere ad id omne complectendum quod ſapientiæ nomine cenſeri ſolebat tempore Pauli. Ludit itaque in ambiguo Animadverſor, & ſibi & Lectori ludos facit, ita concludendo: Syncategorema univerſale ſapientiæ additum *diſtribu-*

tributivè ſumendum eſt, quia Paulus non omne id docuit, quod ſapientiæ nomine cenſebatur illo tempore: Ergo doctrinam Euangelii, vel ſapientiam cœleſtem *diſtributivè* tantùm annunciavit, non *collectivè*, vel *universè*. An hoc ullis fidiculis extorquebit unquam ex verbis meis? Satis, Paulum omnem quidem ſapientiam Euangelicam annuntiaſſe, quamvis non omnem ſapientiam annuntiârit *collectivè*. Imò quia ſolam ſapientiam Euangelicam annuntiavit, ſapientia *diſtributivè* hîc intelligenda, non *collectivè*. Sic ſi dicam, verbi gratiâ, per *omnem* hominem fœderis ſignum gerentem in carne ſua in Veteri Teſtamento Iudæum intelligendum, neceſſariò *ſyncategorema* ſumo *diſtributivè*. quamvis enim neminem Iudæorum excludam, ſatis, me homines multos excludere. Mera itaque iſta cavillatio eſt, & funis nexus ex arena.

IV. Addit: Me negare, *ex actu Miniſtri & intentione charitativa Pauli, etſi* omnes *collectivè alloquutus eſſet, colligi poſſe, Deum* omnes *pariter ſalvari voluiſſe. Quaſi verò Paulus ex intentione* charitativa *tantùm, non ex inſtituto muneris, & ex Dei ipſius præſcripto id ſe feciſſe doceret! Conſtituit me Deus, inquit, (ſic eum Calvinus loquentem introducit) in excelſo loco publicum arcani ſui præconem, ut ſine exceptione totus mundus ex me diſcat. Aut quaſi intentio charitativa Apoſtoli latius patere vel potuerit vel debuerit quàm Dei* φιλανθρωπία, *ex qua nata erat, & ad quam ſeſe conformare ſtudebat!* At 1. An abſurdum, negare, ex actu hominis argumentum ad decretum Dei duci debere, quum ille fruſtraneus eſſe poſſit, iſtud non item? Et cur non confutavit Animadverſor exempla à me adducta Samuelis pro Saule orantis, preces pro multis peccantibus in Spiritum S. conceptas, verba Pauli, multos *Electos* vocantis in Epiſtolis qui tamen tales non erant? An itaque abſurdum, Paulum etiam ex *canone charitatis* multos pro ſalvandis habuiſſe, quos tamen Deus ſalvari noluit? 2. An etiam Paulus omnes & ſingulos mortalium vel admonuit, vel admonere potuit? Et quamvis omnes admonuiſſet, quod tamen fieri non potuit, quid id ad gratiam univerſalem & tempora Pauli prædicationem antegreſſa? 3. Peccatur *elencho oppoſitorum*; An enim intentione charitativâ Pauli propoſitâ, negatum à me, illum feciſſe ſimul quod fecit vel ex inſtituto muneris, vel ex præſcripto Dei? Quale verò erat iſtud munus, quale præſcriptum Dei? Quibuſvis & Iudæis & Gentilibus annuntiare officium, proponere Chriſtum, quum illius non fuerit diſtinguere electos à non electis, quamvis nôſſet ex divina revelatione multos eſſe non electos, adeóque nunquam ſalvandos? Annon Animadverſor novit & fatetur, multis Deum fidem nolle dare, & tamen hortatur quoſvis ad fidem ſine diſcrimine? Nec etiam munus Apoſtoli tantùm inſtitutum propter electos, ut illi ſalventur

per

per verbum, ſed etiam ut alii per id vel *convincantur*, vel *coërceantur*, vel ad tempus guſtent Euangelium & gaudeant, & ad alios fines id genus. Nec *Calvinus* niſi de œconomia Novi Teſtamenti exporrecta ad quoſvis, loquitur, oppoſitâ œconomia T. Veteris, in qua dabatur exceptio multa & multorum. 4. Nec abſurdum, *intentionem charitativam* Pauli latius patere Dei φιλανθρωπίᾳ ſalutari, quia illa poteſt eſſe *inefficax*, & ſine ſucceſſu vel eventu, Dei φιλανθρωπία non item, cujus dignitas *intenſivè* ſpectanda, non *extenſivè*, ex *efficacia* interna ſui *actûs*, non ex *latitudine* externa ſui *objecti*. Apoſtolum latuit qui eſſent reprobi, Deum non latuit. Nec intentio charitativa Pauli nata fuit ex conſideratione φιλανθρωπίας univerſalis Dei, quâ omnibus ſalutem velit, illa enim merum commentum eſt, ſed ex officio charitatis præſcripto in Lege, & ex munere ipſi impoſito.

V. Addit: Me *tertiò negare, locum ex* Col. 1, 28. *ad interpretationem* Actor. xx, 31. *adhiberi debere.* Opponit verò: *ſe non exiſtimâſſe, aliter Apoſtolum Euangelium uſquam annuntiâſſe, quàm quomodo id apud Epheſios prædicavit. Quum igitur apud Epheſios profiteatur, ſe omnes admonuiſſe* καθ᾽ ἕκαςα, *vel* ἕνα ἕκαςον, *id ſe arbitrari ab eo pariter alibi fuiſſe factitatum. Idcircò* Calvinus, inquit, *id tam ad plebem quàm ad presbyteros referri vult. Nam quia ſermonem Paulus ſtatuerat habere toti Eccleſiæ communem, perinde loquitur ac ſi adeſſet totum corpus. Verùm, eſto: non ſit alter alterius loci* ἐξηγητικός, *quid tum erit poſtea? Non ſatis eſt, Apoſtolum apud Epheſios monuiſſe* ἕνα ἕκαςον, *ex inſtituto muneris & ex mandato divino, ut ex eo colligamus ſalutem, cujus ſpem admonitio præ ſe ferebat, ex Dei mandato atque inſtituto, item ad* ἕνα ἕκαςον *pertinuiſſe?* At 1. Vertiginem paſſus hîc denuò eſt Animadverſor. nec enim à me increpitus fuit, quod locum ex Col. 1, 28. ad interpretationem loci Actor. xx, 31. adhiberet, ſed contra *quod iſtum* ex illo exponendum cenſeret. Id enim à me negatum, jure ab ipſo factum, quod factum, non verò, quod non factum. 2. Peccat elencho *à dicto ſecundùm quid:* Falſum enim ſimpliciter, non *aliter* Euangelium Apoſtolum uſquam annunciâſſe, quàm quomodo id apud Epheſios annunciavit. Id enim verum duntaxat & de *doctrina annuntiata* & de *ſinceritate* annuntiationis; falſum verò, *œconomiam annuntiationis* eandem planè ubique fuiſſe. Nam apud Epheſios, ut à me obſervatum, id annuntiatum & δημοσίᾳ & κατ᾽ οἴκους, quo alludit, quando docet, ſe ἕνα ἕκαςον monuiſſe tum ob diuturniorem moram, quam ibi traxit Apoſtolus, tum ob majorem quam in iſta Eccleſia habuit opportunitatem ſingulos privatim monendi. At multis in locis tantùm δημοσίᾳ illud annuntiavit, & non κατ᾽ οἴκους, nec locum habuit, vel tempus aliter agendi. Quamvis itaque concedamus, Apoſto-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

lum apud ἕνα ἕκαστον prædicâſſe Euangelium Epheſi, an ſequitur idem ab eo factum apud Coloſſenſes? Quàm diverſa etiam œconomiæ prædicati Euangelii ratio fuit apud varias Eccleſias alias ſemel, alias crebrius, alibi publicè, alibi privatim Apoſtoli docuêre, alibi hæſêre diutius, alibi parum ſubſtitêre pro motu Spiritus, & occaſione ex ejus directione oblatâ! 3. Demus etiam, à Paulo ἕνα ἕκαστον ubique fuiſſe monitum, non ſequeretur tamen, ut prius demonſtratum, ex actu Pauli intentio Dei de omnibus ſalvandis. 4. Se ipſum jugulat Animadverſor, dum id à Calvino referri dicit tam ad *plebem*, quàm ad *Presbyteros*, adeóque id *diſtributivè*, non *collectivè* ab eo intellectum juxtà nobiſcum docet. 5. Concedere cogitur, locum Act. xx, 31. ſine ullo fundamento dici loci Col. 1, 28. ἐξηγητικόν. Nec oppoſitum probare poteſt. 6. Quæ illatio quæſo? Si Apoſtolus apud Epheſios monuit ἕνα ἕκαστον ex inſtituto muneris, & ex mandato divino. Ergo ſalus, cujus ſpem admonitio præ ſe ferebat ex Dei mandato & inſtituto etiam ad ἕνα ἕκαστον pertinuit? Annon denuò illatio ab actu Pauli ad actum Dei? Nec ſemper ex *mandato* divino inferendum Dei *decretum*. Annon & ipſe vult, Deum omnibus præcipere ut credant, quamvis nolit omnibus dare fidem? Sic poteſt præcipere, ut admonitiones inſtituantur reſpectu omnium, ſub ſpe ſalutis, nec tamen velle omnes ſalvari, quum iſtis admonitionibus annectatur officium ſuſpenſum à gratia ſolis Electis deſtinata, & ab illius officii præſtatione demum ſuſpenditur ſalus. Adde non omnem admonitionem præ ſe tuliſſe ſpem ſalutis, ſed potuiſſe ſæpe eſſe ſimpliciter *imperativam* & *exactivam officii*. Eo ipſo verò quo Deus ſalutis ſpem non voluit proponere niſi ſub conditione præſtationis officii, iſtius verò gratiam non largiri niſi electis, ſalutem non vult obtingere niſi electis. Et quæ illatio à ſpe ſalutis propoſitâ à Paulo unicuique ex Epheſiis ad gratiam univerſalem? Peccat itaque ſemper *ignoratione elenchi*, quicquid obtendat, nec concludit quæſitum.

VI. Subjicit tandem: *Me negare, probari poſſe τὸ νουθετεῖν ibi Paulo eſſe promiſſionem ſalutis proponere, & mandatum credendi Chriſtum pro aliquo eſſe mortuum. Dicat ergo nobis,* inquit, *quando τὸ νουθετεῖν in utroque loco eſt, quid ſibi velit Apoſtolus cùm ita Coloſſenſes alloquitur. Diſpenſatio Dei mihi data eſt erga vos ad implendum ſermonem Dei, Myſterium reconditum à ſeculis & generationibus, quod nunc revelatum eſt ſanctis ejus: Quibus voluit Deus patefacere quæ ſint divitiæ gloriæ myſterii hujus in Gentibus, qui eſt Chriſtus in vobis ſpes gloriæ. Quem nos prædicamus admonentes omnem hominem, & docentes omnem hominem, in omni ſapientia, ut ſiſtamus omnem hominem perfectum in Chriſto Ieſu. Hactenus enim iſta ad ſapientiam ſalutarem, quæ ſine perſuaſione de morte Chriſti pro ſe obita nulla eſt, pertinere putaveramus.* Item, *dicat, quid ſibi voluerit Apoſtolus,* cùm

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

cùm apud Epheſios per triennium nocte & die non ceſſavit cum lachrymis monere ἕνα ἕκαςον, *ſi eos ad Chriſtum pro Redemptore quemque ſuo amplectendum non hortabatur? Quænam erant illæ res ad ſalutem minimè ſpectantes, dignæ in quibus tantus Apoſtolus per triennium integrum noctes & dies cum lachrymis contereret? Denique, quam rem ſibi Paulus putabat eſſe datam in mandatis à Deo, niſi ut homines ad ſalutarem ipſius cognitionem converteret, & participes faceret juſtitiæ quæ eſt in Chriſto? Qui ſic diſputant, habentne in animo ut veritas innoteſcat?* At 1. Quid clarius, quàm τὸ νουθετεῖν non eſſe promiſſionem ſalutis proponere, & mandatum credendi Chriſtum pro aliquo eſſe mortuum? An Commentatore hîc opus erit Animadverſori, vel Etymologico ad id probandum? 2. Pervertit Animadverſor mentem meam, & falſum mihi affingit: An enim à me vel dubitatum, vel negatum, Paulum promiſſionem ſalutis propoſuiſſe etiam Coloſſenſibus? Annon tantùm dictum, Paulum incipere ἀπὸ τοῦ νουθετεῖν, *ut quoſvis ad reſipiſcentiam eò pelliceret?* Annon diſertè additum, *ut eâ præmiſſâ doceret & inſtitueret in Scriptura Euangelica?* Ita verò mecum agit Animadverſor, quaſi negarem, Apoſtolum quicquam feciſſe præter τὸ νουθετεῖν, quod abit à candore omni. nec enim rem negat, qui de ordine duntaxat rei agit. Per τὸ νουθετεῖν verò primò à Paulo exacta fuit reſipiſcentia, quâ non præſtitâ non erat nec eſſe poterat locus propoſitioni promiſſionis, quippe quæ non pertinet ad impœnitentes. Quum verò ſolis electis Deus det gratiam reſipiſcentiæ, illis ſolis intenditur à Deo promiſſio ſalutis. 3. *Sapientiam ſalutarem ſine perſuaſione de morte Chriſti pro ſe obita, nullam eſſe,* fatemur libenter. An verò ſequitur inde initium ductum prædicationis Apoſtolicæ, & ſine obſequio præſtito τῇ νουθεσίᾳ Pauli, talem perſuaſionem ulli Coloſſenſium imperatam? Vel itaque intelliguntur ſoli Coloſſenſes reſipiſcentes, vel non. Si illi, nulla nobis lis, tales verò omnes erant electi. Si non, ſequitur, non reſipiſcentes debuiſſe ſibi perſuadere, Chriſtum pro ſe eſſe mortuum. At non reſipiſcentes ſunt non credentes, ad quos, ne ſecundùm Animadverſoris quidem Theologiam, mors Chriſti pertinet. Si dicatur, id ipſis propoſitum fuiſſe ſub conditione reſipiſcentiæ & fidei, eo ipſo oſtenditur, Deum illis, quibus ſalutem vel mortem Chriſti ſub iſta demum conditione deſtinâſſe dicitur, ea illis reverâ non deſtinaſſe, quibus fidei donum largiri noluit, ſed ſolis electis, quibus fidem largiri decrevit. 4. Satis patet, Apoſtolum tot lachrymis adhibitis monentem negotium habuiſſe cum hominibus refractariis & contemptoribus & reſipiſcentiæ, & Euangelii. Aliàs tot hortationibus & interdiu & noctu repetitis, & cum lachrymis quidem conjunctis opus non fuiſſet. Hortabatur itaque ſingulos ad pœnitentiam &, ut excuſſâ ſuperſtitione vel Paganâ, vel Judaicâ

ſidem adhiberent Euangelio, & crederent, eam eſſe unam doctrinam ducentem ad vitam, Chriſtum unum Mediatorem, omnes & ſolos in eum credentes, ſervandos. His demum præmiſſis, & talia ſe credere profitentibus propoſuit & proponere potuit Apoſtolus hortationem ad amplectendum Chriſtum pro ſuo Redemptore. Et hic ordo neceſſariò obſervandus. 5. Quo quæſo candore mihi affingit Animadverſor, me ſtatuere, Apoſtolum contriviſſe triennium integrum in rebus ad ſalutem minimè ſpectantibus inter Epheſios noctes & dies cum lachrymis? Vbi tale quid à me vel verbo indicatum? An nulli etiam electi erant inter Epheſios & per νȣθεσίαν, & per Euangelii prædicationem ad ſalutem adducendi? An alii non erant convincendi & coërcendi? 6. Sanè Paulo in mandatis datum, ut homines ad ſalutarem Dei cognitionem converteret, & participes faceret juſtitiæ, quæ eſt in Chriſto. At annon per gradus illud erat præſtandum, qui pro ſcripturæ ordine, & rerum ipſarum naturâ à Deo conſtitutâ à me enumerati? An Deus etiam voluit omnes illos ſalvari, circa quos Pauli cura ſe occupabat? Annon Animadverſor apud omnes Auditores ſuos idem molitur? Annon omnes ad fidem hortatur, & tamen fatetur, illam eſſe ſolorum Electorum donum, illis ſolis à Deo & deſtinatum, & datum, & neminem poſſe venire ad Chriſtum, niſi Pater eum trahat, etſi nolit omnes ex iis ad Chriſtum trahere? Et quæ ſequela, ſi Paulo in mandatis datum, ut homines ad ſalutarem Dei cognitionem converteret: Ergo Deus voluit non electos ſalvari. Miniſterium ſanè inſtitutum propriè & directè & primò propter Electos, ut illi ſalventur, ut ipſe fateri cogitur, uſus tamen ejuſdem varii alii dantur circa non electos, ſecundùm beneplacitum Dei. Conſulat etiam locum ex Calvino ante à me notatum ad cap. XXIV. Actorum, & expendat cum animo ſuo, an dicteria ſua in me jacere poſſit, quæ non multò magis feriant Summum illum virum, ſub cujus clypeo ubique latere vult, ut qui longè minus ex Euangelii prædicatione ad reprobos redire vult, idque ex deſtinatione Dei, quàm quod à me ſtatuitur. Judicabit jam Lector, an ita diſputem, ut *nolim veritatem innoteſcere*, & cui noſtrûm hoc ſchema aptari debeat.

CA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

CAPVT V.

Vindiciæ Reſponſionum ad quartum Erotema.

An ex annuntiatione univerſali Euangelii ſequatur Gratia univerſalis?

BREVIARIVM Capitis quinti.

IGnoratio elenchi notata. Vniverſalis annuntiatio revicta ex verbis ipſius Animadverſoris. An diffuſum fuerit Euangelium ab Apoſtolis, etiam quantum fieri poterat. Alloquutionis Apoſtolicæ ordo. Inanis jam occupatorum iteratio notata. Promiſcuæ prædicationis Apoſtolicæ fundamentum, & ratio. Hortationis ad reſipiſcentiam diſtinctio obſervanda. An hortatio ad pœnitentiam ſemper præſupponat ſpem veniæ. An Deus vel ſpem remiſſionis vel ſalutem voluerit eſſe univerſalem. An ſpes iſta ubique propoſita fuerit ab Apoſtolis. Quid deſignatum fuerit promiſſione beneficii ſub conditione. Adverſativa Animadverſoris converſa in copulativam. An ſperarint, vel ſperare potuerint Apoſtoli, omnes convertendos & ſalvandos. An hoc impedierit promiſcuam πρεσβείαν. Falſa aſſertio alia notata. An Chriſtus voluerit Apoſtolos miniſterio defungi apud omnes. Locus II Cor. V, 18, 19, 20. *vindicatus. Falſum Apoſtolo affictum. Miniſterium Apoſtolorum evertit gratiam univerſalem. An Deus id univerſale eſſe voluerit. An invitatio ad reconciliationis participationem ſit primus gradus prædicationis. Inutilitas iſtius Erotematis ad probandam Gratiam Vniverſalem. Fuga aperta Animadverſoris & declinatio à ſtatu controverſiæ. Contradictio evidens ejuſdem, per omnes & ſingulos homines non eſſe intelligendos omnes & ſingulos homines. Candor Animadverſoris deſideratus. Exceptio ejus retorta. Ignoratio elenchi notata. Invitationis ad reconciliationem ambiguitas expoſita. Locutio Animadverſoris aliena à ſtylo Scripturæ. Ad quem reconciliatio referatur in Scriptura* per appropriationem. *Ad ſolos reſipiſcentes pertinere promiſſionem reconciliationis. Quid ex œconomia non vocatorum per verbum inferatur. Quî Deus tales non deſeruerit. Cura Animadverſoris periculoſa de non vocatis per verbum. Ignoratio elenchi apertè falſa mihi impacta, abſterſa. Fuga Animadverſoris. Erotematis & argumenti ex eo ducti inutilitas. An Deus omni ope plurimos non electos vocet. Oppoſitum demonſtratum. An promiſſio remiſſionis ad eos pertineat. Diſſimulatio à me objectorum. Hortationis ad pœnitentiam prioritas neceſſaria. Quî nulla vera pœnitentia dicatur, niſi quæ naſcatur ex ſpe remiſſionis. Fundamenta hortationis ad pœnitentiam quæ ſint. Abſurda ſuſpenſæ pœnitentiæ à ſpe veniæ. Spes veniæ multis præcluſa. An promiſſio ſalutis & ſpes ejus objici potuerint non electis cum intentione eos ſalvandi. Quî beneficium promiſcuè proponatur. Exactio pœnitentiæ juſta eſt, etiam ſine deſtinatione beneficii. An Pater & Filius non geſſerint animum ab omni reconciliatione alienum reſpectu multorum. Conceſſio mihi afficta, revicta. Quid inferri poſſit ex propoſitione, Omnis credens in Chriſtum, ſervabitur. Actus diverſi fidei notandi. Quæ propoſitio primò credenda ſit. Ad quid & quî aliquis inſito felicitatis amore inſtigari dicatur. Vnde oriatur delectus medii cum ſalute connexi. An Deus omnes & ſingulos roget, ut illum fidei actum edant, quem neceſſariò ſequitur ſalus. An Deus* aliquomodo *inclinetur vel in omnium, vel in aliquorum ſalutem. Primus actus prædicationis falsò ſuppoſitus. Hortationes ſunt media rerum ipſarum perficiendarum. Phraſis incon-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

grua de Deo adhibita. Cogitationes Deo indignæ ei tributæ. Falſa ſuppoſitio mihi affictæ,
abſterſa. Externè vocatorum multorum pœna gravior. Abſurditas nobis impacta re-
torta in Animadverſorem. Diſſimulatio objectorum iterum illi impacta. Apoſtolorum
legationem apud omnes obitam non fuiſſe, nec omnibus & ſingulis deſtinatam. Illatio
Animadverſoris inconſequens. Abſurdum Animadverſori impactum. An poſt reproba-
tionem æternam dari poſſit præteritorum ad ſalutem invitatio ſeria cum intentione eos
ſalvandi. Diverſi vocationis fines reſpectu electorum & non electorum. Voluntas con-
ditionalis Dei de omnium ſalute, exploſa. Salus non magis redditur communis quàm
damnatio ex aphoriſmis Euangelicis. Deum ſalutem omnibus communem facere noluiſſe,
demonſtratum. Iniqua Animadverſoris quæſtio, & triumphi ejus inanes.

I. QVartum Erotema ductum ab univerſali Euangelii annuntia-
tione ab Apoſtolis inſtituta ſeriò etiam & cum cura à nobis
excuſſum fuit Parte III. à p. 1748. ad p. 1764. & oſtenſi para-
logiſmi varii Diſſertatoris, ignoratio elenchi & inconſequen-
tiæ. Oſtenſus etiam ordo & ratio πρεσβείας de qua ſermo II Cor. v, 20.
& abſurda varia impacta Diſſertatori.

II. Quæ verò regerit? 1. *Euangelii prædicationem ita ab Apoſtolis inſtitu-*
tam eſſe, ut omnes homines, quoad id quidem ab illis fieri poterat, nullo diſcrimine
alloquerentur: At 1. De *promiſcua* vocatione nobis lis nulla, ſed de *univer-*
ſali. Abit itaque Animadverſor ab eo quod eſt in quæſtione. 2. Eo ipſo,
quia ab illis fieri non potuit, ut omnes & ſingulos alloquerentur, annun-
tiatio Euangelii ab illis inſtituta, univerſalis non fuit, nec eſſe potuit,
nec Deus eam talem eſſe voluit, quod locis invictis ex ipſo Animadver-
ſore allatis demonſtratum dedimus, quæ ſibi diſſimulanda, tanquam indi-
cta, cenſuit. 3. Ne quidem apud multos annuntiatum Euangelium,
quantum fieri poterat ab Apoſtolis, quia interdum prohibiti fuêre docere
certis locis. Et quia ſæpe diu illis hærendum fuit in locis aliis, quo tem-
pore fieri poterat, ſi id Deo libuiſſet, ut Euangelium annuntiarent etiam
plurimis aliis. 4. Alloquutio etiam Apoſtolorum prima fuit, æquè ac
Johannis & Chriſti, hortatio ad pœnitentiam, & eâ demum exactâ & ſub
conditione demum ejus præſtitæ progrediebantur ad hortationem ad
fidem.

III. Addit, *Apoſtolos non diſtinxiſſe inter electos & non electos, nec ex præde-*
ſtinationis normâ delectum eorum feciſſe, ad quos Euangelium dirigerent, ſecretis
aliis. Id verò diſertè à me ipſo occupatum, *Apoſtolorum non fuiſſe in id in-*
quirere, qui illi eſſent vel non, & pro quibus Chriſtus eſſet mortuus, vel
non. Nec de beneplacito Dei ipſis fuiſſe laborandum, vel in id inquiren-
dum, ſed in mandatum ſibi propoſitum, non in *voluntatem decernentem,*
ſed in *voluntatem præcipientem.* Cui bono ergo iſta regerit! Addit: Eos
nullam aliam in eo rationem ſequutos, niſi quæ eſſet ex communi Dei φιλανθρωπίᾳ
petita,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

petita, & ex mandato Chriſti, Ite, prædicate omni creaturæ. φιλανθρωπίας ſanè *communis* rationem ſequuti fuêre, quatenus novêre in Novo Teſtamento, Deum eam extendere, non tantùm ad Judæos, ſed etiam id Græcos, hoc eſt, ad quaſvis gentes, pariete intergerino dividente ſubverſo, φιλανθρωπίας verò *univerſalis* Dei quoad ſalutem omnium & ſingulorum hominum rationem eos ſequutos, falſum, quippe qui noverant nec Deum omnium velle miſereri, & multos à Deo præteritos eſſe. Quia verò librum illum ſeptem ſigillis clauſum ſibi Deus reſervat, illi πρεσβείαν ſuam promiſcuè & obire debuêre, & actu obiêre. Et ſic habuêre rationem mandati de prædicando Euangelio *cuivis creaturæ*, oppoſitè ad œconomiam Teſtamenti Veteris.

IV. Fatetur Animadverſor, *illos hortatos eſſe ad reſipiſcentiam. At quia reſipiſcentia nulla ſit ſine ſpe remiſſionis & reconciliationis cum Deo, ſpem illam paſſim & ubique & nullo diſcrimine itidem omnibus oſtentaſſe, neque quemquam alloquutos eſſe, ſeu privatim, ſeu publicè, in Euangelii præconio, cui ſpem illam non offerrent & inculcarent. Id autem eos feciſſe non inſtinctu animi ſui, non ſolâ charitate (quæ tamen naſci non potuerit niſi ex imitatione divinæ* φιλανθρωπίας) *non ex munere vel ab ipſis temerè arrepto, vel à Chriſto oſcitanter & perfunctoriè conceſſo, ſed ex officio accuratè demandato, ita ut ejus legati haberentur. Chriſtum enim iis impoſuiſſe quod ipſe cœlo receptus per ſe obire non potuit.* II Cor. v, 18, 19, 20. *Porrò omnia ex Deo, &c. Sic quia Deus Pater ipſe per ſe mundum ſibi reconciliare non poterat, ſeſe in Chriſto exhibuiſſe, ut reconciliationem illam perficeret; Chriſtum quia ipſe per ſe ſermonem reconciliationis in mundo annuntiare nequivit, eum in Apoſtolis depoſuiſſe, ut mundum ad iſtius reconciliationis participationem Ipſius veluti & Patris nomine ac loco obnixè atque adeò precando invitarent.* At 1. Hortatio ad *reſipiſcentiam* duplex fuit, una merè *imperativa* obſequii, altera *imperativa* & *operativa* ſimul, illâ Deus à multis merè exegit officium, prout id pro ſuo jure exigere potuit. An verò Iudex, verbi gratiâ, homicidam ad pœnitentiam ſui criminis hortari non poteſt, quamvis nullam illi ſpem veniæ proponat? Falſum ergo, nullam hortationem ad reſipiſcentiam dari ſine ſpe remiſſionis. 2. Imò quia ſpes remiſſionis ſuſpenſa eſt à reſipiſcentia, & iſtius gratiam Deus tantùm electis facit, nec alii præterquàm electi verè reſipiſcere poſſunt, ſpei illius propoſitio ſine iſta gratia ſalutaris eſſe nequit ob corruptionem hominis, nec propoſitionem iſtam Deus ſalutarem eſſe vult talibus, quibus iſtam gratiam pro liberrimo beneplacito ſuo conferre non vult. Spei itaque illius propoſitio vel ablatio potius quàm *oſtentatio*, quæ, ut plurimùm ſaltem, in vitio eſt, nonniſi ſolis electis ſalutaris eſſe poterat. 3. Spem iſtam paſſim & nullo diſcrimine ab Apoſtolis propoſitam, certum, ubique,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

que, falſum. Et ſemper ab illis præmiſſum officium ; Et quia ſub hac conditione demum promiſſum beneficium, oſtenſus quidem nexus à Deo inter iſta conſtitutus iſtâ prædicatione, haudquaquam verò voluntas Dei de omnibus & ſingulis ſalvandis, ad quos perveniebat iſtud verbum. 4. Ex *adverſativis* Animadverſoris *copulativa* inſtituenda, nam & ex inſtinctu animi ſui ſanctificati, & ex charitate, & ex munere ſibi demandato Apoſtoli ita *promiſcuè* propoſuerunt & officium & beneficium, ob cauſas ſæpe dictas, ſed nunquam vel *univerſaliter*, vel hac ſpe, aut omnes actu per verbum iſtud convertendos & ſalvandos, aut ſalvari poſſe, quippe qui compertum habuêre Myſterium electionis & reprobationis, & id ipſum diſertè tradidêre. Quia tamen illorum non erat diſtinguere ſubjecta utriuſque, illorum erat communi & promiſcuâ defungi πρεσβείᾳ, & Deo arcana ſua relinquere, & bene de quibuſvis ſperare. Charitatem Apoſtolorum erga ſingulos ex divinæ φιλανθρωπίας velut univerſalis & omnium ſalutem volentis imitatione natam eſſe, denuò aſſeritur ſine fundamento. Alia enim illorum fuiſſet charitas, quàm Patriarcharum & Prophetarum ſub Veteri Teſtamento, qui Dei φιλανθρωπίαν ſalutarem, non niſi particularem vidêre erga unam familiam & gentem, vel φιλανθρωπία Dei fuiſſet mutata, quippe qui præconium iſtud verbi in Veteri Teſtamento in una tantùm gente exerceri voluit, in Novo in quibuſvis. 5. Chriſtum Apoſtolis prædicandi munus impoſuiſſe, extra controverſiam eſt, & apud quaſvis gentes. Vt verò nec ipſe præſens apud omnes iſta prædicatione defungi voluit pro beneplacito ſuo, apud quos eâ defungi potuiſſet, ſic, ut ex ipſo Animadverſore demonſtratum dedimus in Exercitationibus, noluit Apoſtolos, apud omnes eodem miniſterio defungi. 6. De verbis Apoſtoli II Cor. v, 18, 19, 20. nulla nobis lis, nec illa nos feriunt, ſed Animadverſorem. Dicitur enim Deus *nos* ſibi reconcilîaſſe, vel *mundum*, cui *non imputavit peccata* ſua. An hoc pro univerſali gratia? Tuam fidem Lector! Annon ſermo ibi de actuali reconciliatione, & de actuali non imputatione peccatorum? An malè pronomen *nos*, ut ſæpiſſime alibi, reſtringitur ob prædicata adjecta? Quod cavillo eludere ſæpe conatur Animadverſor, ſed nequicquam. An *mundus* ille aliud quid deſignat, quàm corpus ſalvandorum ex toto Mundo ex quavis gente collectorum, oppoſitum uni genti intra quam fœdus & gratia coërcita fuerunt in Teſtamento Veteri pauciſſimis quibuſdam proſelytis exceptis. 7. Nec Apoſtolus hîc dicit, quod ipſum dicentem facit Animadverſor, *Patrem per ſe Mundum ſibi reconciliare non potuiſſe*. Quod non dicimus, quaſi negaremus ſatisfactionis Filii neceſſitatem, ſed tantùm quia hîc affingitur Apoſtolo id cujus mentionem non facit. 8. Κτ-
τὸ

τὸ βίαιον, ut ipſo Animadverſore fatente, Deus noluit Apoſtolos legatione fungi apud omnes & ſingulos mortales, ſic nec per miniſtros alios, reconciliationis illud præconium voluit eſſe univerſale. Sin voluiſſet, non defuiſſent ei rationes optimæ, id omnibus promulgandi. 9. Falſum, primum gradum prædicationis Euangelicæ debuiſſe eſſe invitationem ad iſtius reconciliationis participationem, Chriſti & Patris nomine: Nec quod Apoſtolus ingeſſit ibi Corinthiis jam pœnitentiam ex parte ſaltem profeſſis, id ſtatim ingerendum illis, qui pœnitentiam nondum profeſſi erant. Qualis verò mundus & quî invitatus fuerit, patet ex prædicato adjecto.

V. Ex his liquet cauſæ nihil fuiſſe, cur gratiam univerſalem, quam probare ſategit iſtis Erotematibus, quarto iſto Erotemate ſe demonſtraturum conſideret. Quî verò oppoſita à me iſti Erotemati confutat? 1. A me negari, inquit, Euangelium omnibus & ſingulis annuntiari, & me ex eo κατὰ τὸ βίαιον argumentari. Quod quidem meritò à me factum. Oſtendat contrarium Animadverſor. 2. Inquit, illud *omnibus & ſingulis* à ſe dictum fuiſſe, non *abſolutè universè, ut omnes omnino homines complecteretur, ſed ut tolleretur tantum diſcrimen inter electos & non electos eatenus.* At hic perpetuus Animadverſoris paralogiſmus eſt, & merum effugium. Quum enim diſputatio inter nos inſtituta eſſet de gratia univerſali, ego illam Theſibus confutâſſem, Animadverſor eam Diſſertatione ſuâ vindicare ſategiſſet, tandem Erotematum nomine quinquaginta argumenta Erotematum titulo pro Gratia Vniverſali producere conatus eſt, quod & ex inſtituto, & ſcopo, & Librorum lemmatis, & ipſorum Erotematum multorum verbis patet. Quum verò in Exercitationibus noſtris paſſim demonſtratum fuerit, *ignoratione Elenchi* plerumque peccari, nec probari gratiam univerſalem, mutata velificatione ſtrenuus Diſputator id probandum ſe ſuſcepiſſe videri vult, vocationem non tantùm pertinere ad electos. An verò id Thema noſtrum erat, & diſputationis argumentum? Quid apertius, quàm Animadverſorem Sophiſticâ apagoge hîc uti & Theſin ſuam ac κυρίαν δόξαν deſerere, quam videt nullo tibicine fulciri poſſe. Demus jam, quod haudquaquam damus, & vocationem & ſpem ſalutis etiam pertinere ad aliquos non electos vocatos per verbum, an inde concluderetur *gratia univerſalis objectiva conditionalis* quam ponit? Meritò itaque *ignorationem elenchi* illi paſſim impingimus, quum apertè recedat à quæſtione. Ex quo patet, gratiam univerſalem pleriſque iſtis Erotematibus, ne aliquâ quidem veri ſpecie, probari poſſe, quam tamen probandam ſuſceperat. 3. Quis mortalium etiam unquam audivit, per *omnes & ſingulos homines* non eſſe intelligendos *omnes & ſingulos homines*!

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

Hominum enim nomen diſertè adjectum eſt in Erotemate. Quî etiam *univerſalitas abſoluta* aliter, & magis emphaticè efferri poteſt? Quis quæſo dicat, aliquid *omnibus & ſingulis hominibus* eſſe commune, quia non ſolis electis commune eſt? An ergo quia olim non electis tantùm communis fuit tranſitus per mare rubrum, ſed & plurimis non electis, ille poteſt dici communis omnibus & ſingulis hominibus? Quid quæſo ab omni rectè loquendi ratione alienius? Et annon manifeſta hîc fuga & verborum detorſio. Quàm præſtitiſſet, Animadverſorem hîc candorem ſuum probâſſe Lectori, ingenuâ inconſideratæ ſcriptionis confeſſione, quàm obſtinare animum & calamum contra apertiſſima verba, quæ nullam patiuntur reſtrictionem? Si *omnes & ſinguli homines* etiam non denotant *univerſalitatem abſolutam*, an longe minus univerſalia vocabula, quæ ex Scriptura & Calvino nobis objicit Animadverſor, eam neceſſariò deſignant? 4. *At*, inquit, *ſufficere ſibi, ſi in prædicatione Euangelii Deus & Chriſtus in Apoſtolis nonnullos non electos unà cum electis hortentur, & precentur, ut cum ipſis reconciliari velint. Sic enim ſaltem ad eos reconciliationis promiſſio*, addit, *pertinebit. De reliquis quibus verbum nondum annuntiatur, nos ſolicitos eſſe non debere, neque Deum eos omnino deſeruiſſe.* Imò hoc non ſufficit, quia non concludit inſtitutum, gratiam eſſe univerſalem. Adde, *invitationem ad reconciliationem*, eſſe vel *hortationem ad reſipiſcentiam*, vel *hortationem ad amplexationem reconciliationis in Chriſto partæ.* Si prius, hortatio illa omnibus quibus verbum prædicatur proponitur, quia eſt exactio officii debiti. Si poſterius, hortatio illa omnibus nec proponitur, nec proponenda eſt, ſed iis tantùm qui pœnitentiam egerunt. Contra ſtylum etiam Scripturæ dicit, Deum & Chriſtum hortari, ut *cum ipſis* homines reconciliari velint: At reconciliatio illa *appropriativè*, ut barbarè ſed ſignificanter Scholæ, in Scriptura refertur ad Patrem, inſtituenda quippe per Chriſtum. Quam diſtinctionem Paulus ibidem tradit, dum inquit, *Rogamus per Chriſtum, reconciliamini Deo.* Sic Pater ibidem in Chriſto dicitur ſibi reconciliâſſe Mundum. Et diſertè ibi diſtinguitur Filius à Patre, ut ille *per quem*, ab illo *apud quem* reconciliatio inſtituta. Quæ diſtinctio ab Apoſtolo etiam alibi obſervata, Chriſtum conſiderante, ut *Advocatum apud Patrem*, hîc etiam erat obſervanda. Quæ non ideò à nobis dicuntur, quaſi negemus *Opera*, quæ dicuntur in Scholis *ad extra*, eſſe communia, vel ea quæ referuntur ad Patrem quà Deus eſt, non quà Pater eſt, & contradiſtinguitur Filio, etiam referri ad Filium, ſed quia de œconomia redemptionis præſtat loqui cum Scriptura. Et quamvis Patri reconciliata ſit tota Trinitas, οἰκείωσις tamen ut *appropriatio* iſta à Scriptura δεικτικῶς expreſſa, nobis etiam de hoc myſterio loquentibus retinenda eſt. Ad omnes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

itaque & ſingulos reconciliationis promiſſionem pertinuiſſe, falſum, ſed ad omnes tantùm reſipiſcentes, quales nulli verè dantur, niſi qui electi. De reliquis, quibus verbum nec annuntiatum fuit, nec annuntiatur, qui maximam mundi partem faciunt, non ſoliciti ſumus, niſi ut ex œconomia iſta demonſtremus, promiſſionem ad illos non pertinere, quibus nunquam fuit annuntiata, adeóque eam non eſſe univerſalem. Quî Deus reliquas gentes non deſeruerit, nemo melius novit Apoſtolo, qui teſtatur, Deum illis dediſſe pluvias & præſtituta tempora fructibus perferendis Actor. XIV, 17. Vtinam verò ſolicitus non fuiſſet Animadverſor de non vocatis per verbum, & curas ſuas ad illos non extendiſſet, ſed ſe continuiſſet intra ſpacia vocatorum, præcidiſſet ille hac ratione multam materiam litium, nec ſe in inextricabiles conjeciſſet difficultates vocationis Euangelicæ quærendæ in natura fidei conſtituenda ſine cognitione Chriſti, & quæ ſunt alia id genus portenta novæ Thelogiæ!

VI. Addit: Me dixiſſe (omiſſis plurimis ex ipſiuſmet Animadverſoris propriis verbis à me citata, & ipſi impacta) *etiamſi id concederetur de omnibus qui vivunt temporibus Novi Teſtamenti, non propterea Gratiam Vniverſalem eſſe futuram, quia ſub Veteri Teſtamento longè pluribus non innotuit. Verum id nihil facit*, inquit, *ut ſupra monuimus, ad rem. Deus temporibus illis convenienter proſpexit, & id à nobis fusè explicabitur alibi, in* II *Parte Specialiorum Animadverſionum. Nunc nobis ſatis eſt Deum & Chriſtum plurimos non electos ad participationem ſalutis omni ope vocare. Id enim non facerent, niſi remiſſionis promiſſionem ad eos pertinere voluiſſent.* At 1. Illatio mea invicta eſt, & cauſæ jugulum petit, gratiam objectivam univerſalem probari non poſſe iſto Erotemate. Et tamen *hoc non facere ad rem*, inquit diſputator ſubtilis, ſi attuliſſet, *ſuam*, verè dixiſſet. An quid magis ad rem facere poteſt, quàm quod disertè evertit Theſin poſitam, & ei contradictoriè opponitur? 2. Merum effugium eſt, Deum temporibus illis *convenienter proſpexiſſe*, & id à ſe fusè explicatum Parte II. At quæſtio hîc eſt, an verbum reconciliationis iſtius omnibus annuntiatum fuerit, vel non, de quo Erotema agit, & quod negatum à me univerſaliter factum. Si id concedit, meritò à me negatum, hoc argumento univerſalem gratiam adſtrui. Si affirmat, falſum apertè affirmat. Non dubium, quin Deus *convenienter* temporibus illis proſpexerit, an verò ita illis proſpexit, ut *verbum reconciliationis* omnibus & ſingulis annuntiari juſſerit, quod ſolum eſt miniſterium Spiritus, vel ipſomet fatente? Nequicquam verò nos remittet ad ſecundam Partem. Conſueta hæc ipſi fuga eſt, quando ſe premi ſentit. Nec ibi id ipſum probat, quod probandum, ut ſuo loco oſtendetur. 3. Imò id ſatis non eſſet, quamvis daretur, quod non datur, Deum plurimos non electos ad participa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

ticipationem ſalutis vocare. Nec enim concluderetur τὸ κρινόμενον præcipuum, ob quod inter nos inſtituta diſputatio. Adde, ſupponi, non probari, Deum plurimos non electos ad participationem ſalutis vocare. omnis enim Dei vocatio ordinaria primùm eſt ad pœnitentiam, poſtmodum & ſecundariò demum ad participationem ſalutis per eam. Quid falſius etiam, quàm Deum *omni ope* plurimos non electos vocare? At quem non trahit Pater, illum ad Chriſtum nec omni ope vocat, nec, non tractus, ſine iſta tractione ad Chriſtum venire poteſt, vel velle venire. Hinc patet, Deum promiſſionem remiſſionis haudquaquam ad eos pertinere voluiſſe, quippe qui ſunt impœnitentes, & neceſſariò quidem ac incorrigibiliter. Et ſanè, promiſſionem remiſſionis ad aliquem extendere ſub conditione, quam ſcias illum nec habere, nec habere poſſe, quæ à te ſolo pendet, & quam dare ei nolis, eſt eam non extendere ad ſalutem illius. Plurima verò à me hîc notata, ut plerumque alibi, intacta prætermittit pro arbitrio accuratus Diſputator.

VII. *Tertiò,* inquit, *Diſtingui à me diverſa momenta prædicationis, & dici, non prædicari quidem Euangelium ſine promiſſione remiſſionis; at hortationem ad pœnitentiam præcedere debere. Tum contendere me, quemque hortandum eſſe ut credat Ieſum Nazarenum eſſe Meſſiam, & omnes in eum credentes ſervandos, non verò ut credat in individuo quiſque promiſſionem ad ſe pertinere, niſi perſpectâ prius ejus reſipiſcentiâ. Verùm prius illud inutile eſt. Quum enim nulla ſit vera pœnitentia niſi quæ potiſſimùm naſcitur ex ſpe remiſſionis, ſpes autem nulla remiſſionis ſit niſi ex promiſſione vel demonſtratione miſericordiæ Dei. ſi Deus & Chriſtus Apoſtolorum interventu omnes & ſingulos homines ad pœnitentiam appellârunt, conſequens eſt ut promiſſione eos in ſpem remiſſionis erexerint itidem. Potueruntne ergo id Deus & Chriſtus facere, ſi omninò remiſſionis promiſſio nihil ad iſtos attinebat? Rogâruntne eos ut reconciliari vellent, ſi ipſi mentem gerebant ab omni reconciliatione prorſus alienatam? Poſterius id ipſum concedit quod Erotema poſtulat. Nimirum quicunque credidit, uti credere id oportet, Ieſum Nazarenum eſſe Meſſiam, & omnes in eum credentes ſervatum iri, ille eum actum fidei præſtitit ex quo reliqui neceſſariò conſequuntur. Sic enim ratiocinatur apud ſe:* Quicunque ex hominibus credet in Ieſum Nazarenum, ille vitam æternam obtinebit. *Quod nihil aliud eſt quàm adhibere fidem teſtimonio quod Pater de Filio perhibuit, ut ſuprà ex Iohanne vidimus. Subſumit autem ſic:* Atqui ſum ego unus ex hominibus. *Fieri enim certè nequit quin ſic continuò mentem in ſemetipſum reflectat. Ex quo concluſio ſequitur:* Ergo ſi credam in Ieſum Nazarenum, ſalvus ero. *Si igitur actus ille fidei qui majore propoſitione continetur, nondum eſt tota fides, poteſtne quiſquam habere certiſſimè perſuaſum, ſi in Ieſum credat, fore ut ſervetur, quin inſitus felicitatis amor eum illò neceſſariò rapiat, ut felicitatis indubitatum auctorem*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

ctorem complectatur? Rogant ergo Deus & Chriſtus omnes & ſingulos, ut eum fidei actum edant quem ſalus neceſſariò ſequitur; quod quî facere poſſint equidem non video, ſi nullo modo in omnium & ſingulorum ſalutem inclinantur. Tum ſi Deus & Chriſtus per Apoſtolos ita loquuntur: Vos omnes & ſinguli quotquot auditis Euangelium, credite firmiter Ieſum Nazarenum eſſe Meſſiam, æternæ ſalutis auctorem iis omnibus qui eum per fidem amplectuntur, id non certè faciunt, præſertim adeò enixè, adeóque cum affectu ut precari videantur, niſi certâ quadam de cauſa. Ea autem quænam eſſe poteſt, ſi nullam omninò ſalutis non electorum cogitationem ſuſceperunt? Decet ne Deum & Chriſtum tanto ſtudio homines ad eum fidei gradum invitare, eo ſolum conſilio ut ſi homines non electi veniant, ſalutis ſpes eos fruſtret, ſi non veniant, gravius & atrocius puniantur? At 1. Hortationem ad pœnitentiam præcedere debere, meritò à me dictum, ſecundùm praxin Chriſti & Johannis, & Apoſtolorum. Nec Chriſtus Redemptor eſt ullius non pœnitentis, ſed ira Dei ſuper ipſo manet. Et cùm nullius increduli, ſecundùm Animadverſorem, ſit Redemptor, nullius impœnitentis etiam eſt Redemptor. Neceſſarium etiam, ut credat vocatus Jeſum Nazarenum eſſe Meſſiam, & Mediatorem omnium credentium in eum, antequam credere poſſit eum eſſe Meſſiam ſibi deſtinatum, vel ſuum Mediatorem. Neminem quoque hortandum dixi, ut credat in individuo promiſſionem ad ſe pertinere, niſi perſpectâ prius ejus reſipiſcentiâ. Et meritò quidem. 2. *Prius inutile* eſſe, dicitur ſine probatione. *Nullam veram pœnitentiam eſſe niſi quæ naſcitur ex ſpe remiſsionis*, ambiguè dictum, nullam actu *dari* in peccatore, datur; nullam *dari debere*, & Deum eam exigere ab homine non poſſe, vel non exigere etiam ſine remiſſionis oblatione, adeóque ſine ejus ſpe, falſum. Si Animadverſori credimus, non potuiſſet Deus ab homine exigere pœnitentiam, niſi illi Mediatorem dediſſet, nec homo eam debuiſſet Deo. Nec quæſtio jam eſt, quæ ſit diſpoſitio ſubjecti, in quo pœnitentia vera datur, ſed quæſtio eſt, an hortatio omnis ad pœnitentiam præſupponat ſpem veniæ, vel ejus oblationem, quod à nobis negatum, & verè quidem: Sola fœditatis peccati, ingratitudinis creaturæ, & offenſæ Majeſtatis Creatoris conſideratio, *motiva* ſunt ſufficientia, quæ hortationem ad pœnitentiam, juſtitiam, & officii iſtius æquitatem commendant. Et ſtatim ac peccatum admiſſum eſt, pœnitentia debita eſt, quamvis nulla dum proponatur ſpes remiſſionis. Et ante ejus propoſitionem, primis parentibus non deſinebat incumbere τὸ μετανοεῖν. Et ſanè, ſi res aliter ſe haberet, reus qui in furcam agitur ſine ſpe, non deberet in foro civili pœnitentiâ duci criminis à ſe admiſſi. Diabolus etiam, ſi hoc admittimus, non peccat, dum eum peccatorum ſuorum non pœnitet, quia Deus illi ſpem nullam facit gratiæ. 3. Si etiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

ſpes nulla remiſſionis ſit niſi, ex promiſſione vel demonſtratione miſericordiæ Dei, illiuſque in Chriſto propoſitæ, nulla potuit eſſe ſpes innumeris gentibus, quippe quibus nec promiſſa nec declarata fuit iſta miſericordia Dei, quæ declarari non poteſt extra verbum. 4. Falſum, & Deum & Chriſtum Apoſtolorum interventu *omnes* & *ſingulos homines* ad Pœnitentiam appellâſſe, & eos ad eam appellari non potuiſſe: Falſum etiam, hoc officium à multis exigi non potuiſſe, quamvis promiſſione in ſpem remiſſionis Deus eos non erexerit: An etiam promiſſionis & ſpei iſtius propoſitiones cum intentione ſalutis apud illos inſtitui poſſunt ſub conditione pœnitentiæ, quas illas inſtituens novit non magis illos præſtare poſſe, quàm corruptionem ſuam, & invictam quidem, exuere? Propoſitio ipſa itaque promiſſionis de remiſſione ſub iſta conditione inſtituta apud homines corruptos omninò & mortuos in peccatis ſuis, ſine adjecta Spiritus gratia efficaci, vel ſine voluntate eam adicjiendi, ad ſalutem talium haudquaquam ordinari poterat, ſed tantùm vel ad *convictionem* eorum, vel ad eorum *coërcitionem*. Prout verò *officium*, quod debebant omnes, promiſcuè fuit propoſitum, ſic & *beneficium* promiſcuè proponi nihil obſtabat. ſatis enim erat id ſuſpendi à præſtatione conditionis, & eo tantùm oſtendebatur nexus inter utrumque, non verò voluntas Dei de illis per iſta ſalvandis, niſi quibus gratiam conditionis præſtandæ largiri ſimul voluit. 5. Rogatio iſta ratione pœnitentiæ, eſt merè *impetrativa officii* quoad non electos, & fieri poteſt ab iis qui hoc jus habent, quamvis nullum beneficium deſtinent illis à quibus exigunt officium. Imò ſi Pater & Filius mentem non gerebant ab omni reconciliatione cum talibus prorſus abalienatam, cur illis non dedêre gratiam pœnitentiæ ſine quâ noverunt eos pœnitentiam agere non poſſe? Et an ſeriò rogat aliquis alium, ut præſtet quod novit eum præſtare non poſſe, quæcunque impotentia intercedat, modò invicta ſit? An etiam Pater & Filius non gerebant mentem ab omni reconciliatione alienam erga illos, quos Pater odit ab æterno, & quos Filius nunquam novit? Habere ſanè mentem non alienatam à reconciliatione cum aliquo ſub conditione quam præſtare eum non poſſe ſcias, & eam prorſus alienatam ab eo habere, in idem recidunt. 6. Concedi à me, quod Erotema poſtulat, falſum. Quî id probat Animadverſor! *Nam quicunque credidit, uti credere id oportet, Ieſum Nazarenum eſſe Meſſiam, & omnes in eum credentes ſervatum iri, ille eum actum fidei præſtitit, ex quo reliqui neceſſariò conſequuntur.* An verò ullus mortalium priorem iſtum actum præſtat, ut oportet, qui non ſit electus, & quem Pater non trahat? An inde ſequitur, vel gratiam, vel promiſſionem pertinere ad alios, quàm ad tales? Fatebimur verò ultro, talem ſic apud ſe

ratio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

ratiocinari : *Quicunque ex hominibus credet in Ieſum Nazarenum, ille vitam æternam obtinebit*, ob nexum indiſſolubilem inſtitutum inter fidem & vitam, ſed nemo hoc ipſum credet,ut oportet,vel tali ſe ſyllogiſmo eriget, qui non ſit actu pœnitens, & qui non actu adhibeat fidem, teſtimonio quod Pater de Filio perhibuit, adeóque qui non ſit electus. Subſumet verò, non, ut vult Animadverſor : *Atqui ſum ego unus ex hominibus*, ſed, *ſum ex hominbus hoc verè credentibus.* Aliàs nemo eſſet impœnitentium & hypocritarum, qui non prius poſſet ſubſumere, quamvis non poſſit ſubſumere poſterius. Inde verò non ſequetur *Concluſio*, quam texuit Animadverſor : *Ergo ſi credam in Ieſum Nazarenum, ſalvus ero*, ſed : *Ergo ego ſalvabor*. Quis enim unquam ex Majore & Minore propoſitione non hypotheticâ educit concluſionem hypotheticam. At forma hîc & majoris & minoris eſt categorica, concluſio verò hypothetica. Major enim : Quicunque ex hominibus credit in Jeſum Nazarenum, vitam æternam obtinebit, ſic debet formari, vel ſaltem huic propoſitioni æquipollet : Omnis credens in Jeſum Nazarenum habebit vitam æternam. Subjiciendum jam: Atqui ego credo in Jeſum Nazarenum. Ergo vitam æternam habebo. Animadverſor verò, parum ſtructuræ verborum ſuorum memor, & concluſionem hypotheticam educit ex præmiſſis iſtis categoricis, & mutat terminos. Servandi verò ſunt termini iidem in concluſione, nec enim concludi poteſt, quod non eſt probatum. Nec *hic ſyllogiſmus* aliud quid infert, niſi I. Nexum inter fidem & vitam. II. Applicationem vitæ ad ſubjectum in quo actu reperitur fides. 7. Actum verò illum qui Majori propoſitione continetur,nondum eſſe totam fidem, patet, quia opus actu ulteriore, ut cum Scholis loqui liceat, *applicativo & reflexivo*, quem fidelis inſtituit in Minori propoſitione & concluſione. Fatemur itaque libenter, poſt propoſitionem majorem creditam, ut oportet,ſequi minorem & applicationem : Sed ſemper opus illam propoſitionem primò actu credi, ut oportet, quod conſtanter urgemus. Adde, ex *inſito felicitatis amore* ſanè aliquem ad hoc inſtigari aliquo modo poſſe, ſed ut *eò rapiatur*, & hoc medium præferat omnibus aliis, quæ humana excogitavit ratio, quamvis ex ſe ratiocinationi noſtræ parum opportunum, opus tractione Spiritus S. nec hic actus noſter actus eſt, *originaliter*, vel ſequitur veluti ex ſe inſitum felicitatis amorem, ſed ſolam tractionem Patris,quæ electorum duntaxat eſt, adeóque & actus qui eam ſequitur, & ab ea unicè pendet. Inſtat Animadverſor : *Rogant ergo Deus & Chriſtus omnes & ſingulos, ut eum actum fidei edant, quem ſalus neceſſariò ſequitur, quod quî facere poſſunt, ſi nullo modo in omnium & ſingulorum ſalutem inclinantur.* At quos rogant? Annon pœnitentes? At qui pœnitentes,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

niſi electi. Nec prædicationis actus, ut homo hoc credat, primus eſt, ſed actus invitans ad pœnitentiam. An etiam omnes & ſingulos mortales hoc rogant Pater & Filius? Hoc ſanè nihil apertè falſius. Sine eo tamen non probatur Gratia Vniverſalis. Nec ſi Pater & Filius inclinarentur in omnium & ſingulorum ſalutem, *aliquo modo* in eam inclinarentur, ſed *omni modo*, & vel conditionem ejuſmodi non exigerent, vel ejus gratiam illis facerent, à quibus eam exigunt, cum nonniſi ſuo dono eam præſtari poſſe nôrint. 8. Supponitur ſemper, hunc eſſe primum actum prædicationis, Vos omnes & ſinguli quotquot auditis Euangelio, credite Ieſum Nazarenum eſſe Meſſiam veſtrum, pro vobis mortuum. At primus actus eſt τὸ μετανοεῖν. Nec actus alter, niſi actu pœnitentiæ præſtito auditoribus Euangelii competere poteſt, quales nonniſi electi. Et ſanè illorum causâ miniſterium à Deo inſtitutum. Adde, nec hoc præconium univerſale ſtatui poſſe ſine evidentiſſima falſitate. Hortationes verò iſtæ & aliæ id genus ſunt *inſtrumenta & media* per quæ Deus pœnitentiam & fidem in electis ſuis vult operari. Hâc de cauſa inſtituuntur. An etiam conveniens eſt phraſis iſta Majeſtati Dei, *ſi nullam omninò ſalutis non electorum cogitationem ſuſceperunt*: Hominum eſt, aliquam duntaxat cogitationem de his vel illis objectis, perſonis, eventibus ſuſcipere. Quorum verò ſalutem Deus voluit, pro ea omnem cogitationem neceſſariam, quamvis ἀκυρόλογος ſit iſta locutio, ſuſcepit de mediis & conſtituendis & conferendis, per quæ ad ſalutem actu ducerentur. Quamvis una & ſimpliciſſima Dei volitio ad id ſufficiat. Aliàs cogitationem ſuſcipere de aliquo ſalvando ſub conditione ut reſipiſcat & credat, quem ſcias nec reſipiſcere poſſe, nec credere, eſt illi illudere, non illum ſalvari velle. Supponitur etiam falſò, Deum omnes & ſingulos ad iſtum fidei gradum invitare, minus, ſine pœnitentia antecedente. 9. Annon etiam immanis eſt iſta ærugo, quâ mihi affingit Animadverſor, quaſi ſtatuerem, Deum eo conſilio tantùm invitare non electos, *ut, ſi veniant, ſalvandi ſpes eos fruſtret*? Imò ſi illi venirent, jam non eſſent non electi, ſed electi, cùm nemo niſi electus venire poſſit. Aliàs certum, multos externè vocatos gravius & atrocius puniendos, Chriſto id diſertè teſtante & apud Matthæum, & apud Johannem, multos peccatum tam grave non habituros, ſi illis non fuiſſet locutus. Imò & Animadverſor fateri cogitur, vel fidem non eſſe ſolius Dei donum in ſolidum, & ſolorum electorum, vel fateri cogitur, hortationes ad fidem talibus neceſſariò cedere in majorem condemnationem, & Deum eas illis admoventem nôſſe eas in hunc finem certò & inevitabiliter ceſſuras.

VIII. Addit: *Quartò concedit quidem Vir Doctus Apoſtolos* ὑπὲρ Χριστοῦ πρεσ-

πρεσβεύειν, at negat eos eâ legatione functos eſſe apud omnes in univerſum. Fruſtra: ſufficit enim eos eſſe functos eâ legatione apud nonnullos è non electis ad quos ſuam prædicationem direxerunt. Tum ait, Apoſtolorum non fuiſſe inquirere quinam eſſent electi vel non: ſed verbum ita promiſcuè proponere, Quicunque pœnitentiam egerit & crediderit, ſervabitur. *Quando igitur non aliter prædicaverunt, auctore Apoſtolo, niſi*, ὡς τοῦ Θεοῦ παρακαλοῦντος δι' αὐτῶν, *neque Deus in ea* παρακλήσει *rationem habuerit diſcriminis à ſe per electionem inter homines conſtituti, & verbum promiſcuè ita propoſuerit*, Quicunque crediderit ſervabitur. *Si igitur Deus facit ſalutem communem & promiſcuam omnibus, modò credant, cur adverſus gratiam illam communem homines tam pertinaciter luctantur?* 1. Multa à me ipſi oppoſita cautus diſputator planè prætermittit. 2. Verè à me dictum, Apoſtolos eadem legatione haudquaquam functos eſſe apud omnes in univerſum, adeóque eam illis non impoſitam, quoad omnes, aliàs vel fruſtrà eam iis impoſitam, vel ab illis non factum officium. Haudquaquam verò ſufficit, *eos eâ legatione functos eſſe apud multos è non electis*. Hoc enim non concludit τὸ ἀμφισβητούμενον de gratia univerſali. Et omnibus præſcriptus ordo legationis partim obitæ, partim obeundæ. 3. Ipſe fateri cogitur, à me dictum, Apoſtolorum non fuiſſe inquirere, qui eſſent electi, vel non, ſed verbum promiſcuè proponere, officium alienum exigere, ſuum fungi, & Deo eventum committere. Fruſtrà verò ex eo infert, cùm non niſi Deo per illos hortante hortati fuerint, Deum in eâ hortatione non habuiſſe rationem diſcriminis à ſe per electionem inter homines conſtituti. Egregia verò illatio! Si miniſtri ignorant qui ſint electi, vel non. Ergo & Deus. Si Apoſtolorum non fuit hîc diſtinguere. Ergo nec Dei. Satis, eos id propoſuiſſe, quod Deus proponi volebat, & eo modo ac ordine quo id propoſuiſſe volebat, & ex auctoritate divina, ut Dei legatos. An verò prædicationem in tempore demum exercitam, & munus prædicationis Apoſtolis impoſitum non anteceſſit æterna electorum & reproborum apud Deum diſcriminatio? Et talis quidem, ut reprobi nec ſalvarentur actu, nec poſſent ſalvari, *præteriti* quippe, quorum exitium ineluctabile, ut fatetur Animadverſor, & tamen ſi eum audimus alibi, Deus tales in tempore poſt iſtam præteritionem æternam ſalvari voluit per miniſterium Apoſtolis commiſſum. Habet ſanè Deus rationem electorum, & non electorum in iſta prædicatione, quia aliquos electos nimirum, ex illis vocatis per eam traxit, alios, nimirum præteritos eodem modo vel coërcuit, vel convicit ſaltem & utrumque quidem ex decreto æterno. 4. Verbum *promiſcuè* propoſitum eſſe, *Quicunque crediderit, ſervabitur*, fatemur, univerſaliter, negamus. Id ipſum enim proponendum eſſe poſt pœnitentiæ præconium, damus, ante, negamus.

Et de nexu fidei ac ſalutis nobis lis nulla. Inde verò ſequi, Deum facere ſalutem communem omnibus & ſingulis mortalium, modò credant, falſum, tum quia Deus nullam ejuſmodi voluntatem indefinitam habere poteſt de re incerta, imò minus de re certò non futura, & quæ fieri non poteſt ex ſuo decreto, quale quid ne in mediocrem quidem ſapientiam humanam cadit, vel cadere poteſt. Adde, facere ſalutem communem iis qui credere non poſſunt ſinè ſuo dono, quod dare iis noluit, eſſe illis ſalutem non facere communem. Imò ex aphoriſmo, *Omnis credens ſervabitur*, non magis ſalus fit communis, quàm communis fit damnatio ex aphoriſmo oppoſito, *Omnis non credens damnabitur*. Nec ſi Deus ſalutem communem facere voluiſſet omnibus, vel ſuſpendiſſet eam à conditione iſta, vel eam omnibus dediſſet, vel non paſſus fuiſſet omnes incidere in ἀδυναμίαν illam communem non præſtandi fidem, quodcunque ei nomen detur. Adde, ſemper hoc extendi non poſſe ad plurimos, qui ne per ætatem quidem hujus invitationis potuêre eſſe ullo modo capaces. Ex his patebit Lectori, quàm meritò quærat Animadverſor ſub finem, *cur adverſus gratiam illam communem homines tam pertinaciter luctentur?* Cauſæ iſtius oppoſitionis abundè à nobis demonſtratæ. Adde, *gratiam communem* non eſſe κελνόμενον inter nos, ſed *univerſalem*, quæ vel probanda erat, vel deſerenda. Ingenuè fatendum ſaltem, malè eam hoc Erotemate defenſam. Multa verò è reſponſione noſtra ne attigiſſe quidem Animadverſorem animadvertet Lector ex collatione ſcriptorum noſtrorum. Et tamen hoc eſt accuratè omnia confutare, & cauſam habere addendi *τὸ Iὸ pæan!*

CAPVT VI.

Vindiciæ Reſponſionum ad V. Erotema, Sectio I.

De Præfatione Animadverſoris.

BREVIARIVM Capitis ſexti.

DEfenſionis Erotematum ordo confuſus, notatus. Inſtitutum Auctoris circa hoc opus ter mutatum. Specialis pars primò occupata, Generalis ultimo loco. Ejus rei probatio. Ordo à nobis reſtitutus. Prolixitas Animadverſoris. Cauſa diviſi Examinis Defenſionis Erotematis quinti. Provocatio Animadverſoris injuſta ad Tractatum Calvini de Prædeſtinatione. Demonſtratio ex eo dogmatum oppoſitorum doctrinæ de Gratiâ Vniverſali. Conſenſus Animadverſoris cum Alberto Pighio *in multis. Inductio variorum à Calvino propoſitorum, quæ incompatibilia cum ſententia Animadverſoris. Promiſcua gratiæ extentio gratiam extenuat. Omnium in Adamo perditorum invitatio ad ſalutem* puerile figmentum *Calvino. Variæ ejuſdem aſſertiones nobis faventes.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

Prima miſericordia univerſalis *Animadverſoris jugulata. Prædeſtinatio univerſalis ejuſdem everſa. Vniverſalis veritatis Dei manifeſtatio deſtructa. Loca à nobis oppoſita Animadverſori, oppoſita etiam Pighio à Calvino. Deum omnes velle ſalvos fieri, ab eodem negatum. Locus* 1 Tim. II. *de generibus ſingulorum à Calvino expoſitus. Argumentum de infantibus gentilium à Calvino etiam adhibitus. Omnia ad Dei beneplacitum à Calvino reducta. Quid de* moderatoribus *in hoc negotio ſtatuat Calvinus. Pighii & Animadverſoris objecta multa eadem. Prædeſtinatio quî à Calvino explicata. Diſputata à Calvino contra* Georgium Siculum *gemina noſtris. Finis externæ prædicationis reſpectu non electorum, ſecundùm Calvinum. An ovis perdita Calvino deſignet reprobum. An incredulitas illi ſit cauſa reprobationis. Voluntas univerſalis ſalvandi omnes à Calvino everſa. Provocatio Animadverſoris ad Calvinum, retuſa. Liber Calvini de occulta Dei providentia oppoſitus Animadverſori. Nexus inter officium & beneficium univerſalibus propoſitionibus demonſtratur ſecundùm Calvinum. Quî Deus velit omnes ſalvos fieri. Calvino affictа. An promiſſiones abſolutæ & hortationes conjungi non poſſint.* Ἀσύστατον *ab Animadverſore aſſerta. An fœdus gratiæ habeat promiſſiones ſimpliciter univerſales. Afficta nobis. Methodus à Chriſto adhibita, malè perſtricta. Ordo in Prædeſtinatione tradenda, ut & in promiſſionibus proponendis obſervandus. Quî univerſalitas promiſſionum dari poſſit. An ex electione ſit argumentum ducendum ad fidem, an contra. Quî promiſſiones credendæ ſint & applicandæ. Digreſſio Animadverſoris de Fide. An fides oriatur ex appulſu facultatis ad objectum.* Ἀφιλόσοφον *Animadverſoris pronuntiatum. Quî fiat intellectio. Ordo actuum fidei ab Animadverſore conſtitutus, retortus. An probandum fuerit Animadverſori, fidem eſſe in intellectu, & non potius, eam eſſe in ſolo intellectu.* χέστων *fidei confuſio. Actuum fidei expoſitio retorta in Animadverſorem. Promiſſionis univerſalitas reſpectu omnium credentium non ponit gratiam univerſalem. Inutilis digreſſio Animadverſoris. Quî Propoſitio, Omnis credens ſalvabitur, reſtricta ſit & determinata. Quale diſcrimen innuat. Quî univerſalis ſit & non ſit. An & quî credentes eam pro tali habeant.*

I. HVjus Erotematis defenſionem, quæ ſuo loco Lectori exhibenda erat cum aliis ejuſdem ordinis, ad manipulum alium retulit Animadverſor, & eam cum Erotematibus XIII & XLI. in *Parte Specialiori* Speciminis Animadverſionum ſuarum exſtare voluit. Quo jure id fecerit, vix explicare poterit, niſi defenſiones ſuas circa reliqua Erotemata *generales* tantùm fateatur, adeóque parum accuratas ad objecta omnia diſſolvenda, quorum tamen confutationem ſeriò occupâſſe videri vult. Si enim reliquæ etiam ſint *ſpeciales*, cauſæ nihil erat, cur has ſegreges exire pateretur. Quî verò hoc factum fuerit, ex collatione Partis utriuſque facilè deprehendi poteſt, Animadverſori nimirum (poſtquam Epiſtolam à ſe Exercitationibus meis oppoſitam jam aliquâ ſui parte excluſam, ex Amicorum conſilio revocâſſet, & immitis Pater partum ipſe ſuum, vix quippe vel cauſæ vel famæ ſuæ reſponſurum, Saturni inſtar devorâſſet) conſtitutum fuiſſe duas ſuas Diatribas de potentia naturali & morali, & de τῷ γνωστῷ τοῦ Θεοῦ, quæ duo argumenta inde à concertationibus iſtis bonam Meditationum ejus partem faciunt, & quo-

rum

rum materiam jam dudum congeſtam habebat & comportatam, extrudere, & pro omni reſponſione tria Erotemata ſeligere, quæ ab Annotationibus meis vindicaret. Quum interea ne hoc quidem ſatisfacere videretur vel ſuorum expectationi, vel τῆς ἐξ ἐναντίας flagitationi, ad *Generaliorum* Animadverſionum ſtructuram ſe invitus convertit, & in ijs reliquorum etiam Erotematum unà cum aliis quibuſdam defenſionem ſuſcepit, ſed verè *generalem* & perfunctoriam. Et hunc hujus Operis ordinem fuiſſe demonſtrari poteſt ἀναντιῤῥήτως, præter rationes alias ex eo, quod in parte *Generaliori* paginas etiam ad marginem citat Animadverſor foliorum exſcriptorum à Typothetis in Parte Specialiori, quod fieri haudquaquam potuiſſet, niſi iſte fœtus prodiiſſet primus, ſed qui infelici fato ex primogenito factus fuit poſtgenitus, & appendicem tantùm conſtituit poſt ſe natæ fœturæ. Quin res ita ſe habeat, ne Animadverſor quidem negare poteſt. Hinc totum ſpecimen non ad δεύτερον ſed ad τρίτην φροντίδα referri debet, & ad Amicorum aliquot, qui nobis fortè non ſunt ignoti, ſolicitudinem, quorum curæ exaſciatum hoc opus debemus. Quicquid verò ſit ejus rei, & quamvis defenſiones omnes debuiſſent eſſe *ſpeciales*, homini me adhuc poſt omnia à ſe confuſa, confuſionis paſſim liberaliter arguenti, hoc præſtabimus officium, ut ab eo verè confuſa à confuſione liberemus, & confutationem trium iſtorum Erotematum, ne hient numeri, ſuis locis reponamus, & eo quidem ordine quo collocari debent. Eâ verò etiam ingenuitate utemur, ut quamvis immani prolixitate hominem etiam χαλκέντερον abſterrere à veſtigiis ſuis legendis poſſit, haudquaquam committamus, ut nos vel truncatæ vel luxatæ ſcriptionis ſuæ jure poſtulare poſſit. Obfirmandus interea Lectori & nobis animus ad Examen centum & aliquot paginarum majorum, quas nobis obtrudit. Si hîc ego quoque prolixus ſim, & diſcam ὑποσκάζειν παροικῶν χωλῷ, primus non peccavero, Animadverſorem ſaltem, ſuæ culpæ conſcium, qui mihi præit, habebo faventiorem. Quandoquidem verò in nimiam molem excreſceret Caput iſtud, ſi ſine diſtinctione omnia exequerer, quæ in eo pertractat Animadverſor, liceat nobis illud in diſtincta Tmemata τεμαχίζειν, faſtidio abſtergendo.

II. Præfatur primò prolixè Animadverſor aliquot paginis, & quædam è Calvini libro de Prædeſtinatione ſuper duobus capitibus federis Euangelici Lectori proponit. Ad quod quidem ſcriptum ab eo provocari, mirum foret, ſi vulgaris illi eſſet ſui fiducia. Notum equidem eruditis, ea Tractatu illo paſſim poni à Calvino, quibus non magis Gratia Vniverſalis ſuperſtrui vel conciliari poſſit, quàm *Pighii* vel *Siculi* commenta. Imò eam apertè ibi deſtrui. Quod quidem demonſtratum hîc

accu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

accuratè & prolixè daremus, niſi conſtitutum nobis in hoc Opere eſſet, vel planè non, vel parcè admodum ea tangere quæ ex humanis ſcriptoribus vel petuntur, vel peti poſſunt, contrahendæ ejus moli, & unicè quidem. Præterquàm quod argumenta ἄτεχνα ab authoritate humana in re Theologica ducta nec cauſam decidunt, nec quæſtionem juris. Quæ etiam ratio eſt, cur anxium citationum variarum id genus apparatum in Pontificiorum ſcriptis vel negligant ſæpe Theologi noſtri, vel excutiant compendio & paucis. Quia tamen ita θρασέως ad hoc Calvini ſcriptum provocare audet Animadverſor, quo tamen Theologiæ ejus fundamenta evertuntur, & nervi ſucciduntur, operæ pretium erit quædam ex eo delibare. Notet itaque Lector, Animadverſorem in multis cum Pighio ſentire, quæ Calvinus diſertè confutat, verbi gratiâ *Deum creâſſe omnes indiſtinctè ad ſalutem: Deum præviſâ defectione remedium adhibuiſſe, quod omnibus perindè commune eſſet: Deum prævidentem pertinaciam hominum in malitia & gratiæ contemptu tales reprobâſſe, niſi reſipiſcant. Indignè de Deo ſentire, qui quoſdam præcisè & abſolutè electos tradunt, alios deſtinatos exitio. Deum prius creandi ad vitam hominis ſuſcepiſſe conſilium, quàm ejus lapſum præſciret, ideò ſalutis humanæ cogitationem mortis præſcientiam ordine in ipſo Deo præceſſiſſe.* An non verò Animadverſor illa ipſa dogmata defendit, quæ Calvinus in Pighio graviſſimè & meritiſſimè damnat? Et diſertè notat Calvinus, *Dei beneficentiam promiſcuè ad omnes extendentem, quantum in ſe eſt, eam extenuare. Puerile* etiam *figmentum eſſe*, inquit Calvinus, *quod gratiam Pighius interpretatur, Dominum omnes in Adam perditos ad ſalutem nihilominus invitâſſe, clarè enim Paulum Dei præcognitos à reliquis diſcreviſſe, quos adſpectu ſuo dignatus non eſt.* Plenis etiam velis Pighium in Deum invehi addit, ſi quos ab ipſa creatione exitio deſtinet. Non electos etiam ad interitum aptatos docet, quia naturæ ſuæ relicti certo exitio devoti ſunt. Altius verò Dei conſilium præceſſiſſe notat antecedens conſiderationem peccati. Pighio quoque impingit diſertè, eum audacter colligere, *Deum indiſcretè & indiſcriminatim diſpoſuiſſe univerſos ita creandos, ut ſuæ bonitatis ac beatitudinis eſſent participes.* Diceres revera iſta omnia & totum hunc Tractatum Calvini oppoſitum eſſe directè Animadverſoris Theologiæ, pauciſſimis exceptis, quæ ad determinationem voluntatis per gratiam efficacem ſpectant. Perſtringit ibidem Calvinus Pighium, quòd Auguſtinum rideat, hoc eſt pios omnes, qui Deum imaginantur, poſt præviſionem ruinæ univerſalis omnium in Adamo, alios ad vitam, alios ad interitum deſtinâſſe, & quod Pighius ſtatuat illud de omnibus in ſalutem creandis Dei conſilium Adæ lapſu fuiſſe ſuperius, adeóque & electione & reprobatione jam peccatorum. Quo ipſo jugulatur à Calvino *prima* illa *miſe-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

ricordia univerſalis Animadverſoris antecedens decretum Electionis & Reprobationis. Negat etiam Calvinus, Deum æterno ſuo conſilio communem omnibus ſalutem deſtinâſſe, & evertit Animadverſoris *Prædeſtinationem univerſalem.* Quàm conſona etiam ſunt Animadverſoris Theologiæ quæ addit Calvinus? Dum negat, Deum voluiſſe omnibus notam eſſe ſuam veritatem. *Si omnibus notam voluit*, inquit, *cur legem ſuam non publicavit & gentibus? Cur incluſam in anguſtiis tenuit vitæ lucem?* Eadem loca Calvinus ibidem opponit Pighio, quæ nos Animadverſori ex Pſalmo 147, 20. & Act. XVI, 6. & docet, *Deum poſt lucem vitæ ſolis Iudæis accenſam, paſſum fuiſſe gentes per multa ſecula errare in tenebris ignorantiæ. Nunc jactet Pighius*, inquit, *Deum omnes velle ſalvos fieri, quum ne externa quidem doctrinæ prædicatio, quæ tamen ſpiritus illuminatione longè inferior eſt, omnibus ſit communis.* Ibidem locum 1 Tim. II. de *generibus ſingulorum* nobiſcum interpretatur, quam hujus loci interpretationem ridet alibi Animadverſor. Addit Calvinus argumentum, quod in nobis idem explodit de infantibus, & inquit: *Cùm eadem naſcendi & moriendi conditio fuerit parvulis qui Sodomæ & Hieroſolymæ mortui ſint, nec quicquam in eorum operibus diſpar, cur aliis ad dextram ſuam ſtantibus, alios ad ſiniſtram Chriſtus externo die ſegregabit? Quis hîc*, inquit Calvinus, *admirabile Dei judicium non adoret, quo factum eſt, ut alii Hieroſolymæ naſcerentur, unde ad meliorem vitam non tranſirent, alios Sodoma, inferni atrium exciperet naſcentes?* Vrget ibidem ſanctiſſimè Calvinus, Dei voluntatem ita debere evehi, ut ſit omni ratione ſuperior, & cum jure ſuo tantùm habere poteſtatis, ut ſolo ejus nutu contentos nos eſſe oporteat: In ſola ejus voluntate quieſcendum eſſe, ut quod illi placere intelligimus, cujus cauſa nos fugit, inſtar mille rationum ſufficiat. Calvinus etiam in Pighio *calumniam* notat *ex craſſa inſcitia* natam, dicere, fruſtra juſtitiæ & ſanctitati ſtudere reprobos, quos tandem perire neceſſe eſt. Quod ipſum ſententiæ noſtræ aliquoties impingit Animadverſor. Reſpondet verò eodem modo Calvinus, quo nos, & oſtendit, tales juſtitiæ & ſanctitati nec ſtudere, nec ſtudere poſſe. Et Calvinus illos *inſipidos* vocat *moderatores, qui in ſobrietate nimis aquoſa multùm placent*, qui ab Auguſtini doctrinâ ex Scriptura ductâ hîc abeunt. Ibidem *Deo inſultare*, inquit, qui iſtis cavillationibus utuntur *ſi quos in exitium Deus condidit, indignus eſt qui ametur. Qui antequàm mali eſſent, vitâ æternâ privati ſunt, miſericordiâ quàm ſupplicio digniores.* Annon verò iſta verbis geminis nobis ingeruntur ab Animadverſore? Vltra metas etiam docet vagari *Pighium*, quum dicit, *miſericordiam Dei nemini deeſſe, quando omnes vult ſalvos fieri, quando ſtat & pulſat ad cordis noſtri oſtium, cupiens ingredi.* An abit ab iſtis Animadverſor, & non eadem nobis opponit cum Pighio? Confundit verò eum

Calvi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

Calvinus diſertiſſimis Scripturæ locis allegatis, & oſtendit mero Dei beneplacito ex gemellis alterum eligi, alterum rejici. Contra *Georgium* etiam *Siculum* defendit Calvinus dogma ſuum, *æterno Dei conſilio prædeſtinatos eſſe homines vel ad ſalutem vel ad exitium.* Oſtendit etiam, non tantùm Pharaonem obduratum eſſe, quum jam dignus eſſet, quem Deus Sathanæ manciparet, ſed eum à Deo in hoc ipſum excitatum eſſe. Nec Paulum cauſam ejus rei adducere aliam, niſi quod eſſet unus è reprobis. *Georgio* etiam *Siculo* objicienti, Deum velle omnes ſalvos fieri, reſpondet Calvinus: *Ergo aut Deum non eſſe votorum ſuorum compotem, aut omnes ſine exceptione ſalvos fore.* Si reſpondeat, *velle Deum quantum in ſe eſt, cur non ergo,* inquit Calvinus, *omnibus indifferenter prædicari Euangelium paſſus eſt? Sequitur enim in contextu,* addit Calvinus, *quod velit omnes ad veritatis notitiam venire.* Eundemque Pauli locum ibidem eodem modo exponit, quo nos eum in Exercitationibus expoſuimus, & notat *hunc ſenſum candido & ſani judicii Lectori minimè ambiguum eſſe.* Quem tamen cum dicterio explodit Animadverſor. Notat ibidem, ſecundùm Calvinum, diſcrimen Apoſtolus inter pii hominis & increduli ſobolem, ut hæc immunda ſit, illa ſancta. Idem ex oppoſita ratione filiorum Abrahæ & gentilium docet. Componat etiam Animadverſor, quæ habet Calvinus. *Nec eſt quod quempiam moveat vulgaris illa calumnia, illudere Deum hominibus, quos pedibus captos ad ambulandum hortatur. Nam ſi nihil exigit, quod illi non debeant, non facit injuriam. Niſi verò quod ſolvendo non eſt decoctor, cum ludibrio creditoris ſolutum ſe jactabit.* Qualia paſſim à nobis regeſta Animadverſori. Addit Calvinus: *Populi ſui aures Prophetæ voce verberari jubet Deus. An ut tangantur corda? Imò ut obdurentur. An ut reſipiſcant qui audiunt? Imò ut jam perditi bis pereant.* Eat jam Animadverſor, & in Calvinum ſua dicteria acuat, quæ in nos paſſim jacit ob dicta longè mitiora! Iudicet etiam Lector, quam cauſam habeat, ſuper conſenſu ſuo cum Calvino gloriandi. *Ovem perditam* diſertè etiam Calvinus electum deſignare notat, & inquit, non aliâ ratione vocari *ovem* quæ ad tempus perdita videtur, niſi quia gratuitæ electionis reſpectu ſub Dei cuſtodia manet. Quod ipſum pluribus ſarcaſmis in me ulciſcendum fuit, ut patet ex prima Parte. Et quum Animadverſor nobis ingerat non de *electis* Scripturam loqui, ſed de *credentibus* quando de ſalutis negotio agitur, idem cavillum impingit Calvinus *Siculo*, & id ipſum variis Scripturæ locis confutat, ubi *electorum* diſerta mentio. Negat ibidem Calvinus, *primam reprobationis originem in eo ſtatuendam, quod homines Euangelio increduli fuerint*, ſed cauſam hanc exprimi à Paulo notat, *poſtquàm prius illud membrum de abditis Dei judiciis abſolvit.* Sub finem etiam hujus Tractatus inquit Calvinus: *Quomodo velle Deum omnes ſalvos fieri doceat Paulus, ex ipſo contextu*

diſcant Lectores. Modus ſalutis eſt, ut ad cognitionem veritatis veniant. Atque, addit, *Calvinus, nec externo verbo dignatur omnes, & arcanæ illuminationis paucos facit participes.* Iſta præter inſtitutum noſtrum hîc congeſſi è Calvino, ut obſervet Lector, quâ fiduciâ auſit Animadverſor ad hoc Calvini ſcriptum provocare. Niſi verè illi eſſet θυμὸς ἑπταβόειος, abſtinuiſſet ab iſta citatione. Et ſi quid in toto hoc Tractatu hinc inde excerptum aliquomodo vel in ſpeciem favere videtur Animadverſori, id ex plurimis aliis Calvini verbis ſine labore vindicari & explicari poteſt, & demonſtrari, Calvinum ab iſta, quam nobis proponit Animadverſor, Theologiâ alieniſſimum fuiſſe. Eodem candore, fide eadem procedere Animadverſorem in aliis Calvini ſcriptis ſeorſum, faciente Deo, demonſtratum dabimus, ſi Calvini clypeo & auctoritate ſe tueri pergat. Sic in libello de occulta Dei providentia *calumnias* cujuſdam *Nebulonis* anonymi proponit contra doctrinam ſuam, quæ illi opponit, *Deum omnes homines creâſſe ad vitam beatam. Nolo mortem peccatoris, Deus neminem vult perire, ſed omnes ad veritatis cognitionem pervenire,* & alia id genus, quæ ipſa magno faſtu etiam nobis opponit paſſim Animadverſor. Vbi inter alia *certo certius* eſſe dicit, quod Animadverſor cavillo traducit, Paulum 1 Tim. II. *non de ſingulis hominibus agere, ſed intelligere ordines & genera vocationum.* Ibidem Calvinus tradit, quod ſæpe in Exercitationibus adſtruximus, propoſitionibus iſtis univerſalibus Deum oſtendere nexum inter officium & beneficium. *Quomodo,* inquit, *velit Deus ſalvos omnes fieri, non anxiè diſputandum eſt, quia hæc duo inter ſe cohærent, ſalus & cognitio veritatis. Nunc reſponde,* addit, *ſi voluit Deus ſuam veritatem omnibus innoteſcere, cur ad tot gentes, ex quo promulgari cœpit Euangelium, nunquam pervenerit pura ejus veritas? Deinde cur non omnium oculos peræquè aperuerit, quando interior Spiritus illuminatio, quâ nonniſi paucos dignatur, ad fidem neceſſaria eſt? Quum nemo niſi arcano Spiritus inſtinctu tractus ad Deum accedat. Cur non promiſcuè trahit omnes, ſi vult eos ſalvos fieri, quia ex diſcrimine certò colligitur, eſſe arcanum aliquem modum, quo multos à ſalute excludat.* Si poſt iſta Calvinum ſuum facere pergat, deſperandum erit, ἀπερασμνότητα iſtam & contradicendi obſtinationem unquam frangi poſſe. Iudicabunt ſaltem æqui omnes, parum prudenter Animadverſorem nos ad Tractatum iſtum Calvini provocâſſe.

III. Calvinum *duo* etiam in Tractatu illo *capita* veluti facere *fœderis Euangelici*, & ad unum referre *promiſſiones* cum intentione ſalutis propoſitas, eo quo eas intelligit Animadverſor, ſenſu *conditionales* & *univerſales*, ad alterum revocare eas *promiſſiones* quæ ſunt *abſolutæ*, nunquam exſculpet ex iſto libro, ex quo talia educit, utut Calvinus duorum capitum fœderis meminerit. Nec enim unquam Deus alios ſalvos voluit, vel velle ſine

ſine ſui mutatione potuit, quàm qui reverâ ad ſalutem perveniunt, ut ex Calvino ſuprà exſtruximus. Nec univerſalitatem vocationis Calvinus aliam pònit, quàm quæ fit per verbum, oppoſitè ad œconomiam Teſtamenti Veteris, quam quidem vocationem ipſe Animadverſor particularem ſtatuere cogitur. Nec de vocationis externæ latitudine quæſtio, ſed de intentione vocantis, & ordine officiorum in vocatione exacto. Nec quicquam aliud è Calvini verbis educi poteſt, præter univerſalitatem nexûs inter officia & beneficia, quam liberaliter ſemper dedimus Animadverſori. Falſum etiam ſimpliciter, eam *promiſſionum abſolutarum* naturam eſſe, ut non poſſint adhiberi adhortationes, & invitationes ad credendum. Annon enim Paulus iſta duo inter ſe conjungit, tum *hortationem*, ut *cum timore & tremore operemur ſalutem* noſtram, adeóque etiam, ut credamus, quia τὸ κατεργάζεσθαι ſalutem in hujus doni exercitio & efficaciâ potiſſimùm conſiſtit, tum *promiſſionem abſolutam*, *Deum* eſſe *qui in nobis operetur & velle & perficere, pro beneplacito ſuo*? Phil. II, 12, 13. An verò Apoſtolus non intellexit, quî hortationes id genus ſint inſtituendæ? Annon etiam idem ſcriptor θεόπνευστος in divina ad Romanos Epiſtolâ poſt partem δογματικὴν ſuper Prædeſtinationis argumento, & promiſſiones abſolutas ex ea ductas, ſubjicit in parte ἠθικῇ vel παραινετικῇ hortationes varias ad quævis officia pietatis inde à capite XII? Parum etiam ſibi conſtat Animadverſor, dum fatetur ex una parte, ex eo quod Deus homines nativæ ſuæ corruptioni permittit, ſeque neceſſariò eorum incredulitatem, adeóque & perditionem, & tamen ex altera parte ſtatuit, Deum illos velle ſalvari, quos iſti corruptioni permiſit, quamvis inevitabilem iſtam incredulitatem in talibus ſequi debeat damnatio inevitabilis, nec res ob ordinem à Deo ipſo conſtitutum aliter ſe habere poſſit. 3. Quæ citat è Calvini verbis, multa habent cauſæ noſtræ planè faventia, & ipſi Animadverſori adverſa, quæ exſcriptori impingeremus prolixe, ſi auctoritati humanæ hîc locum eſſe vellemus, & neceſſarium foret ſcriptorum humanorum verbis anxiè hærere. 4. Fœdus gratiæ promiſſiones *ſimpliciter* univerſales habere, nec à Calvino dictum, nec dici poteſt reſpectu plurimorum, qui ne quidem ullum tale eſſe unquam comperêre, nedum ut clauſulas ejus & naturam nôrint, quorum etiam multi ne per ætatem quidem talia nôſſe poſſunt. Intelligendum itaque neceſſariò hoc ipſum tantùm *comparatè*, reſpectu œconomiæ Teſtamenti Veteris. 5. Tribui jure nobis nequit, quod plebem ex ambone ita crudè & promiſcuè compellemus: *Si non creditis, ideò fit, quia jam divinitùs exitio deſtinati eſtis.* Si quis tamen occaſione gravi datâ quandoque talem increpationem proferret, culpari non poſſet, ut qui Chriſtum hîc haberet

præeuntem : *Vos non creditis, nam non eſtis ex ovibus meis* Ioh. x, 16. & xII, 37, 39. *Non credebant in eum, ut ſermo Eſaiæ Prophetæ impleretur & propterea non poterant credere, quia iterum dixit Eſaias, Excæcavit oculos eorum*, &c. 6. Super ordine doctrinæ de Prædeſtinatione docendæ, controverſiis realibus compoſitis, haudquaquam litigabimus, nec negabimus, illam prudenter eſſe tractandam, & *methodum* ſæpe *analyticam* hîc præferendam *ſynthetica*. 7. Εξαγώνιον etiam, promiſſiones generales prius ad prædicationem adhiberi, quàm ſpeciales, adeóque prius credendum eſſe, Chriſtum eſſe Mediatorem, credentium in ſe, & omnes in eum credentes ſervandos, quàm eum eſſe noſtrum Mediatorem, & nos per eum ſervandos. Hoc enim ipſum ſæpe urſimus in Exercitationibus noſtris. 8. Quî univerſalitas promiſſionum dari poſſit, patet, nimirum partim *comparatè*, ratione œconomiæ Novi Teſtamenti, præ Veteri, partim *limitatè* ratione corporis totius electorum, quod univerſalitatem ſuam habet, ut alibi ex veteribus à nobis oſtenſum. Abſolutè verò nunquam vel fuerunt, vel ſunt univerſales, imò nec eſſe poſſunt in diſpenſatione à Deo adhibitâ circa genus humanum. 9. Haudquaquam monendi eramus ab Animadverſore, non eſſe inferendum : Nos eſſe electos : Ergo nos credituros. Sed potius ; Nos credere : Ergo nos eſſe electos, & ideò nos credere, quia ſumus ordinati ad vitam æternam, & quia hoc nobis datum ex gratia electionis. Nec ſanè illicitum eſt, inferre : Sum ex numero Electorum, quia credo, & ſentio me credere, imò hoc ipſum ad ſolatium fidelium pertinet, qui ita aſſurgunt, & aſſurgere debent à gradibus inferioribus, & inde eruti ad ſuperiores, prout ex reſpiratione vita, & ex ratiocinatione animæ rationalis præſentia eodem argumentationis genere concludi poteſt. 10. Credendæ ſanè primò promiſſiones generales, nimirum, Omnem credentem ſervandum, deinde applicandæ, & ex earum applicatarum ſenſu peractum quendam reflexum, judicandum, eas ad nos quoque & pertinuiſſe & pertinere.

IV. Digreſſionem laciniosam ſubnectit Animadverſor de Fide, quæ nec Gratiam Vniverſalem probat, nec cauſam noſtram ferit, quàm anxiè hîc excutere eſſet *vibiam ſequi*, ſed extra viam, & Lectorem abducere à cauſa, præſertim cum hoc penſum alibi à nobis fuerit occupatum. Obſervemus interea in tranſcurſu, parum accuratè Animadverſorem dicere, *fidem oriri ex convenienti appulſu facultatis per quam credimus ad objectum credibile*. Philoſophum ſanè nullum eruditum ſibi adſtipulantem hîc habebit, quippe quales nôrunt ex Ariſtotele, intelligere eſſe quoddam *pati*, & fieri primò per *receptionem* ſpeciei ab objecto, ſecundò per ejus *dijudicationem*, & ſic quidem ut intellectus idem intellectionem & producat & re-

& recipiat ſimul. Quùm itaque intellectio ſit actus immanens, & ſecundùm Animadverſorem, fides tantùm ſit actus mentis, & intellectio quædam, fides non orietur magis quàm intellectio alia ex appulſu facultatis ad objectum credibile, ſed ex appulſu objecti ad facultatem, & ejus à facultate & in facultate dijudicatione. Et ſanè Philoſophi diſtinguunt intellectum & voluntatem realiter per diverſos modos operandi, quia modus operandi intellectus eſt attrahere objectum ad ſe, & *id ſibi conjungere*, modus verò operandi voluntatis eſt, tendere in objectum, & *ſe ei conjungere*, qui modi ſunt oppoſiti, & ut barbarè Scholæ loqui ſolent, *incompoſſibiles*. Diſputat verò etiam prolixè Animadverſor, ſed inutiliter omnino ad argumentum noſtrum, de fide quæ feratur & in promiſſionem & in conditionem ſimul, ſatis nobis eſt, ipſummet cogi fateri, primum fidei juſtificantis actum conſiſtere in ea animi operatione, per quam comprehendimus, propoſitionem iſtam eſſe veram, omnes eos qui in Chriſtum credunt & eum amplectuntur pro Redemptore, ſervandos eſſe, adeóque ille actus anterior eſt iſto, quo propoſitionem generalem nobis applicamus, & credimus, Chriſtum eſſe noſtrum Redemptorem, quod conſtanter retrò tuiti ſumus.

V. Pergit Animadverſor inutiliter admodùm probare, fidem eſſe in Intellectu. At quem ferit? Quis enim id negat? Hoc probandum erat, fidem eſſe tantùm in intellectu. Quis ignorat cæteroquin, fidem ſecundùm aliquid ſui eſſe perſuaſionem, & quà perſuaſio eſt, pertinere ad intellectum? An verò ſequitur, eam ob id non etiam eſſe actum voluntatis, alio reſpectu? An quæſo τὸ acquieſcere, confidere, fiduciam collocare in objecto, actus intellectus eſt, quod ipſum tamen ad rationem formalem fidei pertinet? Cur etiam in enumeratione σχέσεων variarum, quas in objecto iſto reperiri dicit, quiſquis credet, ſervabitur, σχέσιν ultimam ponit, quam primam eſſe fateri cogitur alibi? Imò illa ſola eſt, ſub qua intellectus propriè quà talis reſpicit objectum ſuum, prout facultas appetitiva in id fertur, quà id apprehendit ſub ratione boni. In ſequentibus denuò concedit, primum actum in fide, quo ſpes ſalutis nititur, eſſe aſſenſum, per quem amplectimur promiſſionem iſtam, pro vera: *Quicunque credit in Chriſtum, ſalvus erit.* Iſtum actum demum excipi ab alio, nimirum ab amplexatione ipſius Chriſti, & à fiducia ex ea de ſalute. Hos itaque duos actus fatetur ſequi primum, quod à me in Exercitationibus aliquoties oſtenſum, & fruſtrà hic repetitur ſine neceſſitate, & iiſdem propemodùm verbis quibus habetur in Parte prima. Promiſſionis cæteroquin univerſalitatem reſpectu omnium credentium nunquam negavimus, ſed tantum reſpectu omnium & ſingulorum hominum ſub conditione.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

tione. Nec iſtæ propoſitiones æquipollent, quia prima oſtendit duntaxat nexum inter fidem & ſalutem à Deo conſtitutum, & deſignat quibus ſalus ſit obventura, nimirum fidelibus ex Dei decreto vel jam actu credentibus, vel certò credituris; ſecunda verò voluntatem Deo affingit inanem de omnibus hominibus ſub iſta conditione ſalvandis, quippe quam ſcit illos nec habere, nec habere poſſe, imò quam illos habere non vult, qualis voluntas non niſi illi tribui poteſt, qui vel ſtolidus eſt, vel malus.

VI. Cauſam verò παρεκβάσεως ſuæ per ſeptem propemodùm paginas productæ tandem innuit Animadverſor: *Hæc cum ita ſe habeant*, inquit, *ſe à me quæſiviſſe, an in diſpenſatione Euangelica, in qua proponitur objectum ad credendum, ſit aliquid quod iſtud objectum determinet potius ad hunc quàm ad illum, adeò ut diſcrimen conſtituat inter homines, an verò offeratur indiſcriminatim omnibus, & ſine ullo tali reſpectu* διακριτικῶς. At quid opus erat tam amplo veſtibulo, & tam faſtidioſo tot paginarum præambulo? Annon poterat & operæ & perituræ parcere chartæ, & verbo dicere, in Euangelio haberi propoſitionem univerſalem, *omnem credentem, ſervandum, in qua nihil ſit, quod objectum iſtud determinet potius ad hunc quàm ad illum*? Reſponſum verò paucis ſibi habeat ad tam operoſum molimen: Illam ipſam propoſitionem ſatis determinationis & reſtrictionis ſecum ferre, quum enim in ea ſuſpendatur ſalus à fide, & notum ſit utrinque, fidem non eſſe niſi electorum Dei, annon inde patet, nonniſi electos ſalvari poſſe? Determinatum eſt ergo hoc objectum, non quidem ad hunc vel illum in individuo ſecundùm nos, quia Deus arcana electionis ſibi ſoli patere hac in vitâ voluit, ſed ad ſubjecta omnia & ſola in quibus certo datur, vel dabitur fides, adeóque ad fideles actu, & ſic ad electos ſolos, qui per eam ſalutis certò erunt participes. Sic ubicunque beneficium aliquod ſuſpenditur à conditione certa, & conditio illa non poteſt reperiri niſi in certo hominum ordine, determinata eſt iſtius beneficii deſtinatio ad iſtum ordinem. Diſcrimen itaque conſtituitur evidens inter homines illâ ipſâ connexione, quæ in propoſitione iſta habetur, per ſuſpenſionem illam ſalutis à fide, ut conditione neceſſariâ, & fidei ab electione, ſine qua dari nequit in ſubjecto, adeóque eo ipſo ſatis oſtenditur, iſtius propoſitionis fructum ſolis electis deſtinari, & hunc rorem cœleſtem eſſe pro ſolo hoc vellere. Quamvis ergo offerri videatur omnibus *indiſcriminatim*, tamen quia offertur cum exactione conditionis à ſolo Deo pendentis, & ſolis electis deſtinatæ, reſpectum διακριτικὸν ſatis connotat, & in ſe includit, non quidem inter hunc vel illum in individuo, ſed inter electos & non electos. Non itaque opus erat anxiè quærere Animadverſorem, an eſſet propo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

propoſitio iſta & connexio in eo declarata determinata ad hunc vel illum, quæſtio eſt, annon ſit determinata ad ordinem electorum, ſecluſo ordine non electorum, quippe quorum illi certò credunt, vel ſunt credituri, iſti certò non credunt, vel certò non ſunt credituri. Ex his verò videbit Lector, hac ipsâ propoſitione omninò contineri fundamentum ſecretionis aliorum ab aliis. Haberi itaque poteſt & pro univerſali, & pro non univerſali, καθ' ἄλλο καὶ ἄλλο, vel πρὸς ἄλλο καὶ ἄλλο. Pro univerſali haberi debet reſpectu *rerum* connexarum, ſive reſpectu nexus propoſiti inter conditionem & ſalutem, pro non univerſali, reſpectu *perſonarum* vel *ſubjectorum*, ob defectum & neceſſarium quidem conditionis iſtius in omnibus præteritis, quem excipit privatio ſalutis, idque ex Dei decreto & ſecundùm illud. Nec ſanè illa præſtari poteſt niſi ab electis. Sic verbi gratiâ, ſi Princeps edictum promulgaret, omnem hanc teſſeram habentem ad dignitatem aliquam in aula ſua evehendum, propoſitio illa univerſalis videretur, & talis reverâ foret ratione nexus conditionis & beneficii ſub ea promiſſi. Si tamen Princeps nôſſet, paucos tantùm iſtam teſſeram à ſe vel habere vel habituros eſſe, nec aliunde eam haberi poſſe, & illam vellet iſtis paucis duntaxat concedere, revera iſta propoſitio & quoad præſtationem conditionis, & quoad applicationem beneficii particularis foret, non univerſalis, idque ex deſtinatione Principis. Non itaque inde inferre debuit Animadverſor, gratiam univerſalem eſſe omnibus oblatam, vel omnes qui credunt eam inſtinctu Spiritus S. pro tali agnoſcere. Imò illa haudquaquam univerſalis eſt, vel ſtatui poteſt, niſi modo ſupra dicto à nobis, ut demonſtratum. Et ſanè, quum oblatio indiſcriminatim facta alicujus beneficii ſub conditione tali reſtrictionem iſtam neceſſariò ponat, aliter agnoſci non poteſt ab illis, qui inſtinctu Spiritus Dei credunt, quàm qualis revera eſt, quippe qui conſtanter ſtatuunt, fidem eſſe donum Dei ſolius, & ſolis electis deſtinatum, neminem itaque vel credere poſſe, vel ſalutem aſſequi, niſi illos qui ſunt in hoc ſenſu. Hinc liquefit Lectori, nihil in operoſa iſta Præfatione majoribus characteribus ſcriptum eſſe, quàm immanem Animadverſoris de ſe & de Lectoris ſtupore fiduciam.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

CAPVT VII.

Vindiciarum Reſponſionum ad VI. Erotema, Sectio II.

De prima *mea* reſponſione *ſuper* vi ſpiritus *ingenerante fidem*, & modo *operationis iſtius*, & dependentiâ voluntatis *ab intellectu*, & *ἀσυστάτοις quibuſdam novæ Methodi, ubi etiam quædam de* Joanne Camerone.

BREVIARIVM Capitis ſeptimi.

PRolixitas Animadverſoris notata. Cauſa annotationum mearum tandem repræſentatarum. Loci Communes Animadverſoris. An methodus Animadverſoris perperam nova vocata fuerit. Patrocinium veterum Theologorum fruſtra advocatum. Genevenſium & Helvetiorum Theologorum juſtæ querelæ. Accuſatio iniqua Animadverſoris retuſa. Inadæquata operationis Spiritus in fide danda deſcriptio. Verba Animadverſoris authori ſuo oppoſita contra intentionem univerſalem Dei omnes ſalvandi. Aſſertio Animadverſoris precaria. An Spiritus mentem tantùm idoneam reddat ad objectum adſpiciendum. Scrupuli materia ab Animadverſore injecta. An fides mentis tantùm ſit habitus. Sententia Pontificiorum damnata ab Orthodoxis. Ignoratio elenchi notata. Locutio Animadverſoris de Eccleſiis noſtris parum honorifica. Cavillum Animadverſoris retortum. Eccleſiarum noſtrarum, Confeſſionis & Catecheſeως ſententia vindicata, & oppoſita Animadverſori. Duplex actus ad productionem fidei requiſitus. Calvini, Synodi Dordracenæ, Confeſſionum variarum publicarum & Catecheſeως ſententia oppoſita ſententiæ Animadverſoris. Fidei productionem non conſiſtere in ſola illuminatione intellectus. An ſententia noſtra tantùm ſit recentium admodùm Theologorum. Qui regnum affectent in Theologia. An abſurdum ſit, eundem habitum duabus facultatibus differentibus ineſſe. Iudicium ſuper Animadverſoris Theſibus de Fide. Ingenium Animadverſoris quale. Quî Scriptura loquatur de ingeneratione fidei. An productio fidei ſit appellanda regeneratio fidei. Inutilis Animadverſoris diſſertatio de primo enuntiato amplectendo. An Gratia Vniverſalis ſequatur ex eo quod ſalus pertineat ad omnem credentem. Oppoſitum oſtenſum. Vnde propoſitionis illius natura æſtimanda. Quid in ea primò concipiatur. Quid ex ea ſequatur. An voluntas univerſalis omnes ſalvandi eâ inſinuetur. Ignoratio elenchi impacta Animadverſori. Fuga ejuſdem. Digreſſio inutilis Animadverſoris. Aſſertio iſta retorta κατὰ τὸ βίαιον. Abſurda voluntas Deo affiſcta. Locus communis quæſitus ab Animadverſore. An Scriptura Spiritui S. mediatam operationem tantùm adſcribat in voluntatem & affectus. Abſurda varia notata. An pendeat voluntas ſemper à ductu intellectus. Sententia Ariſtotelis. Phraſis Scripturæ ſuper iſto argumento expenſa. Rationes variæ oppoſitæ. Abſurda etiam notata. Cordis ſignificatio quæ in Scriptura. An Ariſtoteles animæ intelligentis ſedem præcipuam collocet in corde. Corruptio Scripturæ notata in Animadverſore. Calvinus Animadverſori oppoſitus. Animadverſor commiſſus cum Synodo Dordracena. Phraſis Scripturæ oppoſita Animadverſori. Quî motus voluntatis ſint à Deo. Tota ſanctificatio reducitur ad illuminationem ab Animadverſore. Cavillum retuſum. An diſtinctiſſimis loquutionibus eadem repræſentetur operatio. Interpretes noſtri, & Synodus Dordracena ſtuporis ar-

gui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

qui debent, ſententiâ Animadverſoris retentâ. An circumciſio cordis, datio cordis carnei & alia id genus tantùm deſignent illuminationem intellectus. Quæ phraſes pro æquipollentibus accipi poſſint, quæ non. Locus Eph. 1, 19, 20. *expenſus. Quî Scriptura ſæpe loquatur de Deo. An Spiritus ſapientiæ, revelationis & γνώσεως ſit idem Apoſtolo. Scripturam non reſtringere immediatam Dei operationem in converſione hominis ad ſolam illuminationem. An Deus ſemper agat ſecundùm ordinem facultatum. Synecdochicæ Scripturæ phraſes ex æquo de utraque Dei operatione adhibitæ. Loca Scripturæ oppoſita Animadverſori. Inconſequentia argumentationis Animadverſoris ex Epheſ.* 1, 18. *oſtenſa. An* cor *ſumptum tantùm pro intelligentia ſit immediatam ſubjectum operationis Dei. An affectus neceſſariò pendeant ab intellectu. Oppoſitum oſtenſum ex Ariſtotele. An perverſi affectus amputari non poſſint ſine illuminatione mentis. Expoſitio capitis* VII. *ad Romanos corrupta ab Animadverſore. Ejus confutatio à* Gulielmo Riveto *occupata: Verba Animadverſoris retorta. An Scriptura unam duntaxat facultatem in nobis conſtituat, & unam operationem Dei. Scripturam iſta ſæpe diſtinguere. Quî Scriptura Scholis permittat diſtinctionem mediatæ & immediatæ Dei operationis. Immediatus Dei in omnes actus influxus probatus. Verba Animadverſoris retorta, & dogma ab eo nobis obtruſum, everſum. Illatio precaria Animadverſoris. An ex Philoſophia ſola ſit judicandum, aliquid eſſe à Sapientia Dei alienum, & abhorrens. Philoſophia Animadverſoris de motu orbium cœleſtium expenſa. Intelligentiarum motricium figmentum exploſum. Simile de motu ſphærarum retortum in Animadverſorem. Argumentatio ejuſdem de Sapientia Dei retorta. Alia ejuſdem verba retorta. An ſententia Animadverſoris nitatur auctoritate Ariſtotelis, Platonis, Epicteti. An ſententia oppoſita fuerit tantùm Ieſuitarum, & Arminianorum. Contrarium demonſtratum.* Antonii VValæi *&* Facultatis Theologicæ Leidenſis *judicium. Ejuſdem ſententia de immediato Dei influxu in voluntate immutanda. Querela Animadverſoris abſterſa. Vertigo notata in Animadverſore. Verba ejus ἀνακόλουθα. Faſtidium ejuſdem ſuper lectione Exercitationum mearum expenſum. Iudicia alia oppoſita. Synodi Dordracenæ verba luxata. Verba alia ἀνακόλουθα Animadverſoris. An Canones Dordraceni faveant mediatæ an immediatæ operationis in voluntate defenſoribus. Poſterius probatum. An Canones illi non diſtinguant illuminationem intellectus, & circumciſionem cordis. Vindiciæ verborum Synodi. Alia Synodi verba oppoſita Animadverſori. An Cameronis ſententiæ faverint Patres Synodici. An ii etiam qui Canones Synodicos concepêre.* Bogermanni, Polyandri, VValæi, Triglandii *judicia. Exceptio Animadverſoris ſuper iis quibus Synodi Canones oppoſiti, diſcuſſa. Convitium Animadverſoris abſterſum. Falſa ejuſdem ſuppoſitio. Iudicium ingenuum de Defenſione à Camerone ſcripta. An Patres Synodi omnia in Theſibus & Prælectionibus Cameronis probârint.* Feſti Hommii *verba diverſa, imò oppoſita. An omnia in Collatione Cameronis cum Tileno probatæ fuerint. Iudicia contraria* Polyandri, Riveti, VValæi, Thyſii. *An invicta ſint Cameronis argumenta.* Synodus Aleziana *vindicata. Verba ejus de* pio *quorundam* zelo *expenſa.* Petrus Molinæus *laudatus. Editionis Operum Cameronis à me procuratæ explicatio. De titulo iis præſcripto. Falſæ accuſationes depulſæ. Falſo mihi afficta, excuſſa. An Animadverſor dicere debuerit*, ſe omnium invidiâ undiquaque flagrare. *An Camero* immiſericorditer *à me* flagellatus *fuerit. Quî me ejus diſcipulum profitear. Iactatio ſuper Camerone, retuſa. Fuga Animadverſoris. Contradictio ejus notata. An Spiritui S. vis tribuenda in converſione. Cauſa notati vocabuli Cui noſtrûm Grammaticæ tricæ imputari debeant. Ratiocinatio mea defenſa, & cavillum abſterſum. Communis Eccleſiarum noſtrarum ſententia ab Animadverſore perſtricta. An æquipolleat operatio Spiritus*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

ingenerantis fidem, & tota hominis converſio. Abſurda iſtius ſententiæ. An phraſis idoneam reddere mentem *ſufficiat. Qualis convertendorum ſit ſtatus, & quid ad eorum curationem exigatur. Grammaticatio Animadverſoris excuſſa.* Ἀβλεψία *ejuſdem notata præter iniquitatem. Digreſſio iterata de impotentia naturali & morali. An in cæco ſit facultatis inopia. Inanes Animadverſoris aſſertiones eorum quæ non controverſa. Comparatio Animadverſoris caſtigata.* Τὸ ἐν ἀρχῇ *repetitum. An Spiritus tantùm homines idoneos reddat ad credendum. Duplex malum ex iſta locutione notatum. Scripturæ phraſis alia de converſione. Inutile monitum Animadverſoris. Corruptionis nobis inhærentis magnitudo. An permittat ſemper, ut intelligatur* τί τὸ λεγόμενον. *Comparatio cæcitatis hominis animalis cum* ὀφθαλμίᾳ *notata. An oculis carens facultate videndi careat.* Ἀφιλόσοφα *notata. An curatio corruptionis noſtræ non ſit operatio potentior curatione* ὀφθαλμίας. *Falsò mihi affictа, abſterſa. Sententiarum noſtrarum & locutionum comparatio. An ab utroque noſtrûm idem deſignetur, an plus vel minus, & à quo. Dicteriolum abſterſum. Phraſes à nobis adhibitæ defenſæ. Quid ſit* dare mentem ad intelligendum. *Phraſes Animadverſoris notatæ, ut inadæquatæ. An in phraſibus Scripturæ tantùm ponatur* antecedens pro conſequente. *Verba mea truncata. Grammaticatio inepta. Barbaries retorta, & accuſatio injuſta. Dicteria & bilis Animadverſoris abſterſa. An idoneus tantùm dicatur à vi & qualitate interna. Quî dicatur idoneitas. Oppoſita Animadverſori expoſitio probata. Idonei origo ſecundum Animadverſorem. Quis dicendus ſit idoneus. Simile à me adhibitum, vindicatum. Falsò affictа, remota. Dicterium ab Animadverſore, & ſimile ab eodem adhibitum, caſtigata. Exempla varia illi oppoſita. Digreſſio & ignoratio elenchi notata. Latitudo phraſeωs adhibitæ à me defenſa. Quis ex nobis habeat obſervationes leviculas. Accuſatio Animadverſoris retorta.* Ἀσύστατα *ei objecta. Injuſta querela Animadverſoris. Vera ei impacta argumenti mei truncati. Alia de repetitionibus abſterſa, & retorta. Impotentiæ phyſicæ & ethicæ diſtinctio denuo recocta. Abſurda Animadverſori impacta. Injuſta ejus petitio.* Ἄτοπα *varia. Impotentia moralis major eſt impotentiâ cæci. Pertinaciæ profeſſio notata. Comparatio à nobis adhibita, defenſa. Verba mea corrupta & truncata ab Animadverſore. Exceptio Animadverſoris confutata. Ratiocinatio mira Animadverſoris. Exceptio* ἀθεόλογος *ejuſdem. An fides non apprehendat ſalutem in promiſſione. An dilatio ſalutis obſtet. Simile à nobis adhibitum, applicatum. Ingenuitas deſiderata in Animadverſore. Abſurda mihi impacta, abſterſa. Alia regeſta in Animadverſorem. An lux vel lumen debeant dici objectum viſûs. Ignoratio Elenchi notata. Comparatio noſtra vindicata. Cujus ſit actus* τὸ *credere. Conditio confuſa cum conditionato ab Animadverſore. Quæſtio eidem propoſita. Verba ejuſdem in eum retorta. Abſurda varia inde educta. Animadverſoris pro me contra ſeipſum vindiciæ. Verba ejuſdem regeſta in ſuum Auctorem. Comparatio* ἀφιλόσοφος *ejuſdem. An facultates hominis animalis congruant cum objecto ſpirituali. Exceptio gemina Animadverſoris confutata. An* τὸ νοητὸν *ſpirituale habeat analogiam cum facultate* νοητικῇ *hominis corrupti. Abſurda varia notata. Quæ analogia exigatur inter facultatem & objectum. Quid ſeriæ bonitati conveniat, quæ bonum aliquod vult alicui. Quale objectum ei propoſitum concipiatur. Exceptiones Animadverſoris confutatæ. Abſurda inde educta. An per unum hominem ſtet, quominus bono propoſito potiatur. Exceptio Animadverſoris de gradibus bonitatis confutata. Abſurda ejus demonſtrata. Exceptio alia Animadverſoris diſcuſſa. Revocatus Animadverſor ad quæſtionem. Verba ejus retorta. Qui finis prædicati Euangelii conſtitui debeat. Quibus Euangelium ſalutare eſſe poſſit.* Calvini & Muſculi *judicium de vocatione externa. An non propter electorum ſolorum ſalutem interdum prædicatum Euangelium.*

Oblæ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

Oblatio conditionalis & univerſalis rejecta. Ἄτοπα ejus. Quî φιλανθρωπία Dei ad genus humanum referri poſſit. Oblatio conditionalis abſurda reſpectu hominum corruptorum. Ἀκυρολογία in loquutionibus Animadverſoris de Deo notata. An Deus obſequatur affectibus ſuis. An aliquouſque perſeveret in re aliqua. An Deus omnibus φιλανθρωπίαν ſuam ad ſalutem aliquâ ratione oſtenderit. An impervestigabilia velimus in Deo ſcrutari. An hoc obtentu quævis obtrudi poſſint. Periculum hujus illationis. Sententia noſtra cavillis obnoxia, quia τὰ βάθη τοῦ Θεοῦ urget. Animadverſoris gloriatio oppoſita, ſed vana & ab Autore ſuo everſa. Contradictio impacta Animadverſori. Ἀσύστατα alia notata. Gloriatio alia retuſa. Quo vitio ſuſpecta ſit methodus nova. An pro methodo tantùm ſtet Animadverſor. Breviloquentia ejus notata, & repetitio jam occupatorum Anterotemate LVI.

I. ANtepagmento iſto viſo ducimur ad ipſum Erotema, quod Animadverſor & proponit, & reſponſiones meas cum ſuis Animadverſionibus componit. Quâ in re prolixitatis in aliis Cenſor ita verborum parcus eſt, ut tribus paginis meis non integris opponat viginti tres integras, & tanto profluvio inutilium rerum Lectorem obruat, ut vix patientia ulli durare poſſit ad mediam iſtarum meditationum partem evolvendam. Hoc interea emolumenti hinc conſequor, quod tandem aliquando Animadverſor integras annotationes meas Lectori repræſentet. Quod eâ duntaxat de cauſa ab ipſo occupatum, quia illæ magis opportunæ ipſi viſæ ſunt ad Locos aliquot *Communes*, quos familiares habet, præ cæteris explicandos, & ad arguta quædam dicteria, quæ perire ſibi noluit, in me vibranda. Mercem ſanè diu in pergula ſua latitantem, ſic illi extrudere opportunè viſum. Operæ pretium tamen erit, veſtigia ejus propius legere, & experiri cominùs quis noſtrum ſolidè cauſam iſtam agat. Prolixitatem Lector mihi hîc non imputabit, ſed illi qui nos ad integram Iliada & ad *Sardos venales*, vocat. Quod haudquaquam notarem, niſi adeò moroſè de prolixitate noſtra quereretur, & id ſibi ad digreſſiones inutiles licere vellet, quod nobis rem ipſam preſsè ſequentibus licere non vult. Exſequitur verò Animadverſor in Animadverſionibus ſuis tres Locos Communes ſibi perquàm familiares, & ubique recurrentes. 1. Locum de *ſubjecto Fidei*, id eſſe ſolum intellectum, non verò voluntatem. 2. Locum de *determinatione voluntatis* per intellectum. 3. Locum de *laudibus Cameronis* Magiſtri ſui. Nec mirum in his fœcundum eſſe Animadverſorem, quippe qui has bracteas jam ultrà duodecennium dilatavit, & in hoc opere tot annos totus fuit. Si & ego in locos duos priores hîc digredi vellem, & Diatribas, quas paratas habeo, hîc opponere Animadverſori, in quot volumina exirent concertationes iſtæ? Seorſum itaque de utroque argumento, faciente Deo, agam. Nec tamen hîc ea prætermittam, quæ Animadverſoris gloriationi retundendæ neceſſaria erunt. Multam ille in ſuis Anim-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

adverſionibus bilem, fermentum multum ubique miſcet. Neutrum mihi imitandum cenſeo, memori decoris utriuſque & cauſæ & Ordinis noſtri. Nec melius maledicentiam omnem me ulciſci poſſe cenſebo, quàm Chriſtianâ & Theologo dignâ animi & ſtyli moderatione.

II. 1. Ægrè fert Animadverſor, Methodum ſuam, quam ita vocat, *novam* à me vocari, & eam ſic vocari vult, ut *terras novas*. Veritati etiam ſemper fatale fuiſſe, ut novitatis invidia, quamvis immeritiſſimè, flagraret. Mirum verò, Animadverſorem adeò ſtomachari ſuper iſtâ nomenclatione, quum Clariſſimus quidam verbi divini Miniſter, qui in multis ſententiæ Animadverſoris favet & perſonæ, in libello *de tribus Methodis* ſatis innuat, iſtam Methodum ultimam nec primorum Reformatorum noſtrorum fuiſſe, nec Synodi Dordracenæ. Nec ſanè ejus incunabula altius quàm ad *Ioh. Cameronis* ætatem referri poſſunt. Ipſe Animadverſor id ſatis teſtatur, in præfatione ſuæ Diſſertationis, dum mirari ſe dicit, quod adortus fuerim ſententiam quæ jam *per viginti quinque annos* in Cathedra Salmurienſi obtinuerit, ſcilicet ex quo Camero in ea docuit. Hæc verò Epocha nondum referenda videtur inter veteres. Prior ergo alia præceſſit ſub *Gomaro* & *Bodio à Trochoregia*, Theologis Celeberrimis. Meritò itaque *nova* à me vocata fuit, idque ſine convitio vel obtrectatione. Et modò de iſta Methodo id conſtaret, quod de *terris novis* conſtat, eas multùm auri, & optimæ mercis in ſe habere, haudquaquam ob novitatem illi dicam ſcribendam cenſeremus. Sed quia præter novitatem prodigiorum quorundam ferax eſt, & mali ſucci plena, meritò novitatis etiam nomine ſuſpecta eſſe debet. Nec hactenus auditum, *Ioh. Cameronem*, utut Virum præſtantem, cujus decoribus nihil detractum volo, Theologis veteranis vel illis etiam è Reformatoribus noſtris qui tales audiunt, retrò accenſeri, de quo ut Gamaliele & Magiſtro ſuo Animadverſor unicè gloriatur. Quamvis verò ex quo Methodus iſta flagellari cepit, *Calvini*, *Muſculi*, *Bullingeri* & aliorum id genus ſanctiſſimæ memoriæ Heroum foruli anxiè excuſſi fuerint, ut tantorum nominum patrocinio gratior eſſe poſſet, notum ſatis, quàm ſeriò Theologi Genevenſes in ſuis ad Synodum Alençonenſem litteris conqueſti fuerint de vi illatâ verbis & ſcriptis Calvini. Idem Graviſſimi Viri Theologi Helvetii cum juſta indignatione regeſsêre pro eximiis Eccleſiarum & Academiarum ſuarum Antiſtitibus, quod Animadverſori non ignotum. Nec Apologetico ſuo quicquam aliud impetravit, quàm ut qui de doctrina ipſius malè judicaverant antea, de ingenio ipſius & in ſuis tuendis pertinacia peſſimè ominarentur, præſertim quum ex ſcripto ἀπολογητικῷ κατηγορικὸν fieri animadverterent, & ſe quoque notari ab Animadverſore, quamvis injuſtiſ-

injuſtiſſimè, vel ἀβλεψίας, vel levitatis. Quod itaque viginti & aliquot annorum periodum non ſupergreditur, ſine crimine *novum* appellari poteſt. 2. Cenſet Animadverſor, perperam à me diſputationem motam, quid ſentiat de natura fidei, an ſit in intellectu ſolo, an etiam occupet voluntatem, quæ ſit vis Spiritus quæ eam generat, & quomodo eam operetur. At iſta in tranſcurſu duntaxat à me notata & occaſione mihi datâ ab Animadverſore, quæ ipſa etiam ſine digreſſione poterant expediri. Nec malè à me conſideratum id quod pro fundamento Erotematis, ſed præter rationem, ab Animadverſore ſubſtratum fuit. 3. Satis ſibi eſſe cenſet, actum fidei à ſe deſcriptum omnium primum eſſe, & abſolutè neceſſarium, & ab intellectu profectum. At quod *inadæquatè* repræſentat operationem Spiritus ingenerantis fidem, & præcipuum actum prætermittit, haudquaquam ſufficit. 4. Addit, intellectum non aliter actum iſtum edere, niſi quia illuminatur à Spiritu Dei, ut idoneus reddatur qui id perſpiciat, quod in objecto revelatum eſt, nimirum ſalutem datum iri omni qui credet. At homo non tantùm potentiam accipit à Spiritu Dei id perſpiciendi, vel *idoneitatem* aliquam, ſed actum ipſum fidei & *τὸ credere* Phil. 1, 29. Exiliter itaque nimis refert Animadverſor illuminationem ſpiritus ad id, *ut mens reddatur idonea ad perſpiciendum*. Adde, ſi facultas non aliter actum iſtum edit, vel homo potius per illam facultatem, quum actus ſint ſuppoſitorum, non partium, niſi quia illuminatur à Spiritu Dei, ut idoneus reddatur ad credendum, & iſta operatio à Deo ſolis electis deſtinatur, & in iis ſolis perficitur, nulli non electi habent facultatem idoneam (morali nimirum, non naturali tantùm idoneitate ſecundùm Animadverſorem ipſum intellectâ) ad perſpiciendum objectum fidei, adeóque haudquaquam illis à Deo proponi poteſt ea fine & intentione, ut per id ſalventur, quippe quos non idoneos ad hoc novit, nec tamen reddere vult idoneos. 5. Egregia etiam propoſitio! *Quibuſcunque nitatur fundamentis Erotema à ſe propoſitum, manere argumentationi eo comprehenſæ ſuam vim.* An verò quodvis fundamentum ſufficit aſſertioni ei ſuperſtructæ? Et an ſubverſo fundamento id ſubſiſtere poteſt, quod ei ſuperſtructum? An etiam *non directâ reſponſione id ipſum infregerim, ſed per ἀπαγωγὴν tantùm invidioſam*, judicabit ex collatione Exercitationum noſtrarum Lector æquus. Mirum verò Animadverſorem id in me carpere, quod ipſi ſolenne, quippe qui ἀπαγωγαῖς perpetuis & digreſſionibus inutilibus Lectorem paſſim circumducere ſolet. An hoc ſibi privilegium indultum cenſet, nec ferre poteſt, ut & ſibi quid hîc licere putet alius?

III. Meritò verò à me negatum, vel Scripturæ, vel Eccleſiarum noſtrarum ſecundùm eam dogma eſſe, vim ſpiritus quæ operetur in electis fidem,

fidem, nihil aliud præſtare, *niſi quod mentem idoneam reddit, quæ objectum in Euangelio extrinſecus oblatum adſpiciat*, adeóque fidem tantùm eſſe habitum mentis. Id ipſum enim 1. Commune eſt temporariis, quorum mentes etiam idoneas reddit ſpiritus, ut objectum illud adſpiciant, adeóque non ſufficit. 2. Exiliter nimis repræſentat iſtam operationem, & ſuſpicionem injicere poſſet multis inde inferendi, etiam contrà mentem ſuam, hominem iſtâ idoneitate ſibi collatâ à Spiritu uti vel non pro arbitrio, ad objectum iſtud adſpiciendum, adeóque vel ſcrupuli juſti materiam movet Lectori, vel non amolitur ſaltem, de aliquo concurſu hominis activo ad hoc opus in prima ſui converſione. 3. Statuere fidem mentis tantùm habitum eſſe, & Scripturæ adverſum eſt, & *Calvino* fidei naturam ex ea explicanti, & à Theologis noſtris in Bellarmino & Pontificiis aliis id ipſum propugnantibus graviter meritò caſtigatum fuit. Et ſanè ideo Pontificii urgent, fidem tantùm eſſe in intellectu, ut negent fidem eſſe fiduciam, quod vel illis concedendum, vel negandum, fidem eſſe tantùm in intellectu. 4. Scripturam nuſquam de fide loqui, quin totam Spiritus Dei in ea procreanda rationem atque vim ad mentem referat, & apertè falſum eſt, & à nobis peculiari Diatriba de iſto argumento in Examine Theſium Animadverſoris ſuper iſto argumento tale eſſe demonſtrabitur. Ex qua, ut confido, apparebit, mirum ipſi videri non debere, me poſt Scripturam cum *Calvino* & præcipuis Doctoribus noſtris aliter hîc ſentire. Fruſtra verò prolixè probare ſatagit, fidem in Scriptura ad intellectum referri. De eo enim lis non eſt, ſed de eo tantùm, an *excluſivè* ad intellectum referatur, vel *unicè*. Vnde probationes omnes quas ſubjicit peccant *ignoratione elenchi*, vel *paralogiſmo à dicto ſecundùm quid*. 5. Oſtendit verò, quæ illi ſit Eccleſiarum noſtrarum reverentia, dum inquit rotundè: *Eccleſiarum noſtrarum, quæ ſit ſententia, magnopere nobis laborandum non eſſe, ut inquiramus, poſtquàm quæ ſit Scripturæ doctrina ſatis intelleximus. Nam ſi Eccleſiæ noſtræ hac in re à Scriptura diſceſſiſſent, errorem ſuum qui minimè certè exitialis eſſe poteſt, ex Scripturæ emendare deberent.* Vtut enim hæc emollire & negare videatur in ſequentibus, eas hac in parte errare, parum tamen reverenter ab ipſo dicuntur, ut qui novit vel nôſſe debuit, Eccleſias noſtras nec hîc, nec in dogmatibus aliis à Scriptura, per Dei gratiam, diſceſſiſſe. 6. Admodùm mihi alibi inſultat, quod aliquos ejus errores *non exitiales* pronuntiem, & id ſarcaſticis exclamationibus ulciſcitur. Annon par pari hîc referre liceret, & grandibus verbis ei regerere, gratulandum eſſe Eccleſiis noſtris, & habere eas, unde ſibi non parùm gratulentur, quod, Animadverſoris judicio, *exitialem errorem* hîc non errent? Sed ſpuma iſta reliquenda Animadverſori. 7. Id falſiſſimum, *nullam*

aliam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

aliam eâ in re Spiritus efficacitatem Eccleſias noſtras agnoſcere , quàm quæ ſita eſt in illuminatione , eò quod Articulo XXI. Confeſſionis illuminationis fiat mentio. Annon verò *Bezæ* auctoris Confeſſionis iſtius; præcipui ſaltem, ſententia cuivis nota ? Annon & Catecheſeωs Eccleſiarum Gallicarum à Magno Calvino ſcriptæ , quæ ſect. XVIII. Spiritus S. duplicem actum ad fidei productionem & conſtitutionem diſertè notat , & diſtinctè quidem, *illuminationem mentis*, & *obſignationem cordis*, vel *promiſſionum ſalutis in corde* diſtinctam ab operatione Spiritus in intellectu. Annon *Calvinus* etiam, quem ubique ſequi videri vult lib. III. Inſtit. cap. II. fidem & *mentibus revelari* docet, & *cordibus obſignari ?* Annon, ne de privatis Doctoribus loquar, ſententiæ ipſius Confeſſiones publicæ plerarumque Eccleſiarum noſtrarum repugnant & Synodi Dordracenæ Canones ? Annon diſertè Canon XI. capitis III & IV. habet, Deum non tantùm in converſione *mentem per Spiritum S. potenter illuminare , ut rectè intelligant & dijudicent quæ ſunt Spiritus Dei, ſed ejuſdem etiam Spiritus regenerantis* (non luminis intellectus tantùm) *efficaciâ ad intima hominis penetrare , cor clauſum aperire, durum emollire, præputiatum circumcidere , voluntati novas qualitates infundere, eamque facere ex mortua vivam*, &c. An itaque per ſolam circa intellectum operationem nobis iſta Spiritus S. actio in Canonibus iſtis repræſentatur ? Annon etiam in Rejectione VI. errorum circa iſtam doctrinam diſertè rejicitur error illorum, *qui docent , in vera hominis converſione non poſſe novas qualitates , habitus , ſeu dona in voluntatem ejus à Deo infundi, atque adeò fidem, quâ primùm convertimur.* Et additur : *Contradicunt enim hæc ſacris litteris quæ teſtantur , Deum novas qualitates fidei , obedientiæ ac ſenſus amoris ſui cordibus noſtris infundere.* Eſa. XLIV, 3. Jer. XXXI, 23. Rom. V, 5. An hîc nulla niſi mentis facta mentio ? An per *cor* intelligenda mens , quæ duo tamen diſertè diſtinguit Synodus in Canonibus ſuis, imò annon etiam *voluntatis* ipſius expreſſam facit mentionem ? Sic & Catecheſis Eccleſiarum Gallicarum ſect. XLVI. cordis pulſationem præmittit illuminationi intellectus. An *obedientia* etiam & *ſenſus amoris Dei* ſunt tantùm actus mentis ut & purificatio cordis quæ fit per fidem ? An Canones hos non adoptavêre Synodi Nationales Gallicæ ? Et annon inde judicium faciendum de Eccleſiarum noſtrarum fide ? Conſulat Confeſſiones etiam aliarum Eccleſiarum noſtrarum de Fide, Helveticarum, Scoticarum , Belgicarum, alias, & diſcet , aliam Eccleſiis noſtris mentem eſſe , & aliam illas Spiritus in fidei productione efficacitatem agnoſcere, quàm quæ ſita eſt in ſola illuminatione. Deſinat itaque hoc *admodum recentibus* Theologis adſcribere, & illis convitium dicere, quod *regnum affectent in Theologia*, ne *Calvinum, Muſculum, Zanchium, Bullingerum, Martyrum, Bezam*, alios Viros

graviſſimos tales quoque dicat, & hoc illis etiam impingat. Qui ſint illi, qui in Theologia *regnum affectent*, triſti aliquot annorum experientiâ conſtat,& quæ Academia vocetur à quibuſdam *regio Theologiæ*, extra quam alii betæ ſint & cucurbitæ, qui Theologiam docent alibi. Hæc humilitas hodie inſtillatur juventuti, ut & illos contemnere diſcat, quorum venerandam canitiem, & ſanctiſſimos labores vel hoſtes etiam Eccleſiæ ſuſpiciunt. 8. Quod à me dictum, ſugillat ut ἀθεόλογον & ἀφιλόσοφον *unum eundemque habitum duabus facultatibus adeò differentibus intellectus ſcilicet & voluntatis inſidere*, & me ejus probationes pollicentem ridet, ſuas etiam de Fide Theſes invictas cenſet, nec eas à me ſolidis rationibus refelli poſſe, gloriatur. Id verò non dicteriis vel ſarcaſmis regeſtis retundendum, ſed opere ipſo præſtandum. Quâ in re fidem obſtringo Animadverſori & Lectori ſimul. Nec id hîc occupandum digreſſioni cavendæ, quia paucis negotium iſtud ob multa heteroclita ab Animadverſore in Theſibus ſuis congeſta abſolvi nequit. Nec verò id mihi operoſum eſſe poteſt, qui præcipuos Theologos noſtros id contrà Pontificios paſſim demonſtrantes, præeuntes habeo. Nec, quamvis Animadverſoris ingenio nihil detractum velim, quicquam hoc in argumento ab ipſo præſtitum vidi, quod multam ſubtilitatem exigat, vel formidinem injicere debeat mediocribus etiam ingeniis, quippe cujus placita, quoties à veritate recedit, maximam partem meris ſpeculationibus inanibus & ratiocinationibus μετεωρολογοῦσι inædificata ſunt. Non mirum verò, Animadverſorem adeò magnificè de iis quæ à ſe producta, ſentire, adeò abjectè de alienis laboribus: Ingenio ſuo quemque uti, haudquaquam novum. Sic aliorum ruinis ſuperſtruenda erat moles famæ ipſius dicanda! Hic viri character eſt, cui ut Deus det & veritatis ac pacis reverentiorem animum, ipſius donum erit, nec hîc lumine tantùm intellectui affuſo opus, ſed ſerio humilitatis ſenſu producto in ejus corde, qui eum doceat, ſuo pede ſe metiri, nec regnum ſibi vel in dogmata vel in perſonas ſibi non obnoxias, ſed ſine ſuffragio, vindicare.

IV. Meritò verò etiam à me notatum, Scripturam non ita exiliter & jejunè loqui de ingeneratione fidei per Spiritus operationem,ut quæ eam etiam vocat *circumciſionem cordis*, *cordis lapidei ablationem*, *vivificationem & reſuſcitationem à mortuis*, oppoſitam corruptioni totali humanæ. Quid iſtis opponit Animadverſor. 1. Me fateri, *Scripturam & cæcitatem mentibus naturalem attribuere, & fidei generationem, ſaltem aliquatenus, ex illuminatione pendere, & iſtam ſaltem eſſe primam operationem omnium, tametſi partialis tantùm eſſet in regeneratione fidei*. At quid hoc vel pro Animadverſore, vel contra me? *Regenerationis* interea *fidei* phraſeologia nova nobis eſt, qui

qui de regeneratione hominis multa legimus, ſed non de *regeneratione fidei*, verùm de *generatione* ejus, cùm præſertim hîc de prima ejus productione ſit ſermo. 11. Infert: *Illuminationem ergo illam mentis in eo verſari, ut eam reddat idoneam, quæ perſpiciat verum quod eſt in objecto Euangelico.* At oſtenſum, illuminationem Spiritus non tantùm mentem idoneam reddere, ſed longè plus præſtare. 3. Addit, *Verum, quod primum amplectendum, ut fides ſalvifica generata dicatur, eſſe enuntiatum illud univerſale, ſalutem daturn iri omni credenti. Neceſſe ergo omnino eſſe, ut priuſquam quicquam aliud Spiritus in nobis operetur quod ad fidem ſalvificam generandam pertinet efficacitate ſuâ, ut verum illud amplectamur, ita propoſitum univerſaliter: Quapropter neceſſe eſſe, ut hoc ita propoſitum ſit univerſaliter verum.* At quis de eo ambigit, & quid id facit ad litem noſtram? An à me unquam negatum, univerſalem eſſe iſtam propoſitionem, *omnem credentem ſalvandum*, & hoc eſſe veriſſimum, nexum eſſe univerſalem inter fidem & ſalutem? An verò ob id ſequitur voluntus Dei univerſalis & conditionalis de omnibus & ſingulis ſub conditione iſtâ ſalvandis? Imò hac ipſa propoſitione potius evertitur, quia eâ ſalus affigitur iſti conditioni quæ nec univerſalis eſt, nec eſſe poteſt, & cujus gratia ſolis electis ſit. Fruſtra itaque infert, *verum eſſe, ſalutem ad omnem credentem pertinere, nemine excepto. Id verò nihil aliud eſſe quàm gratiam univerſalem docere, affectam eâ conditione ſi credas.* Imò, Animadverſor, eo ipſo non eſt univerſalis quia eſt affecta iſta conditione quæ conditio nonniſi paucorum eſt *comparatè.* Prout verbi gratiâ, edictum Principis univerſale in ſpecie, omnis teſſerâ iſtâ inſtructus, gratioſus erit in aula mea, revera particulare eſt, ſi teſſeræ & notitia & poſſeſſio paucorum tantùm ſit ex ſpeciali gratia Principis, nulli alii verò eam vel habeant vel habere poſſint, præter illos. Sic propoſitio, *omnis qui fecerit hoc, vivet in eis,* univerſalis ſanè eſt ratione nexus obedientiæ & vitæ, revera tamen minus quàm particularis eſt, ratione vel deſtinationis, vel applicationis, nulli quippe mortalium vel applicata vel applicanda.

V. Immitis verò eſt Animadverſor, qui ne fugæ quidem locum mihi hîc relinquere vult, dum addit, *me eò confugere non poſſe, ſalutem quidem ad omnem credentem pertinere, quia omnis credens electus eſt. In primo enim illo actu fidei noſtræ conſiderari objectum ſine ullo reſpectu ad electionem, & ſepoſito omni electionis intuitu. Hoc unum in objecto perſpici, Chriſtum eſſe omnibus ſalutis auctorem, modò credant.* At quæſo 1. An natura iſtius propoſitionis pendet à judicio vel conſideratione noſtra! Annon potius ab ipſa connexione terminorum, & Dei ordinatione, quoad doni fidei vel collationem vel negationem? Annon metienda etiam eſt ex conſtitutione illorum, quibus proponitur? Annon quamvis homo credat, auditâ iſtâ propoſitio-

ne, eſſe nexum infallibilem inter fidem & ſalutem, adeóque ſalvandos omnes credentes, ſtatuere potius debet, Deum nolle ſalvari omnes homines ſub iſta conditione, eo ipſo quia & conditionem illam proponere & exigere voluit, tametſi noſſet eam nulli eſſe præſtabilem niſi electo, interea tamen ab ejus præſtatione ſuſpendere voluit ſalutem? Omnem verò credentem eſſe electum, extra controverſiam eſt. 2. Pone etiam, hominem primò hoc unum in objecto perſpicere, Chriſtum eſſe omnibus ſalutis auctorem, modò credant, an ob id ſequetur, admittendam ab eo gratiam univerſalem conditionatam, ſi nôvit, quod noſſe debet, hoc verbum innumeris non eſſe propoſitum, quod ſibi propoſitum eſt, adeóque nec ſalutem talibus propoſitam ſub iſta conditione. Et vel ignorabit ſuam corruptionem naturalem, quod abſurdum, & neſciet, Spiritum S. in ſe fidem operari, quod æquè abſurdum, vel videbit facile, nec ſe ex ſe credere poſſe, & opus eſſe Dei virtute hanc fidem in ſe efficiente, & eâdem eſſe opus aliis omnibus ut & credere poſſint & ſervari. Pone itaque, illum etiam credere, omnes alios eſſe ſalvandos, ſi Deus fidem in illis producat, nihil aliud credet, niſi nexum univerſalem inter fidem & ſalutem. Sepoſitâ itaque conſideratione electionis, ex iſta propoſitione nihil aliud ſequitur, niſi Deum conſtituiſſe nexum inter fidem & ſalutem & omnes conditionem iſtam adimplentes ſalvandos, quod veriſſimum. Demus itaque, tales animo concipere, *omnes ſalvandos modò credant*, quid aliud inde erui poteſt, niſi idem ille nexus? At nos de eo non litigamus, ſed de voluntate Dei univerſali & conditionali, omnes per fidem ſalvandi, quam talis nunquam concipiet, ſi à Spiritu S. inſpiretur, nec concipere poterit, quia ſcit, non alios magis quàm ſe, credere poſſe ſine Spiritus S. efficaci operatione, deinde ſine ſumma temeritate, imò & falſitate ſtatuere nequit, Spiritum S. iſtam operationem in omnibus exercere velle. 3. Fruſtrà itaque infert, *conceptum illum quem tum de propoſitione iſta animo efformamus, ſalutem eſſe omni credendi paratam, & aſſenſionem per quam conceptum verum eſſe ſtatuimus, quâ in re ſita ſit fides repræſentare objectum ab omni conſideratione electionis ſejunctum, & merè univerſale, & ad omnes indiſcriminatim pertinens. Aut igitur non modò conceptum, ſed etiam aſſenſum, quem Spiritus S. producit, falſum eſſe, aut objectum univerſaliter verum eſſe citrà ullum ad electionem reſpectum.* Demus iſta omnia. An ob id propoſitio iſta eatenus univerſaliter intelligi debet, (quamvis à nobis ut univerſalis verè quidem concipiatur, ſed ratione nexus univerſalis fidei & ſalutis, & hoc ſenſu tantùm) ut ex ea inferamus, Deum voluiſſe omnes ſub hâc conditione ſalvari? Imò oppoſitum potius inde ſequitur ex connexione iſta univerſali inter fidem & ſalutem à Deo conſtituta, ut retrò notatum. Quid verò

inter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

inter nos controvertitur, annon hoc, an gratia ſit univerſalis ex Dei intentione, hoc eſt, an Deus habeat voluntatem omnes ſalvandi ſub conditione Fidei? Hoc verò nec propoſitione iſta, *omnis credens ſervabitur,* exprimitur, nec fingi debet ab illo, qui eam amplectitur, & ſi hoc fingat, error erit, non veritas, nec actus Spiritus S. hominem illuminantis, ſed hominis cæcutientis & hallucinantis circa iſtam propoſitionem. Et conceptus itaque iſtius propoſitionis, qualis eſſe debet, & aſſenſus illi ſecundùm iſtum conceptum præbitus, haudquaquam falſi ſunt, nec tamen objectum univerſale verum ēſt aliter, quàm ratione nexus univerſalis à Deo conſtituti, non verò ratione volitionis Dei univerſalis & conditionalis, ut omnes ſub hâc conditione, vel ſalvarentur, vel ſalvari poſſent, qualis conceptus chimæra eſt, non veritas. Peccat itaque merà *ignoratione elenchi* Animadverſor, id probando, quod probatione non eget, id verò non probando quod eſt in quæſtione. Et ipſe ſibi apertè diffidit, & iſtam diſſertationem parùm accuratam cenſet, dum addit, *verùm de hoc infrà accuratiùs.* Sed per meram fugam & ἔκκλισιν, hîc enim quâ fieri poterat, accuratione de hoc argumento agendum erat.

VI. Loco verborum meorum, quæ ſe *breviter excuſſurum* pollicetur Animadverſor, digreſſionem denuò inſtituit de facultatibus animæ. *Tres* inquit, *ſunt omninò in nobis facultates in peccato mortuæ, mens, voluntas & appetitus ſenſitivus. Itaque vivificatio & ſuſcitatio noſtra à mortuis conſiſtit in trium illarum facultatum immutatione.* Iſtud ἐξαγώνιον, ſed κτ̀ τὸ βίαιον retorquendum. Si tres illæ facultates in peccato ſint mortuæ, & vivificatione ſingularum opus eſt, an ſapienter dici poteſt, Deum hominem mortuum in peccatis velle ſalvari, ſub conditione ut credat, hoc eſt, ut habeat unam ſaltem ex iſtis facultatibus (ſecundùm Animadverſorem fidem tantùm in intellectu conſtituentem) vivam? Vivam enim non habere non poteſt, ex parte ſaltem, qui credit. Quis verò ejuſmodi voluntatem homini vel non mente moto, vel non illuſori & impoſtori adſcribat? Et tamen hoc eſt inter myſteria novæ iſtius Theologiæ, Deo talia tribuere. Addit, quæri, *an ſpiritus operetur immutationem illam in unaquâque facultatum illarum immediatè, an verò mediatè per intellectum, voluntatem & appetitum emendet, vivificet atque reſuſcitet.* Me priorem opinionem tueri, ſe poſteriorem. Loco communi denuò hîc viam parat Animadverſor, nec enim iſta quæſtio hîc palmaria eſt inter nos, vel id faceret ad gratiam univerſalem propugnandam, quamvis ſententiam ſuam obtineret. Non opus ergo erat id ita prolixè hîc pertractari, quod in tranſcurſu tantùm à me notatum, & quidem occaſione mihi datâ ipſius Animadverſoris verbis, & quod cauſam non decidit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

VII. Dictum à me, Scripturam appellare operationem Spiritus Dei *circumciſionem cordis, cordis lapidei ablationem, carnei dationem* & *vivificationem* atque *reſuſcitationem*, quod veriſſimum. Eludit hoc Animadverſor, & quærit, *ſi operatio Spiritus, quæ nos totos immutat, ſe immediatè exerat in intellectu duntaxat, in utroque verò appetitu mediatè per intellectum, an propterea minus innovationis opus Spiritui Dei tribuatur?* Præterquam verò quod id, quod *immediatè* tribuitur Spiritui S. *magis* certo ſenſu ipſi tribuitur, quàm quod ei tribuitur tantùm *mediatè*; quippe quod ei tribuitur *unicè*: quæſtio eſt, quî Scriptura iſtam Spiritus operationem deſcribat? Et annon præſtet nos eam verbis Scripturæ efferre quàm Animadverſoris? Doceat ille, ubi Scriptura immediatam Spiritus operationem reſtringat ad intellectum, & mediatam tantùm referat ad reliquas facultates! Quùm verò Scriptura æquè iſtam operationem in circumciſione cordis conſiſtere dicat, ac in illuminatione intellectus, cur iſtam magis immediatam ſtatuamus, quàm illam? An *Lege non diſtinguente* nobis diſtinguendum? Imò cum *illuminatio intellectus* etiam iis tribui poſſit, qui non convertuntur reverâ, quamvis alia converſorum eſſe ſtatuatur, abſurdum tamen erit, Spiritus Sancti operationem in converſione immediatam, adeóque præcipuam, à qua reliquæ pendent, illo nomine deſignare, quod tribuitur etiam non converſis, & non potius illo, quod ſolorum converſorum eſt. Abſurdum etiam, Deo *mediatam* tantum operationem in voluntatem in converſione adſcribere, quamvis ei æquè præſens ſit ac intellectui, & in quâvis actione conſideretur, cum *concurſu immediationis* & *virtutis* & *ſuppoſiti*, ut non malè loquuntur Scholæ. Adde, cùm iſta Spiritus operatio ſæpè deſcribatur per ſolam circumciſionem cordis, vel alia id genus, quæ ad cor & voluntatem ſpectant, cur Spiritus operationis mediatæ toties mentionem facit non immediatæ, imò an mediatæ mentio facienda foret ſine præfixa operatione immediata, à qua unicè pendet? Et quum Animadverſor *cor* ſæpe velit eſſe intellectum, & operationem Spiritus circa cor operationem ejus circa intellectum, eâdem phraſi exprimetur operatio Spiritus mediata & immediata, prima & ſecunda, dependens & independens. Adde, ſi nexui facultatum & ſubordinationi earum naturali inter ſe debeatur voluntatis & appetitus renovatio, ob dependentiam iſtarum facultatum neceſſariam à mente, utique minus longè apparebit potens Spiritus Sancti in converſione hominis operatio, & reſtringetur ad unam operationem, illuminationem nimirum mentis. 2. *Facultates* etiam *iſtas ita conſertas eſſe, ut uterque appetitus nunquam moveatur ad bonum, niſi mens ad id primum moveatur ipſa. Item: ut ſemper ac neceſſariò ad bonum moveantur & incitentur, cum mens ipſa eodem impellitur, denique ut vel vehementer vel*
remiſsè

remiſsè moveantur, prout mens vehementer vel remiſsè ipſa impulſa atque incitata eſt, ex parte verum eſt, ex parte falſum. Verum eſt, appetitum non moveri ad bonum, niſi mens moveatur aliquo modo primùm. Non enim fertur appetitus in planè incognitum. Falſum verò, ſemper & neceſſariò eum ad bonum moveri, cum mens eo impellitur. Contrarium patet in multis contra conſcientiam admiſſis peccatis, ubi *lumen convictivum* abundantiſſimum, *nec ſuaſivum* tantùm ſed & *perſuaſivum*, hoc eſſe malum & noxium, & nobis quidem tale eſſe, præſtò eſt, & *cogitationes accuſantes*, & tamen voluntas aliò ſe inclinat, abrepta ab affectibus, quod nec *Ariſtoteli* ignotum fuit, qui etſi verè dicat, voluntatem eſſe ὄρεξιν μετὰ λόγον, prout revera ordinariè ſequitur voluntas ductum intellectus extra tentationum & perturbationum æſtum, tamen lib. III. de Anima docet, ὄρεξιν κινεῖν παρὰ τὸν λογισμόν, & docet eam νικᾷν ἐνίοτε, καὶ κινεῖν τὴν βούλησιν. Sic ſæpè etiam plenè illuminatâ mente & motâ in unam partem, movetur tamen in aliam voluntas & appetitus ſenſitivus æſtu iſto perturbationum variarum. Quot etiam dantur motus inordinati qui antevertunt actum judicii. Neceſſariam itaque & ineluctabilem connexionem & ſubordinationem omnium operationum voluntatis & appetitus ab intellectu ſupponit, non probat Animadverſor. Sic etiam tota Spiritus Sancti in converſione hominis operatio reducitur ad unum tantùm actum, ad illuminationem nimirum intellectus, quod à Scriptura & Synodo Dordracena abire hîc demonſtratum damus. Ideò verò etiam negamus, Dei operationem tantùm dari mediatam in utrumque appetitum, quia Scriptura non magis immediatam Dei in intellectu quàm in voluntare vel affectibus operationem tradit, ut ex phraſibus ejus oſtenſum, præſertim quum ſæpè ſine ulla mentione operationis Dei in intellectu, objectum in quod Deus agit, cor ſtatuatur ſumptum pro ſede affectuum & operatio Dei in eo notetur. Et nemo ita pertinax eſſe debet, qui circumciſionem cordis interpretetur illuminationem intellectus, vel qui exiſtimet intellectum dici lapideum, vel incircumciſum, & carneum intellectum dari in converſione. Præterquam quod ſæpè iſtæ operationes apertè diſtinguantur, & ab ipſo Animadverſore conſtituantur ſubordinatæ. Adde, cauſam rebellionis immediatam ibi notari. At intellectus cæcus non eſt cauſa immediata rebellionis, ſed voluntas prava. Et ſæpè lumen intellectus exprobratur, unà cum corruptione cordis. Sed iſtorum tractationem ſeorſum, faciente Deo, plenè exequemur. Nec hîc occupabimus ea quæ ibi exequuti ſumus, præſertim quum id neceſſarium hîc non ſit pro cauſa noſtra.

VIII. Cor in Scriptura S. ſæpenumero intellectum deſignare, dari poteſt, ſemper vel plerumque deſignare, falſum, & eo ipſo quia ſæpè hoc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

fit, ſemper non fit, nec *à particulari* argumentum firmum, duci poteſt. An verò non ſæpè etiam *cordis* nomen alio ſenſu adhibet Scriptura? Scilicet, quando jubemur diligere Deum ex toto corde, actus intellectus tantùm intelligendus erit? Et *mundi corde*, hoc eſt, intellectu tantùm à Chriſto intelligantur ii qui viſuri ſunt Deum. Philoſophiam antiquam abſurdam non perſtringo, quæ animæ intelligentis & ratiocinantis ſedem præcipuam in corde collocat, quod nec ipſum placitis Animadverſoris aptari poteſt. Ariſtotelis hanc ſententiam fuiſſe alicubi verum, ſed ex falſo fundamento, quod cenſeret, nervos, in quibus eſt potentia motiva, originem ducere à corde, quos tamen Galenus, & Anatomici è cerebro & ſpinâ medullari originem habere demonſtrant, & ipſa αὐτοψία docet. Subjectum tamen & ſedem & inſtrumentum ſimul animæ quà ratiocinatur, Ariſtoteles facit cerebrum, non cor. Alio etiam ſenſu meritò animum ἐντελέχειαν vel actum totius corporis organici conſtituit, & ſic illam totam eſſe in toto, & totum in qualibet parte totius Scholæ Philoſophicæ docent. Addit: *Dici poſſe, circumciſionem cordis magis propriè ſignificare mentis liberationem ab habitibus, qui ipſi naturaliter inſident, & cordis lapidei ablationem, cordis carnei dationem magis itidem propriè eodem pertinere, quum mentis immutatio affectuum & appetituum regenerationem neceſſariò poſt ſe trahat.* Quid verò licentioſius iſtâ non interpretatione, ſed perverſione phraſium Scripturæ! Conſulat Interpretes, quos volet, & oſtendat, quis eo uſque temeritatis progreſſus fuerit, ut talia referri debere cenſeat ad intellectum! Conſulat Calvinum in Deut. xxx, 6. & videbit quem ſuum eſſe vult, eum haudquaquam pro ſe ſtare: Imò videbit, ſibi apertè contradicere ſummum illum virum, ubi excuſſerit, quæ notat in Cap. XVIII. Ezech. ubi *cor* interpretatur ex ſenſu noſtro. Per *cor*, inquit, *non dubito quin ſedem omnium affectuum deſignet, ſicuti per Spiritum partem intellectivam animæ.* Obſervare etiam Animadverſor poterit, Calvinum haudquaquam cenſuiſſe, Spiritum S. per intellectum demum renovare voluntatem, & non aliter, quum præponat renovationem cordis renovationi mentis cum Propheta. Abſurdum itaque, ſic non interpretari, ſed corrumpere Scripturam; *Circumcidam cor veſtrum, dabo vobis cor carneum*, id eſt, illuminabo intellectum veſtrum, *auferam cor lapideum* à vobis, hoc eſt, intellectum cæcum. Sin iſta interpretatio diluta locum habere debeat, nemo hactenus quicquam intellexit in phraſi Scripturæ, & Synodus Dordracena graviter hallucinata fuit, quæ dixit, *Deum non tantùm mentem illuminare potenter, ſed & Spiritus regenerantis efficaciâ cor clauſum aperire, durum emollire, præputiatum circumcidere*: hoc eſt, Deum non tantùm mentem illuminare potenter, ſed & illuminare, ſi Animadverſorem audimus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

mus, quo quid magis abſurdum? Annon ibi etiam diſertè iſtæ phraſes explicantur *per infuſionem qualitatum novarum in voluntatem?* Sed obfirmandus eſt animus, & ſemel emiſſa quovis pretio tuenda, adducto ſupercilio. Mentis etiam immutationem affectuum & appetituum regenerationem neceſſariò poſt ſe trahere, ipſum κρινόμενον eſt. Hominis renovationem ſanè μετάνοιαν dici ſecundum partem, & *inadæquatè*, fatemur, totam & *adæquatè* & *ſimpliciter*, non item, niſi μετανοίᾳ latiſſimè ſumptâ. Et hîc etiam ſynecdoche locus eſt.

IX. Meritò verò à me impactum Animadverſori; Si illuminatio mentis ſufficeret ad reliquarum facultatum ſanctificationem, Spiritum S. non tantâ cum emphaſi, & tot patheticis, & diſtinctis phraſibus ac operationibus nobis repræſentaturum fuiſſe iſta beneficia ſua. Quid regerit? 1. Si aliter dari non poſſet regeneratio affectuum quàm per immediatam Spiritus operationem, ſe eam admiſſurum potius, quàm negaturum eorum regenerationem. Satis verò nobis, Scripturam æquè immediatè de operatione Dei in voluntate & affectibus loqui, ac de operatione ejus in intellectu. Nec quicquam obſtare, quominus actus voluntatis boni, æquè immediatè referantur ad Deum, ac actus intellectus. Imò ad majorem ejus gloriam pertinet, ſi dicamus, Deum eos immediatè producere in corde hominis. Nec tantùm motus illi à Deo eſſe immediatè cenſendi ſunt quà *entia*, ſed etiam quà *talia entia*, hoc eſt, quâ actus voluntatis. Imò, ſi illuminatio intellectus eſt tota operatio immediata Spiritus S. in regeneratione, & illa illuminatio eſt productiva fidei, utique ſequitur totam hominis ſanctificationem in iſta operatione conſiſtere, nec productionem fidei & ſanctificationem adeò ſolicitè diſtingui debere ab Animadverſore, quod tamen facit in præcedentibus. 2. Cavillatur, non magis hîc ſibi ſequendam methodum meam, quàm mihi ſuam, quaſi mihi aliquid juris in ipſum aſſerere velim, & non potius illud urgeam, ut Scripturam ſequatur, & ut illi jus ſuum conſtet. Oggeſſi tantùm, & Scripturam alias tradere Dei in convertendo homine operationes, quàm illuminationem ſolius intellectus, & Synodum Dordracenam ex ea & cum ea. Non meam itaque Methodum ipſi obtruſi, ſed communem Eccleſiarum noſtrarum ante Cameronem ſententiam. 3. Addit, *diſtinctiſſimis iſtis locutionibus unam eandemque operationem ſignificari, non diſtinctiſſimas operationes.* Id verò probandum Animadverſori, non dicendum tantùm. Nec vel Scripturam non tantùm à ταυτολογίᾳ, ſed etiam ab affectata obſcuritate liberabit unquam, vel Interpretes omnes Calvinum præſertim, & Synodum Dordracenam à ſumma ἀβλεψίᾳ & ſtupore, quod ante cœlo demiſſum hunc Interpretem cæcutierint omnes, & diſtinctiſſimas iſtas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

phraſes unam mentis illuminationem deſignare non intellexerint? Quî verò id probare aggreditur? *Cordis lapidei ablationem*, inquit, *& carnei dationem eſſe unam tantùm operationem, duobus modis enuntiatam. Mortificationem etiam veteris & vivificationem novi hominis. Circumciſionem cordis etiam & regenerationem rem eandem denotare, non diverſas operationes Spiritus.* At quid id ad rem? Quæſtio eſt, an iſtæ phraſes idem deſignent cum illuminatione intellectus, an diverſum, non an inter ſe idem deſignent? τῆς θύρας itaque ἁμαρτάνει Animadverſor. At & circumciſio cordis, & ablatio cordis lapidei, & datio carnei pro objecto idem cor habent. Meritò ergo eadem operatio per ſingula iſta intelligi poteſt. Sic reliquas phraſes facilè idem deſignare patet. Probet idem Animadverſor de illarum conformitate cum illuminatione, quod in quæſtione eſt. 5. Addit, *emphaticas quidem eſſe locutiones iſtas, at locutionum emphaſin tam pertinere poſſe ad unius rei magnitudinem & dignitatem prædicandam, quàm ad res varias ſignificandas.* An verò id negamus de phraſibus deſignantibus operationem circa cor, eandem operationem per emphaſin pluribus efferri? Negamus tantùm, ſi omnis Dei operatio immediata in illuminatione intellectus conſiſteret in regeneratione, neceſſariam fore congeriem reliquarum phraſium quæ de cordis renovatione tanto numero & tam frequenter inculcantur, ut quæ naturali ſequela ſequeretur illuminationem intellectus, nec opus foret tantâ phraſium & admirandam illam Dei operationem circa cor, & potentiam ejus in illa deſignantium congerie. 6. Apoſtolum ſanè Eph. 1, 19. plura vocabula adhibere emphatica admodùm ad deſcribendam potentiam iſtam Dei ſe exerentem in regeneratione hominis, certum, ſed illa ἰσοδυνάμα eſſe, & *rem unam eandemque planè ſignificare*, falſum. Annon ipſe Calvinus diſtinguit ἰσχὺν ut radicem, κράτος ut arborem cum ramis, ἐνέργειαν, ut fructum? Et quid obſtat, quo minus hîc diſtinguamus operis boni vel ἀποτελέσματος *principium* veluti *formale*, quo Deus agit, nimirum ἐνέργειαν, à principio veluti *habituali*, à quo iſta ἐνέργεια, quod deſignatur per κράτος, & hoc veluti à fundamento & habitus & actus, hoc eſt, à δυνάμει φυσικῇ, quæ deſignatur per ἰσχὺν, non quod in Deo debeamus iſta omnia quærere ut diverſa, vel quod in Deo aliud ſit δύναμις φυσικὴ, aliud ἕξις, aliud & ἐνέργεια, in quo ut notum, omnia ſummè *identificantur*, ut & hoc ex ſcholarum barbarie nobis mutuari liceat, bonâ cum venia & gratia noſtri Animadverſoris: Sed per meram *alluſionem* ad ea quæ diſtincta ſunt inter homines in operatione, ubi datur & ἐνέργεια & ἕξις & δύναμις φυσικὴ diſtinctè. Prout Scriptura S. Deum ſæpè nobis deſcribit ad faciliorem cognitionem, non *qualis eſt*, ſed *quales ſumus*, quæ omnia tamen θεοπρεπῶς intelligenda. Spem verò unam eandem-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

eandemque iſtâ Dei potentiâ productam deſignari, & nihil aliud, niſi *habere mentis oculos illuminatos*, aſſeritur denuò ſine probatione. *Spiritum ſapientiæ ac revelationis* & *γνώσεως*, pro una re eademque hîc poni, itidem affirmatur ſine demonſtratione. Nam & illa diſtingui commodè poſſunt, imò debent, & obvium ſatis, quid intercedat inter σοφίαν, ἀποκάλυψιν & γνῶσιν, quamvis oſcitanter admodùm legerit locum iſtum Animadverſor, quum non optet ibi Apoſtolus γνῶσιν præter duo priora, ſed duo priora illis, ad quos ſcribit, optet ἐν ἐπιγνώσει, id eſt, εἰς ἐπίγνωσιν, prout iſtæ præpoſitiones reſpondentes in Novo Teſtamento Hebræo ב ſæpe ſolent converti inter ſe. Et ſanè de donis illis ſermo eſt ante roboris illius divini exſerti in Chriſto & in nobis propoſitionem, quæ utique deſignat alius poſt illuminationem illam & præter illam, & potentiſſimæ quidem operationis productionem.

X. Meritò etiam à me dictum, ſi tota iſta Dei circa ingenerationem fidei & hominis converſionem operatio in eo tantùm conſiſteret, indicaturum fuiſſe Spiritum S. *mentem tantùm noſtram reddi à ſe idoneam quæ objectum in Euangelio extrinſecus oblatum reſpiceret.* Quid verò regerit? Quærit, *an putem præſtantiſſimum Cameronem, & eos qui eum ſequuntur non exiſtimâſſe id à Spiritu S. ſatis eſſe indicatum? Immò & diſertè traditum, non ſolùm, quia conſentaneum eſt exiſtimare, Deum in hominibus agere pro natura facultatum, quibus eos ornavit ipſe, proque vi connexionis, per quam eas inter ſe ſe conſeruit, ſed etiam quia Scriptura S. ita loquitur, ut vel utramque operationem tam mediatam, quàm immediatam ſynecdochicè denotet per eas locutiones quæ immediatæ operationi competunt, ut eſt docere, perſuadere, illuminare, vel ſi locutiones ad utramque operationem citra ſynecdochen referri poſſint, notationem immediatæ operationis diſertè contineant, atque adeò diſertius quàm mediatæ: Nuſquam* addit, *ita loquitur, ut vel locutio quam adhibet, ſub operatione mediata immediatam contineat ſynecdochicè, vel utramque ita complectatur, ut potius ad mediatam quàm ad immediatam ſit referenda. Neque vir Doctus ullum teſtimonium afferre poteſt, quod contrarium evincat. Quamobrem ſileat*, inquit, *iſta interrogatio.* At 1. Oſtendat Animadverſor vel unum locum Scripturæ, ubi ea ſic loquatur, & ubi operationem immediatam Spiritus in converſione hominis ad hunc actum reſtringat? Id verò ipſi oſtendendum incumbit, affirmantis enim eſt probare, non negantis. 2. Immò ſi *diſertè id traditum in Scriptura S.* quî fit, quod Animadverſor per gyros inutiles circumducat Lectorem ſuum, nec *diſertè* tradita *diſertè* exponat? Et ſi tale quid diſertè in Scriptura continetur, cur paulò poſt notat, Scripturam iſtam diſtinctionem ſcholis philoſophantium permittere. 3. An quicquid *conſentaneum* eſſe videtur conceptibus noſtris, id Scriptura expreſſit, &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

diſertè quidem? 4. An Deus etiam non ſæpe agit præter & ſupra ordinem facultatum? An verò operationes ſuas ſemper adſtringit, adeóque ſeipſum ad iſtum ordinem? 5. Vt Scriptura *ſynecdochicè* per illuminationem interdum deſignat omnes operationes Dei in converſione hominis, ſic interdum etiam id facit eadem ſynecdoche per ſolam *circumciſionem cordis*, vel *per cordis novi dationem*. An ex illa phraſi ubi de illuminatione agitur, magis immediata Dei operatio in intellectu, & mediata in voluntate inferri poteſt, quin pari jure ex iſta phraſi, ubi de circumciſione cordis ſolâ agitur, immediatam Dei in corde operationem & mediatam in intellectu inferamus? Eandem enim non deſignari diverſis iſtis phraſibus, ſuprà demonſtratum. Quamvis iſta ſententia noſtra non ſit, ſed cenſeamus Deum immediatè illabi & in intellectum, & in voluntatem & in affectus hominis, & in iis omnibus immediatè operari in ejus converſione ob emphaticas iſtas & diſtinctas Scripturæ phraſes. Quid itaque temerarium magis illo quod adjicit, *nuſquam Scripturam ita loqui*, ut vel loquutio quam adhibet ſub operatione *mediata*, hoc eſt, operatione in voluntatem & affectus (ex ſenſu ipſius) *immediatam* contineat *ſynecdochicè!* At quoties de ſola cordis circumciſione & mutatione ejus velut lapidei in cor carneum ſermo, & non de illuminatione, quæ tantùm ſubintelligitur & connotatur! Vnam itaque tantùm eſſe immediatam operationem, reliquas mediatas, gloſſema eſt Animadverſoris, non dogma Scripturæ. Satis nobis eſt, iſta operatione ſolâ, quæ circa cor, hoc eſt, voluntatem occupatur, æquè diſerte converſionem deſcribi, ac operatione ſe exerente circa intellectum. Adde, iſtam operationem, quæ ſe exerit in corde hominis, præcipuam in converſione eſſe. 6. Nequicquam imò mirâ ſuâ & Lectoris fiducia negat, me ullum locum afferre poſſe, qui contrarium evincat. At ad pleraque loca provoco, quæ de hoc argumento agunt, qualia ſunt Deut. XXX, 6. Ier. XXXII, 39. Ezech. XXXVI, 26. Actor. XV, 9. XVI, 14. Rom. II, 29. Gal. IV, 6. II Theſſ. III, 5. Hebr. VIII, 10. Oſtendat nobis Animadverſor, loca iſta non *ſynecdochicè* totam converſionem, adeóque & illuminationem mentis ſalutarem ſimul complecti, quamvis illuminationis non faciant mentionem.

XI. In ſequentibus Animadverſor invitatus, ut doceat, *cur circumciſio cordis minus deſignet immediatam Spiritus operationem, quàm illuminatio mentis, & ubi Scriptura doceat, Deum per illuminationem mentis duntaxat circumcidere cor, & auferre cor lapideum, ac dare carneum?* Dicit, *ſuperius id à ſe manifeſtum factum:* Vbi verò id manifeſtum fecerit, nec video, nec videbit ullus magis quàm id quod in Vtopia eſt. Addit tamen, *Lectorem inter alia videre poſſe* locum illuſtrem ex Eph. I, 18. *Non deſino gratias agere pro vobis*, &c.

Huic

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

Huic citationi hoc gloſſema addit ; *Nunquam ſanè ita vota ſua pro fidelibus concepiſſet & nuncupâſſet tantus Apoſtolus, ut illuminationis oculorum mentis tantummodò mentionem faceret, ſi illis opus fuiſſet aliquâ aliâ immediatâ operatione Spiritus quæ ſita non eſſet in illuminatione.* At quæ ſequela quæſo ? Si Apoſtolus aliquo loco non meminit alius operationis Spiritus S. quàm illuminationis : Ergo illa ſola eſt immediata, vel præter illam alia fidelibus opus non eſt ? Atqui Scriptura S. vocationis efficacis ſæpe meminit, & tamen ſanctificatio æquè immediatè Spiritus S. operatio eſt & præter vocationem efficacem neceſſaria. Atqui eadem meminit circumciſionis cordis ſolius ſæpe, vel dationis cordis novi, & tamen operationem iſtam Animadverſor non vult eſſe immediatam, quum tamen ſola deſignetur, & æquè ſynecdochicè connotet illuminationem mentis, ac illuminatio mentis connotat ſynecdochicè circumciſionem cordis. Et cùm ipſe ſupra dixerit eâdem paginâ, ſynecdochicè unâ operatione plures deſignari: Quidni hoc etiam applicemus hìc ad verba Pauli, eum ſynecdochicè per illuminationem alias etiam operationes, quæ voluntatem & affectus ſpectant, intellexiſſe? Annon novit interdum deſcribi omnia beneficia quæ habemus in Chriſto ſynecdochicè per *ablutionem in ſanguine* Chriſti, quamvis præter eam opus ſit, vel ipſo fatente, *ablutione per Spiritum* Chriſti, & quidem immediatâ ſecundùm ipſiuſmet ſententiam ? Quid itaque infirmius iſta illatione ? Quod addit, *cordis circumciſionem & mediatam ac immediatam Dei operationem deſignare,* ea in re, eo quo iſta intelligit, ſenſu petit τὸ ἐν ἀρχῇ, id ipſum enim novit à me negatum, controverſum ſaltem inter nos eſſe, adeóque probandum id erat, non ſupponendum duntaxat. Deſignat ſanè duplicem operationem quandoque, ſed unam æquè immediatam ac alteram. *Cor* non modò ſedem affectuum, ſed & intelligentiam interdum in Scriptura deſignare, controverſiâ vacat, id non item, an quando pro intelligentia ſumitur, immediatum tantum operationis Dei ſubjectum deſignet, non verò quando ſumitur pro ſede affectuum. *Affectus* etiam *ex intellectu neceſſariò pendere*, falſum. Vident multi cum Medea meliora probantque, deteriora ſequuntur, lumine etiam non tantùm *ſuaſivo*, ſed & *perſuaſivo* convicti hoc eſſe minus bonum, aliud verò & *in ſe* eſſe melius, & *ſibi*. Docet id Ariſtoteles de Anima lib. III. ὁ μὲν γὰρ νοῦς, inquit, διὰ τὸ μέλλον ἀνθέλκειν κελεύει, ἡ δὲ ἐπιθυμία διὰ τὸ ἤδη : Ita ut in objectum cupitum feratur cupiditas, præſentibus potius illecta quàm futuris, ut in ἁπλῶς ἡδὺ, & ἀγαθὸν ἁπλῶς, quicquid dictet intellectus. Sic multi convicti ſunt, & perſuaſi, præſtare ſibi abſtinere ab adulterio, & tamen id admittunt, bona deſerenda potius, quàm negandum Chriſtum, & tamen id non faciunt, favorem Dei præſtare favori hominum, æternam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

felicitatem momentaneæ, abripiuntur tamen & illecebris carnis & affe-ctibus ſuis, vel præſentibus abſterrentur malis, futuris non ita afficiuntur. Nec luminis cujuſdam perſuaſivi defectu id fieri, vel hoc ipſum cauſæ noſtræ intercedere, in Diatriba noſtra oſtendemus. Falſum etiam καθόλȣ, *perverſos affectus amputari non poſſe ſine illuminatione mentis*: ſic verbi gratiâ perverſos affectus circa varia objecta ſæpe ætas, morbus, calamitates, alia id genus corrigunt, ſine illuminatione mentis, quamvis id ſalutariter non fieri niſi per illuminationem mentis, & per ſanctificationem voluntatis, libenter fateamur. *Mentem* verò *illuminari non poſſe, quin pravi affectus eadem operâ reſcindantur*, falſum eſt. Nec illuminatio & perſuaſiva quidem, quam habuit Paulus, pravos affectus in ipſo reſcidit, nec in ſanctiſſimis aliis Dei ſervis. Nec moror, à Paulò regenito partem præcipuam capitis ſeptimi ad Romanos removeri ab Animadverſore, poſt Pelagium, Socinum, & utriuſque ſequaces. Notum enim, Clariſſimum Virum *Gul. Rivetum* oppoſitum demonſtrâſſe, & Conſiderationes ejus ſuper ea re, quamvis ipſi cum multis poppyſmis dicatas, ſolidè confutâſſe. *Vnam itaque eandemque actionem quà immediata eſt, & quà mediata eſt cordis circumciſionem nominari*, falſum eſt, nec aliud præter imaginationem Animadverſoris fundamentum habet.

XII. *Si* etiam *Scriptura loqui non conſuevit de facultatibus animorum noſtrorum*, ut addit, κτ̀ τὸ ἀκριβὲς *Philoſophorum*, non poteſt ille, nec debet nobis obtrudere Philoſophicam iſtam potentiarum animæ inter ſe ſubordinationem, & à ſe invicem dependentiam, ut & ſpeculationem ejuſdem ordinis, de affectuum & voluntatis motione per intellectum. *Scripturam* etiam, *cùm agitur de actionibus moralibus, unam tantummodò facultatem in nobis conſtituere videri*, interdum verum eſt, ſæpè falſum, quum & diverſas facultates, & diverſas Dei operationes circa illas diverſis in locis diſtinguat. Immò, quando etiam illa facultas conſideratur ut una, ejus correctionem non ſemper per unam operationem fieri dici, vel per operationem uno eodemque modo enuntiatam, ipſe fateri cogitur, dum *ut plurimùm* id fieri dicit. Et Scriptura ſatis alibi mentem ſuam explicat, oſtendendo & diverſas in homine eſſe facultates, & diverſas etiam Dei, ad earum emendationem operationes adhiberi. *Scripturam accuratiorem mediatæ & immediatæ operationis diſtinctionem tanquam minus ad pietatem pertinentem Scholis Theologorum paulò ſubtilius philoſophantium permittendam* eſſe *putâſſe*, quoad *notiones* iſtas *technologicas*; verum, quoad *rem*, falſum: Satis enim docet immediatam Dei in omnia entia & omnes eorum actus operationem, & influxum, dum docet, *nos in ipſo eſſe, vivere, & moveri*. Nec ullus motus cordis vel voluntatis eſt, qui non ſit actus quidam, adeóque

ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

ad quem Deus non immediatè concurrat non tantùm quà ens eſt, ſed & quà tale ens eſt, & qui non ut ens, ſecundùm & ortum immediatè pendeat à primo ente. Si etiam hoc Scholarum dogma eſt, nullibi in Scriptura expreſſum, non magis nos urgere poterit dogmate ſuo, de immediata tantùm Dei in intellectum operatione, quàm urgeri volet noſtro de immediata Dei in voluntatem æquè ac intellectum operatione. Et ſi quæſtionis iſtius deciſio magnâ ex parte ex Philoſophia pendet, ſententiam Cameronis & ſuam nobis obtrudere non debet de connexione & dependentia neceſſariâ iſtarum facultatum, qualem proponit, quippe quam nec αὐτολεξεὶ in Scripturâ reperit, vel κτ̀ γράμμα, nec κτ̀ πρᾶγμα. Patiatur verò nos cum Scriptura loqui, & tum illuminationem mentis, tum circumciſionem cordis, & utramque quidem abſolutè & ſimpliciter ex æquo Deo in nobis converſionem operanti tribuere; & cùm Scriptura non magis teſtetur illuminationem intellectus fieri immediatè quàm circumciſionem cordis, & quæſtionis iſtius deciſio magna ex parte ex Philoſophia pendeat, cur nobis hoc dogma obtrudit pro Theologico? Si illa aliter ſtatuat ſuper hac re (quamvis de hoc ipſo ſpecialem Exercitationem non defugimus) patiatur nos, ſpretis iſtis philoſophematis, cum Scriptura θεολογεῖν, & ubi illa diſtinguit, diſtinguere; ubi non diſtinguit, non diſtinguere pariter. An verò ex mero philoſophemate inferre debet, *operationem immediatam in voluntate non modò neceſſariam non eſſe, ſed eſſe aliquomodo importunam, & à Sapientia Dei alienam & abhorrentem, ſi voluntas ab intellectu neceſſariò definiatur, nec aliò unquam ſe ſe inflectat, quàm quò ab intellectûs judicio trahitur*? At hæc ipſa poni non debent velut jam certa & probata, quippe quæ ἀμφισβητούμενα ſunt inter nos, an ita definiatur voluntas ab intellectu. Et concluſio itaque & fundamentum illi ſubſtratum ὑπηνέμια ſunt & vana. An etiam ex philoſophia ſola judicandum, aliquid eſſe à Sapientia Dei alienum & abhorrens iis qui enutriti ſunt in Dei ſchola? Exemplum itaque de motione ſphærarum inferiorum per primum Mobile peccat *elencho parium*. Iſtam enim orbium cœleſtium cohæſionem & ſubordinationem, Aſtronomorum abacus, ſenſus & experientia docent; voluntatis & affectuum perpetuam ab intellectu dependentiam & motionem non item. Imò, ut ſimile hoc regeramus Animadverſori, hîc Philoſophiæ paulò æquiori, & ad illius ſcholas ſe demittenti, quemadmodum orbes inferiores, tametſi motu νυχθημερινῷ obſequantur primo Mobili rapienti ab Oriente in Occidentem, ſuper polos mundi, & per circulum Æquinoctialem, tamen renituntur etiam, & peculiares motus habent ab Occidente per Meridiem in Orientem ſuper polos Zodiaci, & per zodiacum, ut docent Aſtronomorum filii. Sic etiam

quamvis

quamvis voluntas ſequatur ordinariè ductum intellectus, id tamen non obſtat, quo minus etiam ſæpe habeat motus obnitentes iſti motui intellectus. Intelligentiâ verò motrice, ut *formâ aſſiſtente* opus non eſſe vel primo mobili, vel ſphæris aliis nôſſe debebat Animadverſor ex Scriptura, ratione & philoſophiâ ſanâ, audire ſaltem interdum in Muſéo ſuo ex ore Clariſſimi Philoſophi ſui, quem dum has ipſas Animadverſiones parturiebat, audiviſſe ſe docentem meminit. Εὕρημα hoc fuit Ariſtotelis, & una ex maculis Philoſophiæ Ariſtotelicæ eſt. Nec iſti commento pretium accedit, quod partui iſti obſtetricati ſint Scholaſtici, & quòd alii quidam eos incautè hîc ſequantur. Indulgeri poterat aliquid Paganis, parùm gnaris quibus miniſteriis deſtinati eſſent Angeli, non edoctis in Dei ſchola. Vt verò immediatum principium ſui motus cuivis Sphæræ cœleſti Deus inſeruit, quod in Exercitationibus Phyſicis demonſtratum dedimus ante viginti & ultrà annos; ſic & cuivis facultati hominis motus ſuos peculiares tribuit. Voluntatem ſanè ita ſuarum operationum moderationem in poteſtate habere cenſemus, ut & judicio mentis reluctari valeat, & revera aliquando reluctetur. Si etiam, ut addit Animadverſor, non magis ad σκέψιν philoſophicam pertinet deciſio quæſtionis, de immediata vel mediata ſphærarum motione, quàm deciſio quæſtionis de mediata & immediata facultatum animæ motione, cur Animadverſor, tantâ cum fiducia (qui quid in talibus poſſit, noſſe tandem aliquando debebat) decidit iſtam quæſtionem, & ſententiam oppoſitam noſtram, velut abſurdiſſimam, traducit, & à Sapientia Dei alienam & abhorrentem? An & hic ex illo nobis quærere non licebit, an numeros omnes ſapientiæ divinæ tenere ſe arbitretur? Si id affirmet, temerarius erit: ſi neget, cur ſibi licere vult quod in me tam acerbè inſectatur, quaſi dicere, aliquid repugnare ſapientiæ divinæ, eſſet cœlum cum Titanibus perrumpere, & Deo oculos configere. Cur idem tanto molimine exequitur, & ex Scriptura decidere ſatagit quod philoſophicæ pulpæ eſſe fatetur? Imò ſi *Scriptura non loqui conſuevit*, ut inquit, *de facultatibus animorum noſtrorum* κατὰ τὸ ἀκριβὲς, *& hoc ipſum pertinet ad* ἀκρίβειαν *philoſophicam*, & Scriptura id non decidit, liberrimè à nobis negari poteſt, nec ita mirum Animadverſori videri debet, ſi negetur. An enim ipſe iſtis Philoſophorum pedicis conſtringi volet, & in hac cataſta ſedere mancipium? At inquit, ſuam opinionem *authores habere Platonem, Ariſtotelem, Epictetum, & quicquid unquam fuit in eo genere illuſtrius, noſtram verò tueri Ieſuitas, Arminianos, & Sophiſtarum colluviem, quorum auctoritas hominibus Theologis ſit planè pro nihilo putanda*. Iſtam opinionem verò de univerſali & perpetuâ voluntatis & affectuum per intellectum motione *Platonis, Ariſtotelis & omnium Philoſophorum illuſtriorum*

eſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

eſſe tum dabimus Animadverſori, ubi hoc probatum ſolidè dederit ex veterum ſcriptis. Ea enim quæ hactenus à Camerone, ut ut diffuſæ eruditionis viro, producta ex iſtis Auctoribus fuêre, in confutatione Epiſtolæ ad virum Doctum nondum talia deprehendi quæ apodictica eſſent. Præterquam quod humana auctoritas ſuadere poſſit in argumento theologico, perſuadere verò haudquaquam debeat. *Ieſuitas*, *Arminianos*, & *Sophiſtarum colluviem* tantùm poſteriorem ſententiam tueri & falſiſſimum eſt, & à graviſſimis Theologis noſtris multis idem ſæpè traditum. Sententiam ſanè quam tradit Animadverſor impugnatam fuiſſe inter alios à Celeberrimo quondam hujus Academiæ Theologo *Antonio VValæo* ignorare non debuit. Notum etiam, diſplicuiſſe idem toti Facultati Theologicæ Leidenſi, & in cauſa, præter alia quædam, fuiſſe, cur non approbatione Facultatis muniretur Collatio Cameronis cum Tileno, in hac ipſa urbe typis retrò excuſa. An hos etiam Viros & plurimos alios ex noſtris Ieſuitarum, Remonſtrantium, & Sophiſtarum colluviei accenſere velit, indicabit quando volet? Sibi ſanè tale quid impingi non audit ſine ſtomacho, quamvis meliori jure id fieri poſſit. Vtinam verò tam verè Animadverſor à ſe amoliri poſſet ſuam cum talibus in multis ὁμόνοιαν & ſocietatem, quam id paſſim præ ſe fert! Aliâ etiam ratione, & alio fine à Jeſuitis & Remonſtrantibus hoc affirmari novit, ut nimirum voluntati ἀδιαφορίαν quandam adſcribant vocationem Dei vel admittendi vel excutiendi, à quo dogmate nos alieniſſimos eſſe novit. Non ignorare etiam debuit Facultatem Leidenſem in ſuis ad Cameronem litteris prid. Kal. Febr. 1622. hoc ipſum dogma diſertè notâſſe, etſi *de controverſia illa phyſica nemini litem intentent; nempe, num voluntatis determinatio neceſſariò ſequatur ad ultimum judicium rationis ac intellectus practici?* Se tamen probare non poſſe, *quòd videatur* Camero *nullam aliam mutationem in voluntate aut concedere aut requirere præter moralem illam quæ fit ab objecto monſtrato, & rationis judicio de eo eligendo aut rejiciendo, aut præferendo, ſine ullo influxu Dei immediato in ipſam voluntatem, præſertim in rebus ſupernaturalibus.* Addunt, Scripturam *immediatum influxum Dei in voluntate immutanda teſtari.*

XIII. Scripſi cæteroquin etiam, *conferri debere cum hac deſcriptione operationis Spiritus, quam propoſuit Diſſertator, quòd nimirum nihil aliud præſtet, niſi quod mentem idoneam reddat, quæ objectum in Euangelio extrinſecus oblatum adſpiciat* Articulum XI. & XII. Cap. III. Synodi Dordracenæ. Nec pœnitet; Videbit enim Lector, niſi oculorum & judicii uſum omnem ſibi interdicere velit, toto cœlo diſtare operationem Spiritus in converſione hominis deſcriptam in Canonibus Synodalibus, & illam quam exhibuit Animadverſor in ſua Diſſertatione. Quid hîc reponit? Querelam primò,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

quòd remittam Lectorem ad Synodi Canones, impatienter verò tulerim me remitti ad Calvinum. Præterquam verò quòd non eadem Doctoris privati, quicunque ille ſit, quæ Synodi Nationalis Eccleſiarum Reformatarum auctoritas eſſe debet, ablegationem ad Calvinum non ſimpliciter improbavi, ſed crebra iſta & Ædilia imperia, quibus me non ad Scripturam remittit ſed ad ſcripta humana, ad *Calvini, Bullingeri, Muſculi, Pellicani* & aliorum id genus Commentarios evolvendos: Ad iſta aliquoties iterata repoſui, conſilium iſtud ab Animadverſore diſcipulis ſuis dandum eſſe, ab ipſo petentibus, quid ſibi legendum eſſet? Nec quia illorum ſcripta à me lecta, & verè quidem, dixi, me omnia Theologorum ſcripta in numerato habere dixi: Quis cæteroquin inter nos *ſublatos & ſublimes gerat Spiritus*, novit arcanorum ſcrutator Deus; quis ingenium ita comparatum exprimat ſcriptis & factis, & *regnum in Theologia affectet*, novit quisquis utrumque noſtrûm novit. Notet interea Lector, quî cohæreant, & ſibi conſtent verba Animadverſoris, cui cavilli iſtius lepos non cerebrum excuſſit, ſed memoriæ uſum intervertit. Remiſeram Lectorem ad Canonum aliquot Synodi Dordracenæ lectionem; *Ego*, inquit, *quem non decet gerere ſpiritus uſque adeò ſublatos atque ſublimes iſti viri Docti imperio libens obſequar, & me inter Lectores Exercitationum iſtarum connumerabo.* An verò de lectione mearum Exercitationum hîc jota ullum à me propoſitum, vel ullus ad hoc incitatus? Dubio procul dum iſta ſcripſit, aliis audientiam dedit, & totus ſuus non fuit, vel in re iſta. Quis etiam noſtrûm ſcriptis iſtis mutuis noſtris impreſſerit characteres *ſpiritus ſublati & ſublimis*, Lectoris eſto judicium. Appoſitum etiam admodum erat ad Canonum Synodicorum commemorationem addere, *bis à ſe perlectas Exercitationes meas*; Vtinam verò vel ſemel duntaxat illas legiſſet, & reliquas horas ſecundæ lectioni impenſas, deſtinâſſet integro à me propoſitorum examini, nec Pentheum nobis exhibuiſſet truncum & lacerum! Eo minùs etiam excuſari debet, quòd cùm bis Exercitationes noſtras ſe legiſſe teſtetur, plurima tamen & præcipua, ſæpe adeò ſtrenuè diſſimulet, ac ſi ea nunquam legiſſet. Si cenſeat, *neminem mortalium à ſe impetrâſſe geminatam earum lectionem*; præter alios quos adducere poſſem, docebit eum aliter hîc judicare, Vir Ampliſſimus & in Eximia dignitate conſtitutus, ſed virtute & eruditione major, qui *Gregorii Vellei* nomine, judicium ſuum eruditiſſimo ſcripto inter nos interpoſuit. Celeberrimus etiam *Croyus* oſtendit, & plurimi alii viri Eximii non adeo faſtidioſas Exercitationes meas ſibi viſas, ſed in eo parùm ſitum, an ſemel vel bis illæ lectæ fuerint, ſatis & lectas eas eſſe, & probatas ſingulari Dei favore præcipuis Orbis Reformati Theologis. Neſcio verò an à multis impetraverit Vir Doctus ſuarum

Anim-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

Animadverſionum lectionem integram, nedum geminatam. Ego id ſemel à me impetravi, ut bis facerem impetrare ab animo meo non potui.

XIV. Dicteriis iſtis præmiſſis Canonem XI. deſcribit, & XII, ſed ſine cauſa. Interea Canone XI. pro verbis quæ habet Canon, *in electis*, ſubſtituit *in illis* adhibito pronomine ἀναφορικῷ, quod fieri non debuit, cùm non referat antecedentia', ex quibus conſtet, Synodum de electis loqui, præterquam quòd verba retinenda fuiſſent integra. Quî verò cohæreant Animadverſoris verba, & an apud ſe denuò fuerit dum iſta ſcripſit, judicabunt omnes? Loquitur de Exercitationum mearum lectione, & addit; *Sic igitur articuli illi* (ſcilicet Synodi Dordracenæ) *ſe habent*. Quæ ſit hîc ἀλληλουχία (vocabulum jam ſingulari beneficio Pelaſgâ civitate, uſu Animadverſoris donatum) docebit nos aliquando. Negat verò in iis articulis quicquam Synodum Dordracenam dicere de diſtinctione operationis *mediatæ* & *immediatæ*. Nihil etiam eſſe in illius Canonibus quod æquè dici non poſſit, & ab iis qui mediatam, & ab iis qui immediatum operationem defendunt. At quum actioni Spiritus non tantùm ex æquo tribuant operationem, æquè in *cor* & voluntatem, ac in intellectum, ſed & dicant *Spiritus regenerantis efficaciam ad intima penetrare, cor clauſum aperire, durum emollire, præputiatum circumcidere, voluntati novas qualitates infundere, & facere eam ex mortua vivam*, nonne Lector ingenuus videbit, Patres iſtos cenſuiſſe æquè immediatè Spiritum Sanctum illabi in voluntatem ac in intellectum? Si enim in ſolum intellectum immediatè illabatur, dicendum ſimpliciter erat *Spiritum S. mentem potenter illuminare*, quam illuminationem naturali ſequelâ ob dependentiam reliquarum facultatum à mente, reliqua conſequantur. Saltem dicendum non erat, Deum non tantùm Euangelium illis externè prædicari curare, & mentem eorum per Spiritum S. potenter illuminare, &c. Sed *ejuſdem* etiam *Spiritus* (imò mentis potius *renovatæ*) *efficaciâ ad interiora hominis penetrare*. Sed potiùs & per iſtam illuminationem cor clauſum aperire, &c. Aliud enim eſt hunc effectum tribuere *Spiritui* ipſi *renovanti*, quod faciunt Patres Synodici, aliud, id tribuere *menti* per eam *renovatæ*, quod facit Animadverſor. In tranſcurſu etiam notet Lector, an Synodus Dordracena ſtatuerit *circumciſionem cordis* idem eſſe quòd *illuminationem intellectus*, ut vult Animadverſor. ſi enim hoc ſtatuamus, Canones habebimus βαττολογοῦντας, & eorum Authores ſtatuemus ridiculos, quippe qui vel operationes iſtas diſertiſſimè diſtinguunt, imò ſibi invicem opponunt per adverſativam particulam, vel idem à ſeipſo diſtinguunt, & idem ſibi ipſi opponunt. Sin Animadverſorem audiamus, dum Canones illi dicunt, Deum in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

converſione, non tantùm mentem per Spiritum S. potenter illuminare, ſed & *cor* clauſum aperire, durum emollire, dicunt Deum non tantùm mentem potenter illuminare, ſed & mentem potenter illuminare. An tantis viris, & tam venerando toto orbe Chriſtiano Conſeſſui tribuemus mentem externatam, & verbis illorum ſonum ſine ſenſu? Et quum Synodus ſtatuat Canone XII. iſtam operationem *planè ſupernaturalem eſſe, arcanam & ineffabilem*: Certè, etſi *ratione principii* ſit *ſupernaturalis*, ratione tamen *formæ* & *modi*, ſecundùm Animadverſorem, *ſupernaturalis planè* non erit, ut quæ ſequitur dependentiam & ordinem naturalem facultatum, nec hîc eſt *ineffabilis*. Notet etiam Lector obiter, hîc à Synodo regenerationem præmitti, & actualem fidem ex ea duci, quod tamen tantoperè diſplicet Animadverſori, qui ferre non poteſt, me ſanctificationem aliquam anteriorem ſtatuere fide, per quam producatur. At quid eſt regeneratio niſi ſanctificatio? Annon ex eo patet, Synodicos Patres immediatam Spiritus Sancti operationem in voluntate æquè ac intellectu ibi intellexiſſe, quum ipſi alieni fuerint à ſententia Cameronis, aliam ſaltem prætulerint, ut fatetur ingenuè eruditi de tribus Methodis ſcripti Auctor. Adde è Theologis, à quibus concepti fuêre Canones Synodales nomine Synodi, *Bogermannum* Synodi Præſidem Eximium, *Polyandrum*, *VValæum*, *Triglandium* Viros Magnos Salmurienſia novæ Methodi placita diſertè publicis tabulis improbâſſe, qui utique noverant optimè ſententiam & ſuam, & eorum qui Canones iſtos ſuâ auctoritate probavêre. Indubium cæteroquin, Canones illos directè oppoſitos fuiſſe ſententiæ Remonſtrantium, de voluntaris ἀδιαφορίᾳ poſt operationem Dei in converſione. Hinc tamen non ſequitur, Synodum non diſtinxiſſe apertè illuminationem intellectus & circumciſionem cordis, & Spiritus efficaciam ad intima cordis & voluntatis penetrantem non expreſſiſſe. Et nemo, niſi ſponte errare velit, dubitabit, Patres Synodi ſententiam Cameronis quæ poſt Synodum iſtam demum ab aliquibus recepta fuit, & ut ex Leidenſium Theologorum & Feſti Hommii ipſius teſtimonio patet, multis Synodi Patribus dura viſa & periculoſa, quibus viſa. Multis enim planè ignota fuit. Si tamen Animadverſorem audimus, Synodi Canonibus conformis eſt, nec verba Synodi magis Patrum ſententiam exprimunt, quàm illam, quam diſertè multi ex illis improbârunt.

XV. Poſt iſta, denuò convitium mihi dicit Animadverſor, memoriæ laude ſed διασυρτικῶς mihi tributâ, judicii verò ademptâ, & Cyclopis inſtar Homerici me exoculatum Lectori ſiſtit. Sed bene ſe res habet, quod judicio Animadverſoris non ſtet judicii alieni firmitas vel imbecillitas. Mallem ſanè & memoriæ firmitate, & judicii ἀκριβείᾳ carere, quàm donum

num

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

num utrumque habere eo gradu, quo id Animadverſor ſe habere cenſet, & eo ad turbandam Eccleſiam abuti. Infelix acumen eſt quo latera Eccleſiæ fodicantur. In eo verò admodum fallitur, quod putat, me iſta ſcribentem in Exercitationibus meis, haudquaquam meminiſſe, vel hoc objectum fuiſſe Cameroni, ſententiam ipſius Canonibus Synodi fuiſſe damnatam, vel id ab eodem fuiſſe rejectum *in Reſponſione ad Epiſtolam Viri docti:* Eò magis enim illius rei meminiſſe poteram, quod librum iſtum ab ipſo Camerone donatum, & honorificè admodum inſcriptum adhuc habeam, cui etiam Epiſtolam ad Clariſſimum & diſertiſſimum *Durantium* τὸν μακαρίτην præmiſit, in qua mei tum adhuc adoleſcentis, elogio etiam luculento adjecto, in iſta ætate publicè meminiſſe voluit, quo nomine me ipſi obnoxium profiteor. Quia verò mihi iſto ſcripto, erudito cæteroquin, ſeriò lecto relectoque in aliquibus ſatisfactum non fuit, quamvis rationes & reſponſiones Cameronis diligenter expenderim, id quod à me peculiari Diſſertatione in publicis prælectionibus occaſione oblata ſine ulla vel ærugine vel contumelia in Cameronem, immò ſine nominis etiam illius commemoratione demonſtratum, jure idem à me reponi potuit Animadverſori, nec mea defenſio Defenſione Cameronis mihi excuti debuit. Neſcio verò an imbecillitati memoriæ, an alii cuidam cauſæ adſcribi debeat, quod Animadverſor Clariſſ. Virum *Feſtum Hommium* bis vocet *Hummium* quem tamen Leidæ & vidit, & novit, & cujus nomen ſæpe in iſta Defenſione exſtat? An integritati etiam ejus tribui debet, quod ſplendidè Lectori inſinuat, quaſi Patres Dordraceni omnes Theſibus & Lectionibus Cameronis perlectis omnia in iis probâſſent? At id nec Eximius ille Theologus *Feſtus Hommius* in litteris ſuis dicit, nec verum eſt. Diſertè enim teſtatur: *Theologorum Exterorum judicia de iis non licuiſſe intelligere, quia jam in procinctu erant cùm libri iis diſtribuerentur, nec perlegendi otium fuiſſe.* De Theologis Belgis tantùm addit, eos qui perlegerant *exoſculatos fuiſſe inſignia, quibus Deus Cameronem ornaverat dona eruditionis & acuminis ſingularis, & gaviſos quod D. Gomaro ut digniſſimus illâ functione ſuffectus fuerit.* Immò expreſsè notat Hommius in ſuis ad Cameronem litteris, *nonnullos offendere videtur, quod converſionem hominis per ſolam moralem ſuaſionem fieri ſtatuas, cum hoc à Remonſtrantium ſententia non videatur multùm abludere.* Quamvis verò ab eo purget Cameronem Feſtus ibidem, & teſtetur ſe nihil obſervâſſe quod ab Orthodoxia in Synodo declarata abire videretur, unius tamen judicium plurium aliorum judicia non evertit, præſertim quibuſdam aliis, ubi Camero abit à ſententia communi. Ingenii & eruditionis laudes cum *Feſto* eaſdem ſemper tribui candidè & adhuc tribuo Cameroni, quamvis haudquaquam omnibus ejus placitis acce-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

dere poſſim. Non debuit verò Animadverſor Lectori indefinitè & promiſcuè ingerere, quaſi Patres Dordraceni quivis perlectis ſcriptis Cameronis iis aſſenſum præbuerint, ſed diſtinguere eos de quibus Feſtus loquutus fuit, ab iis de quibus loquutus non fuit. Diſputationem Cameronis & Tileni, ſcriptum eruditum & acutum, in ſumma rei probatam fuiſſe ex Epiſtola Feſti patet; omnia & ſingula probata fuiſſe, haudquaquam. Nec qui ſcriptum aliquod in genere commendat, omnia commendat & probat quæ in eo reperiuntur, niſi id diſertè exprimatur. Et quamvis Clariſſimo iſti Viro Feſto Hommio omnia in iſta collatione probata fuiſſent, certum eſt, quædam non probata fuiſſe Celeberrimis Theologis *Polyandro, Riveto, VValæo, Thyſio* non inferioribus *Feſto*, ut patet ex eorum Epiſtola ad Cameronem, in qua judicium ſuum candidè exponunt de immediata Dei in voluntatem operatione, & de expoſitione Capitis IX ad Romanos. *Invictis*, quibus dicit hanc ſententiam communitam fuiſſe, *argumentis* hoc, quod putat, pondus non ineſſe oſtendimus in Diatriba noſtra, & candidè ac modeſtè omnia expendimus in Domino ſine ullo Cameronis, eruditi & eximii cæteroquin Diſputatoris, contemptu. Experti revera fuimus accurata meditatione adhibitâ illa invicta non eſſe, ſed ſpeciei quidem multum habere, roboris non item. Auctoritatem etiam Synodi Alezianæ fruſtra adducit, quippe quæ Diſputationem iſtam Cameronis cum Tileno non vidit, typis demum exſcriptam Anno cIↃ IↃC XXII. ſed Theſes tantùm & prælectiones, in quibus multa non exſtant quæ diſplicuêre aliis in Cameronis ſententia. Adde, Synodum iſtam, etiamſi deprehendiſſet quædam à communibus placitis alieniora, qualis erat ſententia de *morali ſuaſione*, vel *motu ethico*, condonâſſe tamen multa præſtantis viris dotibus aliis, & aliquid indulſiſſe Illuſtri Heroi *Mornæo* Pleſſiaci Domino, de Eccleſiis omnibus præclariſſimè merito, qui Cameronis vocationem promotam cupiebat. Præterquam quod moderationem & pacis Eccleſiaſticæ conſervandæ ſtudium Patres ſibi à Camerone pollicerentur, cujus ingenium mite erat, & abhorrens à litibus. Vehementiam verò & æſtum nimium illorum qui Cameronis vocationi intercedere videbantur, *pii zeli* phraſi perſtringere voluiſſe Synodum, falſum eſt, & reverentius de ea ſentire debebat Animadverſor, quàm ut Lectori ingereret, venerandum iſtum Conſeſſum, cujus Præſidem egit ſummus, &, ſi ullus mortalium, noſtro ævo de Dei Eccleſia eximiè meritus Theologus *Petrus Molinæus*, hoc velo partim odia privata, partim technas vel ſtrophas tegere voluiſſe, quod fuiſſet hominum à candore & conſcientia deſtitutorum. Nec verborum iſtorum vis talis, niſi apud eos qui omnia pervertere & in ſequiorem partem trahere volunt. Collationem

nem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

nem ſanè etiam Canonum Dordracenorum & ſententiæ Cameronis legeram, ſed ex eo non ſequitur iſta lectione mihi ſatisfactum fuiſſe, vel ob unius hominis eximii etiam judicium mihi, haudquaquam argumentis ipſius convicto à ſententia oppoſita diſcedendum fuiſſe. Editionem operum Cameronis Genevæ me procurâſſe ex parte verum, ex parte falſum. De ea ſanè ne cogitatum quidem à me, cùm à Bibliopola ejus editio deſtinata & adornata fuit. Ejus tamen rogatu me à Clariſſim. Viro *Lud. Cappello* petiiſſe ſi quæ haberet παραλειπόμενα Cameronis ad pleniorem editionem inſtruendam, ut ea ſubmitteret, non diffiteor. Nec inficias eo, me etiam cenſuiſſe editionem illam à Bibliopola jam deſtinatam & affectam utilem fore, cùm præter novitia quædam dogmata multa in Operibus iſtis reperirentur, quæ erudita ſunt & utilia. Immò cùm interceſſum eſſet ab aliquibus iſti Editioni jam ceptæ, quibus de cauſis, nôrunt ipſi, & grave damnum ob id metuendum foret Bibliopolæ, ingenuè fateor, me & illius causâ, & quia non ob zelum pro orthodoxia id fieri animadverteram, inſtitiſſe, ut abſolveretur, & operam meam ad rem illam conficiendam interpoſuiſſe, quamvis multa ne lecta quidem fuerint à me, quæ iſtis Operibus inſerta fuêre, ea tamen ſemper proteſtatione publicè privatimque ingenuè editâ, me in quibuſdam Cameronis ſententiæ non ſubſcribere, præſertim in argumento de *Vniverſali Gratia*. Tituli illius *Ioh. Cameronis Eximii Theologi* τὰ σωζόμενα, me auctorem eſſe, verum eſt. Ejus verò rei iſta fuit occaſio. Quum chartis Salmurio miſſis ad Operum Cameronis editionem præſcriptum fuiſſet, tituli totius Operis vicem, nomen *Summi* vel *Incomparabilis*, vel *Maximi* Theologi, nec enim exactè memini quod ex tribus illis præſcriptum fuerit, & illud nimium multis videretur, modeſtius ſubſtitui, nomen nimirum Theologi *Eximii*. An verò mihi tribui elogium, quod in Camerone nimium cenſui, quo nomine alibi me compunctum voluit Animadverſor? Scilicet meum peccatum eſt, ſi ſcriptor vel ſculptor vel Bibliopola modum excedat judicio ſuo, vel affectu Peccata ſua Animadverſor dixit alicubi ſibi ſufficere, quamvis peccati Adami reatum illis non addit, eludendo dogmati veriſſimo. An itaque talium in judicando exceſſus mihi imputari debebit? An enim Animadverſor Celeberrimorum Theologorum *Molinæi, Riveti*, aliorum omnia probat, quia eos pro Eximiis Theologis ſe habere paſſim profitetur? Cur ergo ob id vult omnia Cameronis mihi probari debere? Nec in eo ſententiam mutavi, ut qui Cameronem ſemper habuerim pro Theologo *Eximio*, præſertim cum, præter eruditionem, ejus in pace Eccleſiaſtica retinenda ſtudium perſpectum habuerim, & animum mitem ac placidum, quamvis ob id Cameronis placita omnia haudquaquam

adoptan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

adoptanda cenſuerim, quod homines vel inſani vel qui ſervili ſunt ingenio faciunt, qui illorum quos colunt etiam ceſpitationes & balbutiem & motus incompoſitos imitantur. Haudquaquam verò hîc à me quicquam diſſimulatum, quod non diſſimulatum oporteret. Nam & in Epimetrorum vindiciis ſuper Canonibus Synodi Dordracenæ candidè oſtendi, mihi non ſatisfactum diſtinctionibus & reſponſionibus Cameronis, opponendo ſemper iſtos Canones ſententiæ illius de mediata tantùm Spiritus S. in voluntate operatione, & hoc loco idem adhuc teſtor. Non ſine ratione verò id à me occupatum, publica, favente Deo, evulgatione Diatribæ meæ ſuper hoc argumento demonſtratum dabo. Opinionem cæteroquin Cameronis *maledictis* à me *inceſſi*, falſiſſimum. Conferat Lector verba mea, iis ſanè nihil reperiet modeſtius. Nec è finibus Eccleſiæ publicâ auctoritate ſententiam iſtam eliminatam ſum profeſſus, ſed tantùm, aliam fuiſſe ſententiam Patrum Synodi Dordracenæ in Canonibus ſuis, & ſatis exſtare in illis argumentorum, quibus oſtendamus hanc Animadſoris poſt Cameronem opinionem haudquaquam Synodo placuiſſe. Vtinam verò de eo tantùm nobis diſputatio foret, an determinetur voluntas ab intellectu ſemper & perpetuò, vel non, & an Spiritus S. immediatè illabatur in omnes facultates, an verò immediatè tantùm in intellectum, mediatè verò in voluntatem & affectus, modò res ipſa teneretur ſeriò, nec communis Eccleſiarum noſtrarum ſententia traduceretur velut fatua, & ab omni ratione abhorrens, longè ſanè compendioſior nobis ad concordiam via foret! Quaſi etiam in Theologo Eximio nullus poſſet eſſe nævus, vel error. Vel ergo Theologos quos pro Eximiis ſe adhuc habere profitetur, tales reverà non eſſe cenſet, vel ab illationibus putidis id genus ſibi in futurum temperabit. An etiam *Cameronem dixi pro Arminiano damnatum à Synodo Dordracena*? Vbi quæſo? Et cur hoc mihi affingit Animadverſor? Hoc verò tantùm dixi, ipſius ſententiam circa hoc argumentum haudquaquam conſentire cum Canonibus Synodi. An etiam quævis doctrina in Synodo iſta damnata Arminiana eſt? At verò Pelagiana etiam hæreſis non ſemi-Pelagiana tantùm, & multi Socinianorum, Pontificiorum, & aliorum hæreticorum errores ibidem perſtricti fuêre. Damnata directè doctrina illorum à Synodo aliqua dicitur, quorum cauſa illa coacta eſt, & quorum ſententiæ ac dogmata diſertè recenſentur ſimul & rejiciuntur. Nec hunc nævum mihi majorem in Animadverſore quàm in Camerone viſum, uſpiam oſtendi. Nec de ſe dicere debuit Animadverſor, *ſe omnium invidiâ undiquaque flagrare.* id enim vix hominem mediocriter & modeſtè de ſe ſentientem decet, qui reverâ ſentit dona ſua mediocria eſſe, adeóque publicâ invidiâ haudquaquam digna.

Judi-

Judicium tale non cadit niſi in hominem magnificè admodum de ſe & donis ſuis ſentientem. *Cameronem* à me *immiſericorditer flagellari* ad Epimetrum VI. vel ullibi alibi, falſum, qui nuſquam non de eo modeſtè & honorificè ſum locutus. Vtinam verò eâ modeſtiâ etiam cauſam ſuam ageret Diſcipulus, quâ Magiſter eam egit! Nec ſanè ille eo uſque unquam progreſſus fuit vel faſtûs vel contumeliarum in fratres. Nec me pudebit me *diſcipulum* Cameronis in multis profiteri. Audivi enim eum non quidem in Academia ulla docentem, ſed Lutetiæ Anno 1624 privatim dubia multa egregiè in colloquiis privatis mihi expedientem. Interfui etiam ejus Colloquio ſolenni coràm *Theminiâ* fœminâ Illuſtriſſimâ cum *Chabanio* Nobili Regio habito in ædibus Ampliſſimi & Integerrimi Viri *Ludovici Arnaldi*, Conſiliarii Regii quod & Gallicè tunc quoad ejus fieri poterat, currente calamo excepi, & ex eo ad Cameronem paulò poſt ad ipſius petitionem miſſo verſio in Operibus ejus exſtans adornata fuit. Ex ſcriptis etiam ipſius profeci, nec id diffiteor. Vtinam verò mihi cum Camerone aliquo res potius eſſet in hoc negotio, quàm cum homine contumeliis, dicteriis, & convitiis paſſim in me graſſante! Cameronem experirer graviter & modeſtè diſputantem, & ſi ille mei triumphator eſſet, eſſem ego triumphator erroris. Nec ſanè vel dedecoris ullius vel diminutionis famæ habenda in talibus ratio, ſed conſcientiæ. Nihil verò eſſe, quod hîc mihi reformidandum admodum foret, quæcunque fuerit eruditio Cameronis, & qualiſcunque mea ſit tenuitas, ex eo patet, quod nulli dubium eſſe debeat, Cameronem potiſſima argumenta ſua, quibus ſententiam iſtam propugnavit, in Collatione cum Tileno adhibuiſſe, quæ ſanè, etſi ſpecioſa & ſubtilia, tanti non ſunt, ut me à ſententia mea unquam dimoverint. Egregia cæteroquin Epimetrorum meorum, & diſputatorum de iſto argumento confutatio ſubjicitur ab Animadverſore! *Iſtud ſanè omittamus*, inquit, *donec ea quæ dicta ſunt ad Epimetrum ſextum refutare vacet*. At id occupandum erat homini hanc aream ingreſſo, & ſæpe jactanti omnia à ſe refutata. Si quicquam verò, oſtendendum erat Animadverſori, malè à me ex Canonibus Synodi Dordracenæ dogmata ipſius heterodoxa multa jugulata fuiſſe, & ſuæ Methodi placita everſa. Iſtud verò penſum differt, donec vacet. Vtinam verò ei nunquam vacaſſet novâ iſta methodo ſuâ tranquillitati publicæ Eccleſiarum noſtrarum intercedere! Interea quamvis fateatur multa à ſe prætermiſſa, ſi tamen alibi ipſum audimus, nihil prætermiſſum, omnia confutata, adeóque ſi quis ei credere velit, non debet ei credere, ita varius eſt.

XVI. Addit Animadverſor: Malè à me notatam *vim ſpiritus*. At non notata, niſi quod phraſis iſta *vis Spiritus* videatur in ſequiorem ſenſum

trahi poſſe ab Adverſariis quibuſdam qui ex eo quod potentem & determinantem Spiritus S. in converſione noſtra operationem *vim* appellamus, inferre poſſunt & ſolent, nos violentum quendam & coactivum motum hîc ſtatuere, quod falſum. Ne ergo cavillo locus ſit, vel *virtutis* vel *efficaciæ* nomenclatione hîc utendum potius cenſeo. An vox illa cæteroquin mihi Latina videretur, ne dubitandi quidem vel conjiciendi cauſam ullam dedi Animadverſori. Quod ſi etiam cenſendum eſt, Latinitatem alicujus carpi, quoties dicitur, aliquem ita loqui, cur Animadverſor me latiniſſimè etiam loquentem eodem modo ſæpe introducit? Annon licet verborum alicujus ſic meminiſſe, quin pædagogica ferula ſit ad manum & quin caſtigetur ejus latinitas? Tantùm verò retrò mihi non fuit otii, voluntatis adhuc minus, ut in iſto ſimpulo fluctus excitare ſatagerem, & diſputationem ex Theologica Grammaticam reddere per congeriem quisquiliarum & tricarum id genus. Quale quid Animadverſor heroico ſuo ingenio, & ſpiritu ſublimi dignum judicavit dum πρόσωπον τηλαυγὲς Operi ſuo Vocabulariorum & Lexicographorum obſervationibus totum diſtinctum & vermiculatum præfigere voluit.

XVII. His ſubjicit cavillum aliud, me eo quod diſertè dicat, uti pro argumento ad id ipſum, quod dicitur impugnandum. Judicet verò Lector, quo jure. Docet Animadverſor, *vim ſpiritus nihil aliud præſtare, niſi quod mentem idoneam reddit, quæ objectum in Euangelio extrinſecus oblatum aſpiciat.* Ex eo infero, *hac ratione totam hominis converſionem in iſta operatione nobis ex parte Dei conſtituendam eſſe.* An iſta ratiocinatio abſurda? Quum enim converſionem aliam longè in Scriptura proponi docuerim, & primùm illam non tantùm idoneam reddere oſtenderim, quæ objectum in Euangelio oblatum aſpiciat, ſed & quæ actualem objecti contemplationem in ea producat. Deinde demonſtrârim, præter operationem Spiritus S. circa mentem, ſecundùm Scripturam, & communem Theologorum noſtrorum ex ea ſententiam, dari etiam operationem Spiritus S. peculiarem & immediatam in circumciſione cordis & purificatione ac reformatione affectuum: Annon eo ipſo meritò abſurditatis ream perago ſententiam, ex qua ſequitur, totam converſionis hominis rationem in iſta operatione inadæquata nobis ex parte Dei conſtituendam eſſe. Si dicat Animadverſor, hanc meam ſententiam eſſe τὸ κεκινόμενον inter nos, ſatis mihi hîc erit, me eviciſſe, eam eſſe communem noſtrarum Eccleſiarum, & ab Eccleſiis Gallicanis ipſis in Synodis Nationalibus approbatam, quæ dum Canones Dordracenos probârunt, probârunt etiam ſententiam, quæ non tantùm illuminationem intellectus in converſione ponit, ſed & circumciſionem cordis diſtinctam ab iſta illuminatione, ut

patet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

patet ex Canone XI, & quidem per *adverſativam*. Nec ſine βαττολογίᾳ aperta iſta ibi confundi poſſunt: Antequàm itaque illationem iſtam meam abſurdi arguere poſſit, probare debet, ſententiam noſtram plures operationes in converſione hominis & immediatas quidem conſtituentem falſam eſſe. Nec dubito, quin Orthodoxis omnibus graviſſimè ſit diſplicitura ſententia, quæ Spiritui S. nihil aliud adſcribit in converſione, *niſi quod mentem idoneam reddit, quæ objectum in Euangelio extrinſecus oblatum adſpiciat*. Nec me Animadverſor urgere poteſt ſententiâ ſuâ. Satis & mihi & iis omnibus qui ab ea ſunt alieni, iſtam converſionis deſcriptionem ut inadæquatam & inſufficientem, haudquaquam convenire Synodo Dordracenæ & Nationalibus Gallicis hunc actum è Scriptura decidentibus, ut à nobis demonſtratum. Quicquid itaque illis hactenus repugnat, erroneum nobis eſt, & obelo dignum. An etiam Animadverſori æquipollent operatio Spiritus ingenerantis fidem, & tota hominis converſio? Si æquipollent, prout ea hîc pro talibus ſumit, ergo vis ſpiritus ingenerantis fidem erit ſanctificatio, quod alibi tamen ſæpe negat, & pro abſurdo habet. Immò ſi vis Spiritus operantis in electis ut fidem in eorum animis ingeneret, & tota converſionis hominis ratio æquipolleant, quî fides poteſt exigi pro conditione ſalutis magis quàm converſio, immò quî fides pro conditione converſionis ſumi poteſt? Sic enim recurret conditio & conditionatum. Dicere, Deum converſurum hominem, modò credat, eſt dicere, Deum eum converſurum, modò convertatur, quem tamen novit non magis convertere ſe poſſe, quàm ſe ipſum exuere. Immò ſi converſio tota hominis nihil aliud ſit, quàm vis ſpiritus ingenerantis fidem, confunduntur planè vocatio efficax, & ſanctificatio, & abſurdè vocatio efficax diſtinguetur à ſanctificatione etiam ſtrictè ſumpta in ſcholis Theologicis, quamvis alioquin non detur vocatio efficax, nec dari poſſit ſine aliqua ſanctificatione latè ſumpta. Quis magis hîc attentus fuerit inter nos ad rem, judicabit Lector. Non ſine joco tamen iterum dimittendus eram, ſed frigido & diluto.

XVIII. Veriſſimum verò, quod à me adjectum, *illud etiam idoneum reddi ad adſpiciendum objectum aliquod quod ex parte tantùm corruptum, adeóque ex parte tantùm curandum eſt*, exemplo laborantis ὀφθαλμίᾳ, cujus oculi à Medico idonei redduntur collyrio aliquo adhibito, ut videat, impedimentis quibuſdam tantùm remotis, at facultate præſuppoſita. Scriptura verò nos *cæcos* vocat, & in meris tenebris conſtitutos docet, quibus etſi intellectu & voluntate præditis, ob ſummam tamen & ineluctabilem facultatum iſtarum corruptionem, & potentia facultatibus iſtis bene utendi reſtituenda eſt, & applicationis ejus ad actum ipſum gratia, adeó-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

que & viſus ipſe reſtituendus, & tenebræ mentis omni modo removendæ. Quid reponit Animadverſor? A 1. Grammaticationem mihi objicit, quod *capacis* vocabulum junxerim cum *tertio caſu*. Id ſcilicet multùm facit ad Gratiam Vniverſalem! Et hoc & hîc tragicè exaggerandum erat, ut in quo fortunæ Græciæ ſitæ ſunt, & in ſecunda Animadverſionum Generalium parte de novo exagitandum. *Magnum crimen Cai Cæſar!* Actum ſcilicet de oppugnatore Gratiæ Vniverſalis! An hoc certamen hîc cernitur? Hæ verè *febriculoſæ obſervationes* ſunt & putidæ. Sed conquirendum aliquid erat quod carperet, & cùm Theologiam meam heterodoxias accuſare non poſſet, accuſare ſaltem conatur Grammaticam meam. An & in ea hæreſi locus? At ſim licet imperitiſſimus elegantiarum, Latinitatis causâ tamen ob id hîc non cadam, quâ de agitur. Quàm hîc me carpat æque ac alibi ex mera ærugine, conſtabit Lectori ex Syllabo elegantiarum Animadverſoris, & ex mearum hac in parte incongruitatum defenſione, quam occupare ipſe non debui, ne uterque ludibrium deberemus grave Lectori, ſi Theologorum par commiſſum in hoc circo videat circa argumenta id genus, & alterum *ἀμέλγειν τὸν τράγον*, alterum verò *ὑποτιθέναι τὸ κόσκινον*. Occupatum etiam ultrò hoc penſum ab Erudititiſſimo Juvene, *Ioanne Beaumontio* & adjecta *mantiſſa* (quod pace Animadverſoris dixerim) à Filio. In his ſpatiis confligere Theologorum non eſt. Nemeſin tamen hîc in tergo fert Animadverſor, dum poſt iſtam quam notat ſtribiliginem Circenſis inſtar pompæ magno cum apparatu productam Grammaticus vindex bis primis poſt iſta lineis in artis ſuæ leges peccat, & partim orationem habet *ἀνακόλουθον* partim *τὸ σόλοικον* in ea. Schemate iſto in anteceſſum præmiſſo, prolixam inſtituit diſſertationem de *impotentia naturali & morali*, & de defectu vel facultatis vel rectitudinis in facultate. Hanc vel Philoſophiam vel Theologiam exequitur Animadverſor aliquot paginis. Et ſanè hoc argumentum bonam & Theologiæ & Operis Animadverſoris partem facit, & adeò frequenter repetitur, ut non ſit metuendum, quin hæreat altè Lectori. 3. Apud ſe interea non fuit, vel turbatus admodum Animadverſor in diſtinctionis iſtius, quamvis ipſi multo uſu perquàm familiaris explicatione, dum dicit, pag. 297, 298. *impotentiam credendi vel conſiſtere in defectu aliquo facultatum, quod impedit, tametſi adſint, quominus vim ſuam naturalem exerant*, dicere voluit, vel eam conſiſtere in inopia facultatum, vel in aliquo earum defectu, qui impedit quominus vim ſuam naturalem exerant. Si quid tale mihi excidiſſet, Tyria maria concitaſſet Animadverſor & in me armâſſet totam Priſciani ſcholam. 4. Addit, *etſi conſiſteret impotentia in facultatis inopiâ, non malè tamen eum loquuturum eſſe, qui dixerit, cæcum non eſſe idoneum*

ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

ad videndum. At hoc dici non poteſt de iſta impotentiæ ſpecie, quia in ipſo cæco eſt facultas videndi, & tantum vitium in organo. Nulla ergo in eo facultatis inopia, & exemplum malè applicatur. 5. Fruſtra addit, *tametſi vis illa ſpiritus facultatem amiſſam reſtitueret, poſſet dici, eam nos idoneos reddere ad objectum Euangelicum adſpiciendum*. Neque enim de eo nulla nobis quæſtio, ut fatetur paginâ ſequente, an facultas nobis reſtituatur, hoc eſt, intellectus. Adde, me cauſam non præbuiſſe, cur id diceret, nec enim dixi *illud ſolum*, ſed *illud etiam* idoneum reddi ad adſpiciendum objectum aliquod, quod ex parte tantùm corruptum eſt. 6. Sic fruſtrà addit, *id quod nos facit impotentes ad credendum, conſiſtere in facultatum illarum vitio atque corruptione, potentiæ ergo reſtitutionem conſiſtere in vitii remotione*. Et hoc extrà controverſiam eſt. In applicatione quoque ſimilitudinis prolixâ de ὀφθαλμίᾳ, quam texit Animadverſor, nec me ferit, nec cauſam noſtram. Id tantùm ἐν παρόδῳ notetur, parùm appoſitè homines ad credendum minimè idoneos, quales ſunt omnes non regeniti, dici ab Animadverſore, propè eſſe inſtar juvenum, quos Ariſtoteles non eſſe Auditores convenientes Politices, inquit, quaſi non alia planè ſit impotentia hominis corrupti ad fidem, quàm juvenis alicujus ad audiendum & diſcendum Politicen. Atqui dantur ſæpè juvenes qui judicio ætatem antevertunt, & qui paſſionibus haudquaquam magis ſunt obnoxii, quàm adulti multi ex ſingulari quâdam εὐφυΐᾳ, vel ex educatione bene inſtituta. In eo etiam aberrat, quod id ipſum repetit nudè, quod ſibi impactum noverat, & quod abſtergendum erat, *quæcunque ſit potentiæ reſtitutio nihil aliud eam præſtare, niſi quod nos idoneos reddit ad objectum aſpiciendum*. At hoc ipſum ἀμφισβητούμενον hîc eſt. Haudquaquam ſanè à me negatum, homines per operationem Spiritus fidem ipſis ingenerantis reddi idoneos ad credendum, id tantùm negatum, non plus homini dari, quum illis detur ipſe actus fidei, nimirum τὸ credere. Phraſin itaque illam & inſufficientem eſſe, & ambiguitati obnoxiam, quia de illo etiam efferri poteſt, quod ex parte tantùm curandum eſt, ut verbi gratiâ, quamvis homo videre poſſit & currere, ſi tamen leve aliquod vitium in oculis ipſius hæreat & pedibus, ille etiam poteſt dici eum idoneum reddere ad viſum & curſum, qui vel externâ operatione lutum ab oculis illius extergit, vel velum ab iis amovet, vel faſciam expedit, quâ pedes ejus conſtricti prius erant. Melius itaque & pleniùs & convenientiùs iſta Spiritus operatio efferri debuit, ne hac ratione rima aperiretur hominibus heterodoxis, vel corruptionem hominis non regeniti extenuandi, vel extenuandi operationem Dei, in eo curando, quod duplex malum eſt, & graviſſimum quidem. Id verò iſtâ obſervatione mihi propoſitum fuit, ut ei rei intercederem. Et

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

cùm iſta phraſis, ſpiritum nos idoneos reddere ad credendum, & infrà efficaciam iſtius operationis ſit, & Scriptura magis emphaticis phraſibus eam deſcribat, aliter ea Animadverſori deſcribenda erat.

XIX. Pergit Animadverſor, & quoad ſummam rei addit: *Cum Scriptura nos cæcos vocat, eam non intelligere nos carere facultatibus naturalibus, ſed ſupponere nobis ineſſe facultates, quas aliqua corruptio præpedit.* De iſtis nulla lis, nec opus erat nos monere, Scripturam non intelligere homines carere intellectu, & voluntate, ſed facultates iſtas in homine ſupponere. An enim dubium erat, Scripturam non cenſere homines eſſe cercopithecos, vel verè ſaxa ſuper ſaxis in theatro, ſed homines, adeóque neceſſariò intellectu & voluntate præditos. Addit: *Corruptionem illam, quâ facultates noſtræ præpeditæ ſunt, & quæ earum uſum convenientem nobis eripit, non impedire vim ratiocinatricem, ut ne quidem τὸ λεγόμενον comprehendere poſſit, ſed etſi vim illam nobis relinquat, impedire tantùm, quominus objecto Euangelico aſſentiamur. Eo modo enim ineſſe illis intellectum & voluntatem, non ut inſunt furioſis, ſed quo inſunt in hominibus nequam, in quibus vis eſt rationis & conſilii ſed quam ad malum pertinaciter applicant. Et in eo nos conſentire.* At ut ut in rei ſumma bene intellecta hîc conſentiamus, haudquaquam tamen conſentimus in omnibus quæ hîc proponit. Nam reverâ corruptio iſta, quâ facultates iſtæ ſunt præpeditæ, & quæ earum uſum convenientem multis eripit, ſæpè vim ratiocinationis ita impedit, ut ne quidem τὸ λεγόμενον in Euangelio comprehenſum videant. Sic dantur verbi gratiâ, homines ſtupidi, quibus centies liceat ingeras clariſſimè dicta in Euangelio, illa tamen non magis capiunt, quàm ſi illis legerentur elementa Euclidis, vel doctrina de Euporia aut de Modalibus. Imò ipſi Chriſti diſcipuli, quamvis in ſchola ejus ſeriò enutriti non ſemper intellexêre τὸ λεγόμενον, & abſurdum ſenſum affinxêre interdum etiam claris Chriſti verbis. An Nicodemus etiam intellexit τὸ λεγόμενον, quando Chriſtus cum eo de regenerationis neceſſitate egit? An Capernaitæ, quando manducationem carnis ſuæ illis propoſuit? In eo etiam hallucinatur Animadverſor, & graviter quidem, quod cæcitatem quæ in nobis eſt, confert tantùm cum ὀφθαλμίᾳ, quæ levis ſæpe oculorum ſuffuſio eſt vel affectus τῶν ὀφθαλμιζομένων, & ſpecies τῆς ταράξεως, ſecundùm Medicorum filios, curabilis arte. Atqui ille etiam, qui ὀφθαλμίᾳ laborat, poteſt adhuc videre pulchritudinem rei, & eam videt actu, quamvis debiliter, cæcus verò mente pulchritudinem Euangelii & τὸ καλὸν in eo haudquaquam videre poteſt. In eo quoque peccat, dum oculis omnino carentem facultate videndi carere cenſet, quod eſt ἀφιλόσοφον planè, nam nec ille cui effoſſi oculi, facultate videndi caret, quippe quæ inſeparabilis eſt ab animâ. Oculi ſanè homini

mini effodi poſſunt, facultas verò videndi adimi niſi cum vita non poteſt. Non itaque planè cum eo conſentio, ut videri vult. Et ſanè ut cæcitatem ſpiritualem magis extenuat quàm oportet, conferendo eam cum ſimplici ὀφθαλμίᾳ: ſic corporalem nimis exaggerat, quaſi inducat privationem facultatis videndi. Sed vicinia Auditorii Philoſophici proderit aliquando Animadverſori. Vt verò cæcitas ſpiritualis plus eſt quàm ὀφθαλμία, ſic etiam curatio corruptionis & reſtitutio potentiæ credendi plus eſt, quàm curatio ὀφθαλμίας, quæ curari poteſt ab homine, & per externa remedia, cæcitas ſpiritualis haudquaquam. Non itaque *idem planè dico* cum Animadverſore, ut videri vult, & *nihil prӕterea*, immò ſi idem dico, quid opus prolixâ iſtâ digreſſione, & cur me ita ſentientem & loquentem perſtringit? Cum cæcitate verò externâ conferre debuit internam, non cum ὀφθαλμίᾳ tantùm. Hanc ipſam ſanè comparationem retrò removi, dum oſtendi, Scripturam nos cæcos vocare, & dicere, nos in meris tenebris conſtitutos eſſe.

XX. Quum verò oſtenſum à me fuerit, deſcriptionem operationis ſpiritus in productione fidei non eſſe ſufficientem, nec emphaticam ſatis, quando dicit, *vim Spiritus nihil aliud prӕſtare, niſi quod mentem idoneam reddit, quӕ objectum in Euangelio extrinſecus oblatum adſpiciat*. Regerit Animadverſor, me idem dicere *vim* nimirum *ſpiritus quӕ tenebras removet, quӕ viſum reſtituit, & potentiam bene utendi facultatibus intellectus & voluntatis, facere tantùm ut capaces ſimus objecto ſpirituali dignoſcendo*. At hoc tantùm mihi pro ſua liberalitate affingit Animadverſor, & phraſes à me adhibitas truncat. Sic enim à me dictum: *At Scriptura S. nos & cӕcos vocat, & in meris tenebris conſtitutos dicit, quibus etſi intellectu & voluntate prӕditis, ob ſummam tamen ſuam & ineluctabilem corruptionem uſus conveniens iſtarum facultatum & potentia iis bene utendi reſtitui debet, adeóque quibus viſus ipſe reſtituendus eſt & tenebrӕ omnimodӕ mentis removendӕ, ut capaces eſſe poſſimus objecto ſpirituali dignoſcendo.* Annon itaque præter enuntiata ab Animadverſore poſui 1. Cæcitatem & conſtitutionem in meris tenebris in homine ratione nimirum objectorum ſpiritualium, & agnitionis illorum convenientis, adeóque corruptionem *moralem*, quam vocat Animadverſor, totalem, non defectum tantùm aliquem ſimilem τῇ ὀφθαλμίᾳ. At mens poteſt idonea reddi ad objectum adſpiciendum, quæ ex parte tantùm moraliter corrupta eſt. Quantùm intereſt itaque inter expreſſionem corruptionis totalis & partialis, tantùm intereſt inter dicta noſtra. Nec ſufficiet Animadverſori excipere, ſe etiam ponere totalem corruptionem moralem in irregenito, ſemper patebit, eam non ſufficienter iſta phraſi ab ipſo expreſſam fuiſſe. 2. Haudquaquam deſigno, tantùm mentem ido-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

neam reddi ad credendum, quod fieri quandóque poteſt, potentiâ jam præſuppoſita in ſubjecto, cui additur duntaxat impulſus quidam, ut illud ad actum hunc vel illum ſe proripiat, & in eo ſe exerat, ſed etiam inculco, & potentiam ipſam moralem bene utendi intellectu & voluntate concedi; & gratiam eam applicandi ad actum. Ergo idem non dico cum Animadverſore, ſed plus. Annon enim verbi gratiâ, Præceptor poteſt dici mentem diſcipuli idoneam reddere ad intelligendum objectum aliquod, id diligenter & perſpicuè explicando, & anatomen ac deſcriptionem ejus accuratam inſtituendo, qui tamen potentiam bene utendi intellectu ſuo haudquaquam largitur diſcipulo? Fruſtraneum itaque cavillum Animadverſoris ſuper collatione phraſium *capacem* eſſe, & *idoneum* eſſe ad aliquid, quaſi id unum velim à Deo in nobis effici, ut homini concilietur aliquo modo capacitas aliqua ad objectum dignoſcendum. At novit, me præter collationem capacitatis intelligere collationem actualem actus fidei, & Deum non dare tantùm idoneitatem ad credendum, ſed & fidem ipſam, & viſum ipſum reſtituere, non potentiam tantùm videndi. Adde, à me poni, operationem immediatam Dei in voluntate ipſa, quod Animadverſor etiam negat. Adde, *dignoſcere objectum ſpirituale*, plus longè eſſe, quàm *adſpicere objectum in Euangelio extrinſecus oblatum*. Poſterius enim commune eſt temporariis, prius non item. Τὸ *dignoſcere* enim illud à me hîc *practicum* intelligitur. Τὸ *adſpicere* verò *theoricum* actum tantùm inſinuat. Diabolus & angeli ejus adſpiciunt etiam objectum in Euangelio extrinſecus oblatum, id tamen haudquaquam *dignoſcunt*, hoc enim reſpondet τῷ διαγνῶναι, quod eſt δοκιμάζειν τὰ διαφέροντα *practicè*, qualem δοκιμασίαν precatur Paulus Philippenſibus cap. 1. 9. ſic διαγινώσκειν eſt ἀκριβέστερον aliquid cognoſcere. Verba itaque mea longè diſertiora & magis emphatica, quippe quæ oſtendunt, per operationem ſpiritus & actum & potentiam videndi conferri. Adde *capacitatem* hanc à me ſumi apertè pro capacitate non tantùm interna, ſed & efficaci, ut patet ex iis quæ de *tenebrarum omnimodarum* mentis remotione præmiſi. Ille verò *idoneus* etiam reddi poteſt ad aliquid videndum, cui externum tantùm adhibetur remedium. Vtut itaque verba quædam noſtra videantur affinia, res tamen illis utriſque deſignata ab utroque noſtrûm ſemper diverſiſſima eſt, ut patet ex oppoſitione ſententiarum noſtrarum in hoc etiam argumento. Idem verò etiam dicere poſſunt, qui tamen non dicunt idem. Nec enim verba metienda ex ſono, ſed ex ſenſu. Sin dicat, ſe idem voluiſſe exprimere, clarius & ſine ambiguitate loquendum erat. Plus phraſi à me adhibita deſignari patet ex ſententiæ meæ conſideratione, minus verò deſignari ab Animadverſore patet ex collatione ſententiæ ipſius cum noſtrâ.

XXI. Et

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

XXI. Et quia à me adjectum, vim iſtam Spiritus non ita exiliter fuiſſe deſcribendam, ſed dicendum, eâ *dari oculos ad videndum, mentem ad intelligendum*, 1. Animadverſor, ne à more ſuo abeat, dicteriolum novum addit, me voculam iſtam (*vis*) ferre non poſſe, & eam ſtigmate ſemper à me notari, quaſi non licuerit mihi vocabulum & ἄγραφον, & obnoxium cavillis variis, ut minus proprium notare. 2. Addit dicterium dicterio, ne ſterilis videatur in hoc argumento, me potuiſſe addere illam vim Spiritus *dare* etiam *aures ad audiendum, nares ad olfaciendum, linguam & palatum ad guſtandum, omne genus denique ſenſuum ad perſentiſcendum*. Interdum enim Scripturam ſimilitudines & loquutiones ex omnibus illis rebus deſumere, ad virtutis illius ſpiritus operationem ſignificandam. An verò malè à me actum, quod cum Scriptura loquutus fuerim, & iſtam operationem verbis ipſis Spiritus S. expreſſerim? An peccatum etiam dicterio dignum foret, ſi & phraſes alias, ad quas reverà præit Scriptura, adhibuiſſem? Annon præſtant λέξεις à Scriptura adhibitæ phraſi Animadverſoris? An Scriptura copioſa nimis & luxurians, dum uno ſæpe loco plures loquutiones congerit ad operationem illam Spiritus deſignandam? An verò malè loquitur, qui cum ea loquitur? De naribus & lingua Scriptura eo loco, quem alluſi, ſimilitudines non habet, & nonniſi oculos dari dicit ad videndum, & mentem ad intelligendum; non opus itaque erat iſta adjici de naribus & linguâ per cavillum merum Scripturam æquè feriens ac nos. Demus etiam, idem deſignari *oculis ad videndum & mente ad intelligendum*, ſatis, nos Spiritus S. efficaciam verbis Spiritus S. exprimi potius debere cenſuiſſe, quàm verbis Animadverſoris, & repetitione iſtâ magnitudinem divini beneficii deſignari. Et vel Scriptura malè loquuta (quod blaſphemum) iſtam operationem geminatis & diverſis quidem ac diverſa ſignificantibus phraſibus exprimendo, vel ego cum ea abſolvendus ſum ejus ſtylum imitando. Quærit etiam Animadverſor, quando Spiritus S. dicitur nobis dare mentem ad intelligendum, annon id ſignificet, *facultatem intellectus* quam habemus, *ita comparari ut intelligere valeat*. Non ſanè ſignificat intellectum, hoc eſt, facultatem phyſicam nobis dari, ſignificat tamen plus quàm hîc exprimit Animadverſor, nimirum non tantùm facultatem comparari ut intelligere valeat, hoc eſt, non diſpoſitionem tantùm aliquam novam dari ut poſſit intelligere quod propoſitum, ſed & habitum novum, & gratiam actu eo bene utendi, & lumen à Scriptura acceptum actu applicandi ad objectum ſpirituale. Id verò phraſibus Animadverſoris nec ſufficienter nec adæquatè exprimitur, *mentem idoneam reddi ad adſpiciendum, vel mentem ita comparari ut intelligere valeat*, quæ potentiæ collationem tantùm adſcribunt

 hominì,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

homini, nihil præterea. Et ſemper hominum phraſis inferior eſt phraſi divinâ de re aliqua. Nam & is alium idoneum reddit ad adſpiciendum, hoc eſt, intelligendum aliquid, & mentem ejus comparat ut intelligere valeat, qui ſimpliciter ei aliquid exponit, & declarat, quamvis nullam facultatem vel habitum vel lumen internum ipſi det, minus actualem ejus applicationem. Enervat verò nobis Animadverſor loquutiones Scripturæ S. dum merum ibi *antecedens* poni fingit pro *conſequente*, iis dici mentem dari ad intelligendum, quibus id datur ut intelligant aliquid. Et falſum, eos *qui aliquid non intelligunt, putari mentem non habere*. Id enim & particulare & malè putatum. An quia Euclidis vel Algebræ demonſtrationes non intelliguntur ab Animadverſore, vel ſubtilitates feudales, vel Arabica aut Turcica lingua, ob id putandus eſt mentem non habere? Etſi det tantùm ſpiritus, ut intelligat homo corruptus, præſupponitur illum habere potentiam moralem nimirum ad objectum ſpirituale intelligendum, ſed à Spiritu S. tantùm fieri, ut applicetur ad actum. At debet dari & potentia, vel facultas, vel habitus moralis homini corrupto à Spiritu, & ſimul à Spiritu debet ad actum excitari & permoveri. Plus ergo eſt dari mentem ad agnoſcendum, complectitur enim collationem & potentiæ (moralis nimirum, ne cavilletur Animadverſor) ad credendum, & gratiam ejus ad actum deducendæ, dare verò ut intelligat aliquis, oſtendit tantùm potentiam jam præſuppoſitam inclinari ad actum. Immò fieri poteſt, ut qui idoneus redditur ad aliquid intelligendum, tamen illud non intelligat; cui verò mens datur ad intelligendum, & tum potentia moralis rectè intelligendi, tum actualis ejus applicatio, prout hîc à nobis explicatur, in eo efficitur ut actu intelligat, & infallibiliter quidem. Falſum ergo, impropriam eſſe locutionem, quando dicitur dari homini mentem ad intelligendum: *Mens* enim ibi ſumitur, non pro *potentia phyſica*, ſed & pro *potentia morali*, & pro dono eam actu applicandi ad objectum ſpirituale. Et ſinet nos ſemper Animadverſor cum Scriptura loqui, & ejus phraſin & ſapientiæ ſuæ & eloquentiæ anteferre. Propriis etiam phraſibus non improbamus vel illum, vel ullum alium uti, ubi illæ ſunt *adæquatæ*, & ſufficienter exprimunt mentem Spiritus Sancti.

XXII. Additum inter alia à me, ut oſtenderem phraſin ab ipſo adhibitam inſufficientem eſſe; illum etiam hominem idoneum reddere ad videndum, qui velum aliquod vel faſciam oculis ejus admotam admovet, & qui feneſtram aperit, vel facem externam præfert. Sic hominem idoneum reddere ad curſum qui vincula ſolvit, vel portam aperit, & agit extra hominem, quamvis non agat in homine, nec quicquam virium illi conferat, vel ullam in eo mutationem producat. Hîc verò Animadver-
ſor,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

ſor, 1. Verba mea corrupta exhibet, qui non de *illa in eum mutatione*, ſed *de ulla in eo mutatione*, locutus fui. 2. Grammaticatur circa verbum *cauſandi* pædagogicè, quòd *apud bonos authores non occurrat eo ſignificatu*: fatetur interea id ſanè in uſu eſſe apud Scholaſticos: Quaſi verò in diſputatione ſcholaſtica uti non liceat terminis Scholaſticis! Et quaſi minus mihi hîc cum illis & poſt illos uti liceat, verbo *cauſandi*, quàm Animadverſori vocabulis *ſanctificator*, *contractio cum σχέσει ad fœdus*, *horribiliſſimus*, *impetratorius*, *inexcuſabilitas*, *mediatorius*, *identitas*, *aptitudo*, *ſimultaneitas*, *futuritio*. Quærerem ab Animadverſore, ubi iſta magis apud bonos Auctores occurrant, ſi grammaticari in Theologia vellem. Quod indignum Ordine noſtro. Addit meritò *verùm ad rem*: Nota enim iſta verè extra rem. Talibus enim vitilitigationibus totum Animadverſoris opus, ut ut Longolio magis Ciceronianus audire velit, totum eſt refertum, quæ tamen in diſputatione non moramur, moroſitatem & iniquitatem tantum hominis miramur, qui licentiam Scholarum barbarie inficetias qualvis mutuandi ſibi concedi vult, ad quas horruiſſent aures Ciceronis, meum verò μέγα λίαν ἔγκλημα eſſe cenſet, ſi & ego, qui ita Ciceronianus eſſe nec affecto, nec jacto, ex hiſpidiore Scholarum vepreto ſpinas aliquas in iis frequentes quandoque legam. 3. Excipit, *idoneum habere ſuam* ἱκανότητα, vel οἰκειότητα vel ἐπιτηδειότητα, vel δεινότητα, vel *idoneitatem* atque *aptitudinem* denique (nam tot vocabulis opus erat) *in aliqua vi & qualitate inhærente*; *non in rebus externis*, *& ad naturam ipſius nihil pertinentibus conſtitutam*: Me verò docere debere, *eum cui porta aperitur idoneum reddi ad currendum.* Inde ad locum ſuum communem dicteriorum digreditur, & quærit, an talis ad currendum reddatur idoneus, *etiamſi captus ſit pedibus*. Quærit etiam; *ſi includatur homo caveæ*, *& deinde caveæ janua recludatur an reddatur ſic homo idoneus ad volandum.* Splene vehementer nimis commoto, & concuſſo jocularibus iſtis quæſtionibus, bilis ipſi tandem erumpit, & multa quidem; Addit enim: *Malè ſit illi, quæ tam multos inceſſit, alienos labores carpendi libidini!* Pergit verò adhuc integrâ periodo paratragœdiare, & tempeſtatem excitare in concha! *Idoneum verò illum*, inquit, *eſſe ad aliquid, cum facultate inſita aptus eſt ad id faciendum, vel admittendum, ad quod prædicatur idoneus. Mitionem* hîc mallemus quàm *Severum* eſſe Animadverſorem, & minùs in re nihili vel vernilitatis vel irarum habere, & bilem ſuam in dogmata potius heterodoxa, quàm in vocabula minùs ad guſtum & genium ipſius expreſſa effundere; Miteſcet fortè, cum tempore, & nos ipſe ulciſcetur, ubi ad ſe redierit, & animadvertet nihil cauſæ fuiſſe, cur hîc ita exaſperaretur. Idoneum ſæpe dici aliquem ad aliquid *à vi & qualitate inhærente*, haudquaquam negatum à me unquam fuit; tantùm verò ali-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

quem idoneum, à vi & qualitate interna dici, falſum. Idoneitas enim ad rem aliquam perficiendam opponitur impedimentis, quæ intercedunt quominus hæc vel illa res fiat. Qui ergo impedimenta aufert, quæ intercedunt quominus res fiat, agentem idoneum reddit ad agendum. Nec negamus, id primò vel præcipuè illum facere, qui interna tollit; ſecundariò verò demum, eum qui tollit externa. Sin idoneitas ad aliquid conſiſtit tantùm in vi aliqua & qualitate inhærente, non in rebus externis quandoque, & ad naturam alicujus non pertinentibus; malè omnino Cicero Lib. II. Offic. *divites* vocat *idoneos homines*, *qui indigentibus de re familiari impertiantur*: & *tempus* dicit idoneum, & *locum*, quæ utique externa ſunt ratione rerum agendarum. Scilicet divitiæ vis interna ſunt & qualitas inhærens! Annon verò divitiæ reddunt hominem idoneum, quia tollunt externum impedimentum exercendæ virtutis & referendæ gratiæ, nimirum paupertatem. Tantus Ciceronis helluo ignorare iſtud non debebat, ut nec, nihil frequentius apud Ciceronem & bonos authores alios eſſe iſtâ phraſi hoc ſenſu uſurpatâ. Sic exordium teſtatur iſta Suadæ Romanæ medulla animum auditoris *idoneè comparare*. Scilicet exordium vim & qualitatem aliquam internam efficit in Auditore, ut poſſit audire & excipere orationem! An ille etiam ἐπιτήδειος ad curſum dici poteſt, qui habet pedes conſtrictos loris inſolubilibus? An ille qui oculos ſquamis vel velo obductos habet, dici debet ἐπιτήδειος ad viſum? Originationem idonei ἀπὸ τοῦ δεινοῦ diſcent dubio procul Philologi, & Vocabulariis ſuis inſerent in futurum, qui tamen non parum propiores & veriores origines docent iſtius vocabuli: Sed iſta λεπτολογήματα fori noſtri non ſunt. Ille verò demum ἐπιτήδειος vel ἱκανὸς debet dici ad aliquid agendum, qui omnia impedimenta removere poteſt, quæ poſſunt intercedere ſuæ actioni; Vel qui iis aut caret, aut ſuperior eſt, & in quo activitas major eſt reſiſtentiâ vel *reſiſtibilitate* patientis, ut & hoc è Scholarum barbarie, cum præfatione veniæ apud Ariſtarchum meum mutuari mihi liceat. An etiam dixi, eum vel ſolum vel etiam tantùm idoneum reddere alium, qui portam ei aperit. Annon præmiſi illum hoc *etiam* facere qui vincula ſolvit? An etiam à me dictum, eum cui porta aperitur reddi idoneum ad currendum, *etiamſi captus ſit pedibus?* An hoc eſt candidè agere, talia affingere Adverſario? Quæſtio eſt, an ſufficiat dicere, ſpiritum mentem idoneam reddere, ad aſpiciendum objectum in Euangelio propoſitum. Negavi illud, quia phraſis iſta etiam de eo dici poſſit, à quo externa tantùm impedimenta removentur, verbi gratiâ, cui vincula ſolvuntur, cui porta aperitur. An verò qui hoc dicit, id intelligit de homine pedibus capto, & non de homine facultatem currendi habente?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

Egregia etiam ex illo quæſtio! Si homini caveæ incluſo recludatur janua, an ille reddatur idoneus ad volandum? An enim ad hoc homo liber, & caveæ non incluſus, ulla ratione idoneus? An etiam ſola animalia, quæ volandi facultatem & uſum habent, caveæ includuntur, & omnia illa quæ caveæ incluſa videntur, cenſeri debent habere facultatem volandi? Tædet vitilitigationum id genus, ne quid dicam gravius. Hoc ſcilicet eſt oſtendere, hominem non poſſe dici idoneum reddi ad curſum, quia non poteſt reddi idoneus ad volandum, ſi caveæ porta ei recludatur? Revera malè ſit huic tam jejunæ & miſeræ diſputandi rationi. Idoneus ſanè ille primò eſt ad aliquid, qui facultate inſitâ aptus eſt ad id faciendum, ad quod prædicatur idoneus. Id quidem nunquam à me negatum! Annon verò etiam is qui opes dat homini virtute prædito, eum idoneum facit ad exercitium liberalitatis & beneficentiæ, quamvis nullam ei facultatem internam inſerat? Annon ille qui pus removet è vulnere, & comprimit labra ejus, ut ſanies & ſanguis putridus exprimatur, dici poteſt idoneum reddere vulnus ad coalitionem & ſanationem, ſine ulla collatione facultatis alicujus internæ? Annon qui Euclidis elementa & Matheſeos principia & fundamenta alicui exponit, illum idoneum reddit ad diſcendam caſtrametandi artem, & ad exſtruenda ac dimetienda munimenta? An ob id & ille qualitatem aliquam illi infundit? An qui Principis ingenium & inclinationem animi alicui repræſentat, & eum docet quà ratione occupandus ſit & quæ ſint *mollia* apud ipſum *tempora fandi*, non poteſt dici illum idoneum reddere ad id, quod petit à Principe, conſequendum? An qui animum Principis præparat & mitigat, ut benignè hoc vel illud audiat, non poteſt dici idoneum reddere Principem ad faventiorem audientiam? Fruſtrà verò regerit Animadverſor diſtinctionem ſuam ſolemnem *facultatis phyſicæ* & *ethicæ* ad credendum (quam *tam ſæpe* à ſe jam productam ipſe adeò ſeverus & immitis repetitionum oſor fatetur & *idoneum reddere hominem ad credendum*, inquit, qui alterutram ei largitur: nec enim de eo quæſtio; ſed, an virtus quam Deus exerit, quando in homine fidem operatur, adæquatè & ſufficienter deſcribatur iſtâ phraſi, *quod idonea reddatur* ejus mens ad credendum, cùm iſta phraſis efferatur etiam de re quæ eſt extra hominem, & non in homine, nec ullam in eo mutationem internam producit. Nec etiam Deus *tantum conſtitutionem laudabilem inſpirat*, per quam homo aptus ſit, ad Euangelii veritatem admittendam, ſed & per quam actu illam admittat: poteſt enim homo aptus reddi ad aliquid vel dicendum, vel diſcendum, vel faciendum, qui tamen id non ſemper præſtat. Sic aptus reddi poteſt adoleſcens, ad congruè & ornatè dicendum, præceptis neceſſariis inſtructus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

qui tamen haudquaquam congruè vel ornatè dicit, eò quòd nec ingenium intendat, nec induſtriam ad hoc ipſum præſtandum. Vt ut itaque Spiritus intellectum in homine non efficit, efficit tamen plus in eo quàm *idoneitatem* aliquam in mente illius, ad aſpiciendum id quod proponitur in Euangelio. Si Animadverſori videatur meliùs me facturum fuiſſe, ſi *obſervationes* illas, quas appellat, *leviculas* omiſiſſem; at mihi id non videtur, nec videbitur, ut confido aliis, & veritatis rerum, & phraſeωs Spiritûs S. & proprietatis vocabulorum, quibus res quæque exprimenda, ſtudioſis, præſertim ibi, ubi agitur de deſcribenda efficacia gratiæ in converſione hominis, quam intereſt adæquatè & ſufficienter deſcribi, quia hîc periculosè erratur; & quia illa extolli debet, non deprimi, & divinis potiùs phraſibus efferri quàm humanis. Si tales etiam *obſervationes leviculæ* ſint, quæ tamen ſpectant dogma maximi momenti, ſcilicet ad deciſionem quæſtionis de gratiâ univerſali multum faciunt, ſublimes illæ obſervationes in quibus duas partes fermè ſui operis generalis contrivit! Addit tamen, obſervationes illas non eſſe *idoneas*, in quibus diſputator gravis diutiùs immoretur. Et ſic revera vel falſum dicit, eas tales, hoc eſt, leviculas eſſe, vel oſtendit ſe *diſputatorem gravem* non eſſe, qui pauciſſimis verbis vel lineis integras ſuper hoc argumento oppoſuit paginas.

XXIII. Oppoſitum etiam à me Diſſertatori, *quum vis illa Spiritus quæ fidem ingenerat in ſolis electis operetur, & ſine iſta vi, mens idonea eſſe non poſſit, quæ objectum in Euangelio oblatum aſpiciat, an Deus iſtud objectum illis ſalutare eſſe velit, in quibus iſtam vim haudquaquam exerere voluit, ſine qua æquè impoſſibile eſt illos ſalvare ac ſi illis objectum nullo modo propoſitum fuiſſet?* adeóque ἀσύστατα doceri, voluntatem Dei univerſalem omnes & ſingulos ſalvandi, & redemptionem univerſalem omnium & ſingulorum ſub conditione fidei, ex una parte, ex altera univerſalem cæcitatem, corruptionem, & impotentiam inſuperabilem ad objectum ſpirituale cognoſcendum & amandum: particulare etiam decretum de malis id genus in ſolis electis curandis. Adeóque vel priora eſſe neganda, vel poſteriora. Quid ad iſta Animadverſor? 1. Stomachatur, quòd κατὰ τὸ βίαιον argumenter, quaſi id non licitum foret diſputatori, ſecundùm leges diſputandi, quaſi etiam directè à me non fuiſſet reſponſum. 2. Argumentum meum truncum repræſentat, & contrahit pro arbitrio, & queritur id ſeſqui-paginam implere, cavillo adjecto; quaſi verò vel illicitum foret vel vitioſum dogmatis alicujus abſurditatem oſtendere, conferendo id paullò accuratius cum aliis ejuſdem Auctoris dogmatis, & dicere illa in ſe arietare, & ἀδιάλλακτα eſſe. An intereà ego laciniosè ſcribam vel diſputem, an Animadverſor, judicium erit Lectoris. 3. Repetitionem etiam ejuſdem argumenti

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

menti mihi impingit, vitioſam ſanè, ſi argumentum nullius ſit commatis, haudquaquam verò talem, ſi ſolidum ſit & ſtringat nodum. Et dum de repetitionibus meis quiritatur, ipſe, pro reſponſione, repetit diſtinctionem, & ſæpius ab ipſo allatam, & ſæpius à me refutatam, de idoneitate (quam reddit δεινότητα vel reſpectu *facultatis*, vel reſpectu *habitus* qui eſt in facultate: Et ſi homo non eſſet idoneus ad cognoſcendum reſpectu facultatis; hoc eſt, ſi non haberet intellectum, Deum non poſſe illi objectum ſalutare eſſe velle: Poſteriorem verò impotentiam non obſtare quominus Deus id poſſit velle. Et id quidem *centies à ſe negatum, & negandum in æternum.* Egregia verò reſponſio & digna tanto aliorum cenſore! Huc enim tota redit, impotentiam facultatis ſolam obſtare, *phyſicam* nimirum, non *ethicam* videlicet impotentiam rectitudinis in facultate, quominus Deus poſſit velle ſalutare eſſe homini objectum Euangelicum. At, annon iſta ex æquo impotentia eſt & æquè incorrigibilis ac phyſica? Hoc ſanè ipſe cogitur fateri. An verò ſapientis eſt, ſcire talem eſſe impotentiam in ſubjecto, nec poſſe non eſſe, & tamen eâ conditione aliquid ipſi proponere, ut ſalvetur, modò non in eo ſit. Qualibus enim Deus ſalutem per Euangelium velle dicitur? Illis qui tali impotentiâ & quidem incorrigibili à ſalute conſequenda arcentur in perpetuum. Quomodo verò illis poteſt utilis eſſe iſta propoſitio? Si non arcerentur iſtâ impotentiâ; Et quamvis nullâ aliâ ratione iis utilis eſſe poſſit, tamen iis deſtinari & offerri, eâ intentione judicatur, ut ſalventur, qui conceptus miri ſunt & portentoſi. Si quis placita id genus digerere poſſit, verè χαλκέντερον illum eſſe oportebit: à nemine verò ſano impetrabit, quin habeatur pro cerrito vel pro lymphatico. Queritur etiam, *me nihil novi adferre*, quo demonſtrem id non bene negari, quod nego. At novis non opus eſt, ubi vetera & jam allata ad confutationem ſufficiunt, quæ prius evertenda erant rationibus quàm petenda nova, quod unum tamen bonus diſputator facit. Scilicet id Deum decebit, quod hominem vel inſanum oſtenderet, vel hiſtrionem, & merum alienæ miſeriæ irriſorem! Homini morali impotentiâ toto occupato & invincibili quidem per naturam, offerre ſalutem ſub conditione ne eâ ſit occupatus! Satis enim eſſe facultatem naturalem non abeſſe. Quid ergo obſtabit, quominus cæco *rectè* dici poſſit lumen proponi eâ intentione ut videat, quia cæcus habet facultatem naturalem videndi, & eſt corruptio tantùm vel vitium in organo, eâ utendi? Quod abſurdum eo majus eſt, quum longè minor ſit impotentia iſta, quæ eſt in oculis cæci quàm eſt impotentia illa moralis Animadverſoris, in intellectu & voluntate hominis corrupti, ut quæ averſionem includit ab omni remedio. Et quia *in æternum* ſe in ſententia

iſta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

iſta perſtiturum nobis edicit, veritatis confeſſio ingenua ab hoc *Pelide* obſtinationem profeſſo exſpectari non debet. Negare aliquid cæteroquin centies, ſi ſufficeret ad confutationem, næ cerdo quivis & olearius in Velabro eximius foret diſputator! Nullo verò vel ingenio, vel induſtriâ Animadverſorem ſe ex hoc nodo expediturum, iterum, & confidenter quidem, dico. Id verò haudquaquam ab eo fieri ex examine ſequentium, quæ ſubjungit, conſtabit.

XXIV. Excipit interea: 1. *Lucem offerre cæco ſub ea conditione dummodò videat, non congruit cum eo quod ſalus dicitur hominibus offerri in Euangelio ſub conditione credendi. Nam in Euangelio res quæ offertur ita differt ab ea quæ ſub ratione conditionis exigitur, ut nec ſit idem cum ea, nec ſit propriè objectum circa quod verſatur operatio mentis, quæ fides appellatur. Aliud enim eſt promiſſio, quam fides apprehendit ſub ratione veri, aliud ſalus ipſa, quæ promiſſionis apprehenſionem ſequitur longo fortè intervallo. At ſi viſus offeratur cæco ſub conditione videndi, res promiſſa & conditio coincidunt: ſi lux offeratur ſub eadem conditione, id quod offertur eſt objectum ipſum actionis videndi. Lux enim certè videtur eodem ipſo momento, quo videndi poteſtas exerit ſeſe & erumpit in actum.* At nec hic conatus felicior aliis. Nam 1. Comparatio à nobis adhibita, appoſita eſt, ſi ulla, comparatur enim lumen externum in Euangelio oblatum cum lumine externo, oblato, homo corruptus cum cæco, illi intendi dicitur bonum in Euangelio oblatum, nimirum ſalus, ſub conditione, ut oculos mentis aperiat, quos tamen propter impotentiam invincibilem, cujuscunque illa generis eſſe dicatur, aperire non poteſt, non magis quàm cæcus. Eventus enim utrobique eſt ἐκ τῶν μὴ ἐνδεχομένων, ut loquitur Animadverſor, in quo uno comparatur, iſti, nimirum cæco, dicitur intendi hæreditas aliqua ſub conditione ut aperiat oculos, & illam videat. Illi, nimirum moraliter corrupto, intendi dicitur ſalus, ſub conditione ut credat! Annon verò appoſitè partes omnes comparationis ſibi reſpondent? 2. Pervertit apertè Animadverſor verba mea, dum mihi affingit, quaſi dicam, *lucem offerri cæco ſub ea conditione dummodò videat.* At diſertè hic ſcripſi, idem eſſe ac ſi diceretur, *lumen cæcis proponi & omnia maxima illis promitti ſub conditione ut aperiant oculos & objecta propoſita videant.* Annon itaque hoc congruit cum eo quod ſalus dicatur offerri in Euangelio ſub conditione credendi? Annon maxima bona cæco propoſita reſpondent ſaluti, apertio oculorum ad adſpiciendum, converſioni mentis ad objectum in Euangelio adſpiciendum? Quàm parùm ingenuè itaque hîc detorquet Animadverſor dicta mea, ut declinet vim argumenti cæteroquin invicti! Fruſtra ergo eſt, dum addit, *in Euangelio rem quæ offertur ita differre ab ea quæ ſub ratione conditionis exigitur, ut nec ſit idem cum ea, nec ſit propriè obje-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

objectum, circa quod verſatur operatio mentis, quæ fides appellatur. Annon diſtinxi apertiſſimè *maxima bona* collata cum re quæ offertur in Euangelio, ab eo quod ſub ratione conditionis exigitur, nimirum ab apertione oculorum? Egregia etiam iſta ratiocinatio, & ſublimi Animadverſoris genio digna! *Rem ita differre ab alia, ut non ſit idem cum ea,* hoc eſt, Hominem ita differre à cucurbitâ ut non ſit idem cum ea. Annon verò ſatis eo ipſo patet, quod differre dicitur aliquid ab aliquo, id non eſſe idem cum illo? An etiam à me negatum, rem in Euangelio oblatam differre ab ea quæ ſub ratione conditionis exigitur? Annon in tota diſputatione quam oppoſui Diſſertatori, diſtinxi ſalutem à fide, & oſtendi ſalutem proponere alicui ſub conditione fidei, quem ſcias fidem nec habere, nec habere poſſe, & cui illam dare nolis, ſi poſſis, eſſe illi ſalutem non proponere eâ intentione, ut ſalvetur. An debuit etiam excipere Animadverſor *rem in Euangelio oblatam non eſſe propriè objectum circa quod verſatur operatio mentis, quæ fides appellatur?* An res in Euangelio oblata non eſt ſalus? An fides noſtra non amplectitur ſalutem oblatam in Euangelio? At, inquit, aliud eſt promiſſio quàm fideles apprehendunt ſub ratione veri, aliud ſalus ipſa. At cujus rei promiſſio illa eſt quam fideles apprehendunt, Animadverſor? Annon ſalutis? Dum ergo mens promiſſionem apprehendit, an non apprehendit ſalutem in promiſſione? Annon promiſſio eſt ἐκ τῶν πρός τι & alicujus promiſſio? Et annon illa ſalus eſt in Euangelio ſub conditione fidei propoſita, *crede & ſervaberis, omnis credens, ſalvandus?* Eſtne hoc etiam diſputare ſeriò, dicere, aliud eſſe promiſſionem, aliud, ſalutem ipſam, & *iſtam nim. ſalutem promiſſionis apprehenſionem ſequi longo fortè intervallo.* An verò verba & ſyllabæ promiſſionis apprehenduntur per fidem, annon potius *ſalus* in promiſſione propoſita & oblata, hoc eſt, bonum felicitatis? Annon dum fides apprehendit promiſſionem ſub ratione veri, apprehendit ſimul ſalutem, ut verè oblatam in promiſſione? An ſeriò etiam addit, *ſalutem ſequi longo fortè intervallo promiſſionis apprehenſionem!* Quid id ad rem? An ſequitur ob id, aliam ſalutem in promiſſione apprehendi, quàm quæ ſequitur, quocunque intervallo ſequatur. An verbi gratiâ, ſi Princeps promittat gratioſo dignitatem, pater filio adoptivo hæreditatem, modò fidem ſibi habeat uterque, annon illa ipſa dignitas vel hæreditas in iſta promiſſione apprehenduntur, quam tales poſtea conſequuntur, etſi longo fortè intervallo interjecto. Et quid hoc facit ad probandum rem in Euangelio oblatam non eſſe propriè objectum, circa quod verſatur fides? Vt verò conditio differt à ſalute, nimirum fides, ſic & apertio oculorum differt à *maximis bonis* cæco oblatis. An verò ex his ſequitur, poſſe cæco *maxima bona* promitti ſub conditione ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

aperiat oculos? Vel corrupto moraliter ſalutem ſub conditione, ut credat. Videt Lector, quas tricas inanes nectat Animadverſor, tantùm ne nihil dicere videatur. Talia ſunt quæ ſequuntur, quæ oſtendunt, omnem ingenuitatem Animadverſorem noſtrum abdicâſſe, in hac diſputatione. *At ſi viſus offeratur cæco*, inquit, *ſub conditione videndi, res promiſſa & conditio coincidunt*? An verò id à me dictum? Annon *maxima bona* promiſſa ſub conditione apertionis oculorum à me diſtincta fuêre à viſu, vel apertione oculorum? Immò annon tria à me apertè diſtincta 1. Lumen oblatum. 2. Maxima bona promiſſa. 3. Conditio videndi vel aperiendi oculos exacta? An ergo dixi viſum offerri cæco ſub conditione videndi? Febriculoſas id genus argumentationes Animadverſori relinquimus, in quibus res promiſſa & conditio coincidunt; nimirum Deum hominem impotentiâ morali laborantem curatum velle, modò eâ non laboret, & morbum ab eo ablatum, modò bonâ ejus parte careat, & actum hominis jam ex parte ſani edat, eumque ſalvari velle qui credere non poteſt ob iſtam impotentiam, modò credat. An lucem etiam dixi offerri ſub eadem conditione? Annon dixi, fruſtra lumen cæcis proponi & omnia maxima illis promitti, ſub conditione ut aperiant oculos, & objecta propoſita videant? An idem etiam ſunt, lumen propoſitum, hoc eſt, *objectum* videndi, & apertio oculorum, hoc eſt, *actus ſubjecti* circa illud objectum. Quid etiam ad diſputationem noſtram facit, *lucem eſſe objectum ipſum actionis videndi*? Annon ſemper comparatio ſalva manet? Vt maxima bona propoſita fruſtra offeruntur cæco ſub conditione ut aperiat oculos, ſic ſalus fruſtra in promiſſione offertur homini moraliter corrupto, adeóque qui eam adſpicere ut oportet, nec poteſt, nec vult, nec id velle poteſt, ſub conditione ut eam adſpiciat. Neſcio etiam, num probare poſſit Philoſophis accuratioribus phraſin ſuam, *lucem* eſſe objectum videndi. At lucidum objectum eſt viſionis, non lux. Illud propriè objectum eſt, *quod* videtur, iſta, id tantùm *quo* videtur aliquid. Et ſanè lux vel lumen non videtur ut *quod*, ſed ut *quo*, ut Scholæ loqui ſolent, & luce tantùm videtur objectum & per lucem.

XXV. Addit Animadverſor: *Etſi alia quæpiam à luce diverſa promitterentur cæcis ſub conditione videndi, ne ſic quidem comparationem propterea minus claudicaturam. Nam cæcum, etiamſi maximopere nitatur, non poſſe videre tamen, ideóque excuſabilem eſſe, ſi minus videat. At fides quæ exigitur ab hominibus*, inquit, *poſtquàm ſemel objectum revelatum eſt, res eſt quam homines præſtare poſſent, ſi animo ac voluntate conniterentur. Itaque inexcuſabiles eſſe ſi eam conditionem non præſtant.* At 1. Poſito, alia quæpiam à luce diverſa promitti, ut id revera poſui, comparatio planiſſimè ſibi conſtat. 2. Fruſtra

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

aliam innuit eſſe rationem *cæcitatis naturalis* & *moralis*, *nec enim utraque à me exæquata, ſed comparata tantùm in eo, in quo utriuſque non eſt alia ratio.* Quæ digreſſio denuò habet *ignorationem elenchi.* Vbi enim quæſo ſupponit vel argumentatio vel comparatio noſtra, utramque impotentiam eſſe ejuſdem generis, vel omnia habere ſimilia, vel utramque eſſe excuſabilem ex æquo. Iſta omnia extra rhombum ſunt, & à nobis ſæpius non tantùm indicata, ſed etiam ingeminata. Quæſtio tantùm in eo verſatur, annon æquè abſurdè ſalus dicatur proponi in Euangelio homini impotentiâ iſtâ morali correpto ſub conditione ut credat, ac legatum proponi cæco, naturali iſtâ organorum impotentiâ laboranti ſub conditione ut id videat? Credere enim, ut notum, eſt actus hominis impotentiâ morali non laborantis ex parte ſaltem, & illius tantùm in quo illa jam ſecundùm quid curata eſt. Hîc pes figendus, & non comparationes aliæ quærendæ, de quibus quæſtio non eſt. Mera itaque iſta fuga eſt, & declinatio illorum quæ controverſa ſunt. 3. Poſſet in tranſcurſu etiam notari, tam accuratum Diſputatorem non decere, dicere, cæcum niti ut videat, ſi enim ille verè cæcus ſit, & ſe talem ſentiat, non nitetur ut videat. Novit enim vitium ſuum non eſſe ſanabile ullo collyrio, arte ullâ humana, niſi ſtolidus ſimul ſit & inſanus. Patienter itaque ferat vel ἀτύχημα ſuum, ut pœnam ἀδικήματος, ſi ſapiat. Sanè ubi miraculis locus fuit, cæci ad Dominum & Apoſtolos confluxêre, ut curarentur. Extra caſum illum, cæcus, qui inſanus non eſt, non prodiget operam ſuam vel peculium ſuum inutili inquiſitione remedii morbo deſperato curando. Nec ſemper cæcus excuſabilis eſt, ſi minus videat. Potuit enim ſe ſuâ vel ἀσωτίᾳ in hoc malum præcipitâſſe, vel ſuo ſcelere effeciſſe, ut oculi ipſi effoderentur. 4. Quid etiam hoc? *Fidem quæ exigitur ab hominibus rem eſſe, quam homines præſtare poſſent, ſi animo ac voluntate conniterentur.* Annon ipſe hic apertè peccat diluta ratiocinatione, qualem mihi falsò impegit, *conditionem* nimirum confundendo cum *conditionato?* Quid enim eſt *animo ac voluntate conniti ad credendum*, quàm credere? Annon niſus mentis & voluntatis ad credendum jam fides eſt, inchoata ſaltem, homines ergo præſtarent fidem, ſi eam præſtarent. Tanto acumini licet ita contemptim habere alios! 5. Si etiam fides res eſt, quam homines præſtare poſſent, ſi animo ac voluntate conniterentur, quærimus ex Animadverſore, an irregeniti ita conniti poſſint ſine tractione Dei vel non: ſi id poſſint, iſta tractio non neceſſaria eſt, ut quis veniat ad Chriſtum. Si id non poſſint, idem hoc eſt ac dicere, ſi paralyticus conniteretur ſe è grabbato ſuo exigere, Æneas claudus ſurgere & in gyrum ſaltare, futurum, ut hæc facerent. 6. Si etiam fides res eſt, quam homines præſtare poſſint, poſtquàm ſemel

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

objectum revelatum eſt, quid fiet illis quibus id nec revelatum, nec per ætatem etiam revelari potuit, quales ſunt innumeri? 7. Quid eſt illa impotentia moralis, quæ impedit quominus homo ſemper bene agat, quàm ſtultitia & malitia affectata, ſecundùm ipſum Animadverſorem? Revera igitur vel ipſe non connititur animo ac voluntate, ut illam exuat, quod hominem pium & ſani judicii non decet, vel ab omni *impotentiâ morali* adeóque ab omni peccato planè liber eſt, & ἀναμάρτητος, quod an ſibi tribuat Animadverſor, nos docebit.

XXVI. Addit: *Promiſſionem, quàm maximorum bonorum* (ſepoſitâ *excuſabilitatis vel inexcuſabilitatis* ratione, quæ revera hîc ſeponenda, ut de quâ non quæritur,) *cæcis factam dummodò videant, non congruere cum promiſſione ſalutis quâ de agitur.* Obſervet hîc Lector, me ab ipſo Animadverſore ſui parùm memore abſolvi, nec à me confuſam fuiſſe *conditionem* & *conditionatum*, ſed *maxima bona*, ut *conditionatum*, vel *eorum promiſſionem* diſtincta à *conditione*, quæ eſt *apertio oculorum.* Quæ verò cauſa cur hæc non congruunt? *Quia*, inquit, *non convenit ſapientiæ naturæ intelligentis admovere atque applicare objecta ad ea ſubjecta, quorum facultates nullam omnino habent cum objectis analogiam, ut ſi applicaretur objectum ſenſibile rebus ſenſibus deſtitutis, & objectum intelligibile rebus intellectu carentibus. Talis autem eſt lux cùm cæco offertur ad videndum. Nullam enim cæcus facultatem habet quæ cum luce analogiâ conſentiat. At, non diſconvenire naturæ ſapienti, offerre objecta ſubjectis præditis facultatibus cum eorum natura & ingenio congruentibus, ut quum offertur lux oculis, ſonus auribus, demonſtratio intellectu præditis. Etſi enim facultas illa intellectus præpedita eſt impedimento aliquo affectato atque voluntario, non tamen propterea periit analogia quæ intercedit naturaliter inter facultatem quæ* νοητικὴ *eſt, & objectum quà eſt* νοητόν. Sed & iſta exiguo molimine retundi poſſunt. Nam 1. Si non convenit ſapientiæ naturæ intelligentis applicare objectum ad ea ſubjecta, quorum facultates nullam omnino habent cum objectis analogiam, ſapientiæ divinæ non convenit, homini naturaliter corrupto, & in peccatis mortuo proponere objectum, quod videri non poteſt niſi ab illis qui non ſunt ita corrupti, nec mortui in peccatis. Nec enim facultas *moralis* quæ in corrupto eſt, ullam habet analogiam cum objectis id genus. Nec ſufficit tales habere intellectum, ſatis intellectum illorum cæcum eſſe moraliter ſecundùm Animadverſorem, nec poſſe objectum illud videri niſi ab eo qui non cæcus eſt moraliter. Et idem eſt applicare objectum ſenſibile rebus ſenſibus deſtitutis, & applicare objectum intelligibile rebus intellectu carentibus, & objectum ſpirituale applicare ſubjecto facultate ſpirituali, hoc eſt, omni rectitudine intellectus & voluntatis deſtituto. 2. Ἀφιλόσοφον etiam, idem eſſe

lucem

lucem offerre cæco ad videndum, & objectum ſenſibile rebus ſenſu deſtitutis. Cæcus enim is dicitur, in quo *privatio* viſus, non *negatio* qualis eſt in re ſenſu deſtitutâ. In nullo verò ſubjecto ſenſu deſtituto *privatio* datur ſenſus, ſed *negatio* pura. Nec quis lapidem cæcum dixerit niſi ineptiat, cum privatio connotet ſubjectum δεκτικὸν illius vel habitus, vel qualitatis, in quo privatio datur. Vnde in cæco ſemper datur actus primus, vel δύναμις φυσική, defectus verò tantùm eſt in organo. An tale quid etiam in ſubjectis ſenſu deſtitutis reſpectu objectorum ſenſibilium? An itaque dici abſolutè poteſt, quod facit Animadverſor, ſed incautè admodum, *cæcum nullam facultatem habere quæ cum luce analogiâ conſentiat?* At facultas videndi inſeparabilis eſt à cæco, æquè ac intellectus ab homine. 3. Si non diſconvenit naturæ ſapienti offerre objecta, ſubjectis præditis facultatibus cum earum natura & ingenio congruentibus, diſconvenit illi utique, offerre objecta ſubjectis non præditis facultatibus cum earum natura & ingenio congruentibus. At facultates hominis corrupti non congruunt cum objectis ſpiritualibus in Euangelio oblatis, quia homo animalis non poteſt intelligere nec dijudicare ea quæ ſunt Spiritus Dei. Vtut itaque intellectum habeat, eo ipſo quo ille in ſpiritualibus cæcus eſt & corruptus, & invictè quidem, intellectus ita cæcus & corruptus, adeóque planè carnalis nullam habet analogiam cum objecto ſpirituali. Nec quicquam juvat dicere, *facultatem intellectus præpeditam eſſe impedimento affectato & voluntario*, ſatis eſt, illud æquè invictum eſſe & incorrigibile, ac impedimentum planè naturale in cæco, quod ipſe fateri cogitur, & naturam ſapientem nôſſe, illud tale eſſe. Nec melioris commatis eſt quod addit, *non propterea perire analogiam quæ intercedit naturaliter inter facultatem quà* νοητικὴ *eſt, & objectum quà eſt* νοητόν. An ergo analogia eſt inter hominem cæcum ſpiritualiter, & objectum ſpirituale? Et quæ illæ? Et an major analogia hîc quàm inter cæcum corporaliter & objectum lucidum corporale? An unum ex his objectis magis in ſphæra unius eſt quàm alterius? An ſi τὸ νοητὸν habeat analogiam cum facultate νοητικῇ, ſequitur τὸ νοητὸν ſpirituale habere analogiam cum facultate νοητικῇ hominis corrupti? Falſum itaque, erit, quod Paulus tradit, ψυχικὸν ἄνθρωπον, *non capere ea quæ ſunt Spiritus Dei, & non poſſe ea nôſſe, quia ſpiritualiter dijudicantur*, 1 Cor. 11, 14. Et ſanè ea, inter quæ intercedit ejuſmodi analogia, talia ſunt, ut facultas νοητικὴ poſſit reduci ad actum ex ſe, vel per cauſas ſecundas alias, ſaltem ſine miraculo, & iſtud objectum νοητὸν amplecti. Ergo idem facere poterit homo ſpiritualiter corruptus, & poterit dijudicare objectum ſpirituale ut oportet, & mortuus in peccato poterit edere actum vitalem. Immò, ut cæcus, quamvis habeat adhuc facultem αἰσθη-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

τικὴν, quæ analogiam ſemper habet cum τῷ αἰσθητῷ, non obſtante iſtâ analogiâ, nunquam poteſt videre objectum αἰσθητὸν per naturam; ſic non magis homo ſpiritualiter cæcus objectum ſpirituale, etſi habeat adhuc facultatem νοητικὴν, & objectum ex ſe ſit νοητικόν. Quæ enim eſt analogia intellectûs, ad intelligibile, ſimpliciter conſideratum, ea tantùm eſt analogia intellectus luce ſpirituali colluſtrati ad objectum ſpirituale. Nec ſufficit, dari facultatem intelligendi in ſubjecto, quippe quæ ſi corrupta ſit, prout hîc corrupta eſt, non magis cum objecto ſpirituali analogiam habet, quàm oculi talpæ cum luce ſolari, vel facultas apprehendendi in infante cum pondere centilibri ad id tollendum. Immò cum Apoſtolus diſertè profiteatur, ſpiritualia tantùm ſpiritualiter diſcerni, analogiam iſtam tollit, nec illa vel datur vel dari poteſt in homine ψυχικῷ, & deſtituto iſto judicio ſpirituali ad ſpiritualia objecta diſcernenda.

XXVII. Addit Animadverſor: Non congruere comparationem, *ſi à conſideratione ſapientiæ ad conſiderationem bonitatis ſeu miſericordiæ procedamus. Non enim convenit*, inquit, *ſapientiæ naturæ intelligentis admovere atque applicare objecta ad ea ſubjecta, quorum facultates nullam omninò habent cum objectis analogiam; ut ſi applicaretur objectum ſenſibile rebus ſenſibus deſtitutis, & objectum intelligibile rebus intellectu carentibus. Talis autem eſt lux cum cæco offertur ad videndum. Nullam enim cæcus facultatem habet, quæ cum luce analogia conſentiat. At non diſconvenit naturæ ſapienti offerre objecta ſubjectis præditis facultatibus cum earum natura & ingenio congruentibus; ut quum offertur lux oculis, ſonus auribus, demonſtratio intellectu præditis. Etſi enim facultas illa intellectus prædita eſt impedimento aliquo affectato atque voluntario, non tamen propterea periit analogia quæ intercedit naturaliter inter facultatem quà νοητικὴ eſt, & objectum quà eſt νοητόν.* At 1. Sive aliquis cupiat frui bono aliquo, ſive non, non poteſt convenire ulli bonitati ſeriæ, velle benefacere cuipiam, & tamen non removere impedimenta quæ prohibent quo minus is frui poſſit eo bono quod offertur, ſi ſcias eum non poſſe cupere bonum illud, & habere hoc vitium incorrigibile ex ſe, & hanc potiſſimam eſſe partem morbi ipſius. Et ſanè ejus conditio eo deplorabilior eſt, quod non tantùm id non cupiat, ſed etiam non poſſit cupere. Prout verbi gratiâ, phrenetici conditio longè miſerior eſt, quàm ægri alius, quia non cupit ſanari, nec poteſt illud cupere quamdiu phreneticus eſt. Talem itaque velle ſanare, modò id cupiat, eſt illum nolle ſanare. Seriæ ſanè bonitatis eſt, omnia impedimenta removere, ut ille cui bonum aliquod vis, eo frui poſſit, & inter alia impedimentum potiſſimum quod eſt corruptio iſta voluntatis & appetitus. *Quale* etiam objectum eſt quod Deo offertur, cui dicitur bene velle? Annon homo ita miſer, qui non poteſt cupere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

frui bono quod ipſi offertur? Sub qua tamen conditione id ei offerri cenſet Animadverſor? Nimirum ſi eo cupiat frui. An tale quid Dei bonitati adſcribi poteſt, niſi ab illis qui pudorem omnem decoxêre, & ſunt ἅπερ κόρυθός τε καὶ ἀσπίδος? Hæc interea digna eſt tantis triumphis & tot pæanibus Theologia, hæc ſubtilitas *Doctoris irrefragabilis*! 2. Dicere, *per eum unum ſtare, quominus homo irregenitus bono illo potiatur, per ipſius vel ſupinam ſocordiam, vel ſuperbiam intolerabilem*, eſt idem aliis verbis repetere. Quum enim iſta ſocordia & ſuperbia ſit incorrigibilis in homine, & Deus nôrit, eam talem in eo eſſe, an ſeriò illi dicitur velle bonum, non correcto iſto vitio in eo ſub conditione ne in eo ſit? Et quale objectum Deo proponitur? Annon homo iſtâ ſocordiâ & ſuperbiâ totus occupatus? Et annon hæc pars mali eſt, & potiſſima quidem? Et Deus volet hominem iſtum ſalvari, modò iſto gemino malo non ſit totus occupatus; quo tamen non occupatus eſſe non poteſt. Id verò miſerrimum, quod non poſſit non ſtare per hominem iſtum, quo minus bono iſto potiatur. An etiam per unum hominem ſtat, quominus bono iſto potiatur, annon Deus poſſet facilè mutare ipſius mentem & voluntatem? An per unos etiam liberos infantes Gentilium inter crepundia ſua exſtinctos id ſtat? An per alios, quibus Chriſtus nunquam propoſitus, quominus illi Chriſtum amplectantur? 3. Nequicquam excipit, *etſi bonitas eo uſque non perveniat, ut vel ſocordiam excutiat, vel ſuperbiam, non deſinere eſſe bonitatem, negationem enim ulterioris gradus in bonitate, non continuò tollere gradum citeriorem.* An hoc eſt ſeriò agere cum Lectore? Quæritur de boniate non *abſolutè*, ſed σχετικῶς, & cum relatione ad hoc objectum ita corruptum & ita miſerum. An hoc ſeriam bonitatem arguit, objecto ita conſtituto, quod non poteſt morbum ſuum ex ſe agnoſcere, & remedium cupere, beneficium illi velle ſub conditione ne ita comparatum ſit, & ut morbum ſuum agnoſcat, ac remedium? Si quis Lectiſſimæ illi quam cum luctu merito extulit Filiæ in morbo deſperato reſtitutionem valetudinis pollicitus fuiſſet, ſub conditione, vel ne parte morbi laboraret, quâ tamen laborabat, vel ut actus aliquos ederet, qui nonniſi à muliere ſana præſtari potuiſſent, vel ut ſine peccato eſſe, aut vitio morali, & intereà iſtam ſuam bonitatem & promptitudinem in ea juventa ſummoperè extuliſſet, potuiſſet verò etiam eam ſine conditionis unius exactione reſtituere, noluiſſet tamen, an Animadverſor quæſo à ſe impetrare potuiſſet, ut hominem iſtum vel ſeriò reſtitutionem filiæ velle cenſeret, vel bonitatem ejus commendatione ullâ dignam exiſtimaret, & non merum potius ludibrium, vel jactationem inanem? Exemplum hoc domeſticum propono eo tantùm fine, ut Animadverſor in ſe deſcendat, & videat philoſophe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

ma iſtud de gradibus bonitatis hîc locum non habere, quando gradus bonitatis inferior nec ſufficit, nec ſufficere poteſt ad curationem mali, & idem eſſe, gradum iſtum inferiorem adhibere,& non adhibere, & nec ſe, nec ullum alium, in caſu particulari, qui nos tangeret propius, bonitatis iſtum gradum inferiorem, ubi ſuperior exeri poſſet, habituros pro ſeria bonitate,ſed actum vel dignum potius mimo & hiſtrione, quàm homine probo vel viro bono. Bonitatis gradus, ſi ſeria illa ſit, debet proportionem habere cum malo ut indigentia, quæ per eam curanda vel tollenda.

XXVIII. Subjicit Animadverſor: (ita enim conciſus eſt in hoc argumento) Non congruere illam cæci comparationem cum eo quod fit in Euangelio? Quid ita? Et quid obſtat quominus congruat in eo cujus gratia adhibita eſt? *Homo*, inquit, *qui cæco maximum bonum polliceretur ſub ea conditione ſi videret, vel id faceret ſine ullo affectu benevolentiæ erga cæcum, vel ad eam rem benevolentiæ ſenſum aliquem afferret. Prius illud*, inquit, *ſi faceret, non ageret ſeriò, ſaltem quoad cæcum ipſum attinet. Fortean enim uti Chriſtus ficui maledixit, ut diſcipulos edoceret, ſic aliquis lucem ingereret cæci oculis, vel hortationes ſurdi auribus inculcaret, ut eos commonefaceret qui valent oculis, vel ſunt auribus à natura donati. Deus autem certè id non facit. Neque enim ludificatur miſeros mortales inani oſtentatione benevolentiæ quam nullam habeat, neque verò proponit Euangelium iis, in quibus vim illam ſui ſpiritus non exerit, ut iis proſit tantùm in quibus eam virtutem explicare decrevit. Nollet enim*, addit, *in ἀποδόσει, ſanè non electos ad ſalutem invitare eo animo, ut electorum ſaluti inſervirent, ſuam ipſi condemnationem redderent multò cumulatiorem. Poſterius homo ſi faceret, benevolentia conjuncta eſſet cum aliquâ animi perturbatione, qualem vehementes affectus nonnunquam creare ſolent: ut cùm Barbari defunctis amicis cibum & potum ingerunt, incitati deſiderio incondito atque inconſiderato: quæ affectus perturbatio nonnunquam in eos incidit, qui nihil minus ſunt quàm Barbari, ut mortuos alloquantur, & in aliis rebus deſiderio & ægritudine elati ſapientiam cum benevolentia haud ſatis accommodant, donec æſtus ille animi conſederit. Poſtquàm acquieverit, re diligentius conſiderata id facere deſiſtant. At Deus cùm ſalutem offert hominibus ſub conditione fidei, id facit vacuus ab omni perturbatione, & inductus ſolâ illâ φιλανθρωπίᾳ quâ ab initio hominem proſequutus eſt.* At 1. Qui cæco polliceretur quàm maxima bona ſub ea conditione ſi videret, non poſſet ſeriò dici ullum benevolentiæ affectum ad hoc adferre reſpectu cæci, quemcunque ſimularet verbis. De quo quæſtio, non de utilitate quam alii inde capere poſſent, ſed de ea quam inde capere poſſet cæcus, an tale quid offerens cæco, bonum illud ſeriò illi velit, ut comparatio noſtra id ponit in ἀποδόσει: 2. Quia Deus non inani oſtentatione benevo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

nevolentiæ ludificatur miſeros mortales, quam nullam habeat erga eos, non poteſt dici illis velle ſalutem, de quo uno quæſtio eſt, quos novit inemendabili iſtâ corruptione & impotentiâ ad eam perveniendi, cujuscunque illa ſit ordinis, totos occupatos eſſe. 3. Falſum, Chriſtum non propoſuiſſe interdum Euangelium, ut iis tantùm prodeſſet, in quibus virtutem ſuam explicare decrevit, quamvis alii in quibus eam explicare non decrevit, illud etiam audiverint. Præterquam quod ſubſtituitur falſus finis prædicati Euangelii, nec enim ab ullo noſtrorum dicitur, Deum proponere Euangelium iis in quibus vim ſui Spiritus non exerit, eo tantùm fine, ut iis proſit, in quibus eam virtutem explicare decrevit, quia priores non ſunt per ſe objectum Euangelii, & finis prædicati Euangelii primarius & per ſe eſt converſio electorum, propter quos prædicatur. Ideò enim Paulus mittitur Corinthum, quia populus Deo multus erat in urbe iſta. Actor. XVIII, 10. Eorum tamen occaſione alii etiam ſæpe Auditores redduntur Euangelii, idque varios ob fines, qui ipſoſmet ſpectant, quos retrò examinavimus, prout agricola intendit ſemen projicere in agrum, ut fructum ferat, per accidens verò fit ut cadat etiam pars quædam ſeminis in viam, vel ſuper ſolum petroſum. Quamvis reſpectu Dei nihil *per accidens* fiat, & iſtius prædicationis certi dentur fines reſpectu præteritorum, Euangelium tamen ſalutare duntaxat eſſe poteſt credentibus & quia præteriti inevitabiliter ſunt futuri increduli, utique Deus id illis ſalutare eſſe non vult. Si fas nobis ſit, remittere hunc Animadverſorem ad Doctores illos, ad quos Theologiam ſuam potiſſimùm refert & eos audire placeat diſſerentes ſuper fine Dei in annuntiatione Euangelii ratione reproborum, audiet Calvinum dicentem in caput Actorum XX. *Hîc mirabile Dei conſilium notare operæ pretium eſſe, qui vult interdum reprobis Euangelium proponi, non ut inde quidquam proficiant, ſed magis, ut reddantur inexcuſabiles.* Audiet *Muſculum*, dicentem in caput VIII. ad Rom. *Euangelium vocationem eſſe prædeſtinatorum, & non reproborum.* Et *vocatione Dei includi tantùm præfinitos ad ſalutem. Iam quis dubitet*, addit, *Euangelii Miniſtrum ac præconem, dum ad vitam vocat, nullos poſſe alios ſpectare, quàm quos Deus ad vitam vocat.* Quem locum integrum totam doctrinam Animadverſoris evertentem exſcribemus alibi, ut videat, an ad Heroas iſtos ut ſuæ doctrinæ defenſores provocare in futurum ita liberaliter debeat. 4. Falſum etiam, Deum non electos nunquam invitare eo animo, ut electorum ſaluti inſerviant, & ſuam ipſi condemnationem reddant multò cumulatiorem. Annon id factum, quando Chriſtus hoſtibus ſuis obſtinatis ſæpe propoſuit verbum ſuum, quia in turba erant in qua electi quidam reperiebantur, per quod verbum iſti ſalvati, & illorum condem-

 natio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

natio tantùm reddita cumulatior. Quod vel præter aut contra intentionem Chriſti contigit, quo nihil abſurdius, vel ex ea & ſecundùm eam. 4. Nulla benevolentia ſeria poſſet vel fingi in homine, qui vel non inſaniret, vel non malus eſſet, ſi Adonibezeco cuidam mutilo promitteret ſceptrum, ſub conditione ut pollices integros haberet & in circo curreret vel inſtrumentum muſicum pulſaret appoſitè! An de Deo minus honeſtè nobis ſentiendum loquendumve? Comparationem in talibus procedere ſecundùm ea, ſecundùm quæ comparantur, & unicè quidem, retrò demonſtratum dedimus. 5. Barbarorum & perturbatorum exempla ἀπροσδιόνυσα, nec enim in Deo heteroclitum quid vel indecorum concipi debet, quale quid in illis locum habet. Nec docendi eramus, Deum facere quod facit vacuum ab omni perturbatione. 6. Deum ſalutem offerre hominibus (omnibus ſcilicet & ſingulis, nam hoc ad ſtatum quæſtionis, ex ſententia Animadverſoris neceſſariò ſubintelligendum) ſub conditione fidei, falſum & τὸ ἐν ἀρχῇ, nec explicabile reſpectu innumerorum, qui nec beneficii, nec conditionis notitiam ullam habere potuêre. Et Deum id feciſſe inductum ſolâ φιλανθρωπίᾳ, univerſali nimirum, eſt etiam ipſum ἀμφισβητούμενον, immò ſi id feciſſet inductus iſtâ φιλανθρωπίᾳ, vel bonitate ſub conditione fidei, tale quid actu obtuliſſet vel offerri curâſſet omnibus, & iis conditionis ipſius gratiam feciſſet.

XXIX. Novâ verò adhuc digreſſione opus erat ante hujus ſectionis finem. Illam nobis ſufficit Animadverſor. *Quum enim*, inquit, *duo genera creaturarum intelligentiâ præditarum condidiſſet, Angelos atque homines, eas ita benevolentiâ ſuâ complexus eſt, ut hominum genus in ea priores partes procul dubio teneret. Quæ res eum induxit, ut hominibus mundum ſubjiceret, Angelis minimè. Poſtquam igitur utrumque illud genus creaturarum lapſum eſt ab origine ſuâ, Angelis omnem inſtaurationis ſpem præcidit, erga homines φιλανθρωπίαν illam eatenus conſervavit, quoad illis redemptorem offerret, per quem inſtaurari iis liceret, dummodò eum non aſpernarentur. Affectui igitur illi ſapientiſſimo, & ab omni perturbatione vacuo initio obſecutus, nunc in eo perſeverat, & eo uſque perſeverabit, dum nemo ſuperſit ex toto genere hominum cui ſuam illam φιλανθρωπίαν, quamvis diverſa, aliquâ tamen ratione, non oſtenderit.* His etiam ſtricturæ quædam debentur, Deum Angelis lapſis relictis in ſua corruptione, φιλανθρωπίαν *erga homines eatenus conſervâſſe, quod illis Redemptorem offerret, per quem inſtaurari iis liceret, dummodò eum non aſpernarentur: comparatè* verum, *ſimpliciter*, ex ſententia Animadverſoris, *falſum*, & τὸ ἐν ἀρχῇ, ſive Dei φιλανθρωπίαν univerſalem eſſe ad ſalutem erga omnes & ſingulos homines ſtatuat, ſive iſtum ejus actum, oblationem nimirum Redemptoris cenſeat eſſe univerſalem. 2. Offerre Redemptorem hominibus

corru-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

corruptis, quem non poſſunt non aſpernari ob corruptionem ſuam inemendabilem per naturam, ut per eum inſtaurari iis liceret, dummodò eum non aſpernentur, eſt eum illis non offerre. 3. Adde voluntatem non aſpernandi Redemptorem eſſe ex beneficiis ipſius inſtaurationis, per Redemptorem iis promiſſis quibus Redemptor datus. Illi aliàs offerri Redemptorem qui non poteſt non eum aſpernari, niſi per illum ipſum Redemptorem ab iſta mala voluntate curetur, eſt Chirurgum offerre homini plagis variis lethalibus toti confecto qui ſe eum curaturum polliceatur, ſub conditione, ne unâ ex illis, quæ inter præcipuas eſt, affectus ſit, quod à ſcena nihil abeſt. 4. *Deum affectui ſuo obſequi*, ἀκυρόλογον, caſtigatius nobis & religioſius de Deo loquendum æquè ac ſentiendum, nec melior vel phraſis vel aſſertio, Deum in eo perſeverare *eouſque*, hoc eſt, ad certum tempus. Nec enim qui à nobis concipiuntur affectus Dei, ut noſtri ſua habent intervalla, periodos ſuas, nec tale quid ſine aliqua Dei mutatione concipi poteſt. 5. *Neminem ex toto genere humano eſſe, cui ſuam illam* φιλανθρωπίαν (ad ſalutem nimirum de qua quæſtio) *quamvis diverſâ, aliquâ tamen ratione, non oſtenderit*, centies repetita aſſertio Animadverſoris eſt, nec in eo quicquam præter meram aſſerendi præfidentiam. Excutiat ille totam ſubtilitatis ſuæ pergulam, & ſinus ejus omnes, & *categoricè* nobis oſtendat, quâ ratione Deus φιλανθρωπίαν illam ſuam ad ſalutem oſtenderit iis inter Tapuias & Toupinamburtios & alias id genus gentes, quos è parentibus à gratia fœderali prorſus alienis naſci & extingui ante uſum omnem rationis & ſenſuum etiam voluit? Quî hactenus nodum hunc nobis expedire conatus ſit, videbit & judicabit Lector ex collatione diſputatorum à nobis Cap. XIV. Partis primæ.

XXX. Addit tandem: Nec enim adhuc finis, & ſuper cæcis adhuc colluctandum. Non congruere exemplum cæci cum eo quod ſit in Euangelio. *Si quis enim*, inquit, *cæco quàm maxima bona offerat, ſub ea conditione, modò viderit, homo ille eſſet, cujus ingenium, & motus animi & agendi rationes aliis hominibus notæ & perſpectæ eſſe poſſent: quamobrem de iis ſidenter pronuntiare, non eſſet admodum vel difficile vel periculoſum. At in negotio illo Euangelico agitur de Deo, qui cùm tam clarè teſtatur noſtras à ſuis vias & cogitationes tanto intervallo diſſidére, quippe cum ſit & naturâ immenſâ, & ſapientiâ imperveſtigabili, & bonitate inexhauſtâ, & conſilio inexplicabili, etſi eſſet in ejus agendi ratione aliquid quod accuratè comprehendere non poſſemus, non ita tamen magnificè de ingenio noſtro ſentire deberemus, ut id nos offenderet.* Sed & hîc Andabaticam pugnam pugnat Animadverſor. Nam 1. Ingenium & motus animorum hominum perſpectos poſſe eſſe aliis, καθόλȣ, falſum, & tum demùm locum habet, quando pectus ſuum renudant vel verbis,

vel factis. Sapientes enim ac rerum gnari, callidi etiam ac verſuti multa ſæpè agunt, quæ aliis perſpecta non ſunt, & qui alia omnia illis curæ & cordi eſſe cenſent. 2. Abſit, ut ea quæ impervestigabilia in Deo, vel ſcrutari velimus vel definire: De iis tantùm agimus, quæ Deus de ſe in verbo ſuo enuntiavit, ubi amorem ſuum proponit non univerſalem, ſed particularem, æquè ac effectus ejus. Et ſanè, tota & creationis omnium in & ex uno, & quidem corrupto, & lapſus & inſtaurationis œconomia particularem iſtum affectum docent, ut demonſtratum dedimus. De talibus itaque & ex talibus diſputamus quæ Deus nobis aperta eſſe voluit, non operta, vel tecta ſupparo ſuæ majeſtatis & gloriæ. Iſto itaque obtentu, quod viæ Dei nobis ſint imperveſtigabiles, ſua commenta nobis obtrudere, & in locum communem de Dei immenſitate grandibus verbis excurrere, eſt, Lectores omnes ſuos Abderitas fingere & Bœotos. Nihil ſanè offendere nos debet in ea agendi ratione, quam Scriptura à Deo adhibitam docet, ſed ea admittere hoc prætextu, quæ non docet, & quorum oppoſita docet, id verò non eſt Dei Majeſtatem venerari ſed conſpuere. Ex hoc principio Pontificiis & Hæreticis quibuſvis proclive foret dogmata ſua tueri, tranſſubſtantiationis abſurda, accidentium ſine ſubjecto exiſtentiam & conſervationem, corporis Chriſti πολυτοπίαν in Miſſa, & diſtantiam à ſe ipſo, & innumera id genus defendere & perſuadere, iſtis nos offendi non debere, ob vias Dei imperveſtigabiles! Nihil ſanè in Religione ita crudum vel dilutum proponi poteſt, quod non hâc προφάσει admittendum foret. 3. Abſit verò, ut ita magnificè de ingenio noſtro ſentire velimus, ut omnes Dei vias & agendi rationes explicatas dare nos poſſe arbitremur. Confitemur libenter & ſuſpicimus τὰ βάθη τοῦ Θεοῦ, & ἀνεξερεύνητα quidem in multis. Immò hoc nomine proſcindimur à pleriſque in negotio de Prædeſtinatione, quia abyſſum iſtam conſiliorum Dei hîc adorandam cenſemus non ſcrutandam, & jus Dei αὐτοκρατορικὸν, ejuſque exercitium, quod ratiociniis noſtris perquàm durum eſſe videtur, in hoc myſterio intercedere docemus. Contra Animadverſor ſanè perquàm magnificè de ingenio ſuo ſentit, ut qui in Libello ſuo de Prædeſtinatione eo fine Tractatum iſtum à ſe inſtitutum indicat, ut omnia in hoc argumento plana eſſent, & aperta, nec haberet humana ratio quod opponeret. Et abſque eo fuiſſet, Theologia noſtra hiſpida ſemper manſiſſet & hirta ac horrida. Præterquàm verò quod id minimè omnium aſſecutus fuit, ſed novos duntaxat nodos nexuit, & Theologiam noſtram reddidit ridiculam, & in ſe ipſam incurrentem, ipſe parùm ſui memor, pro luce illa quam adeò liberaliter promittebat in hoc negotio, quando ſe premi videt & urgeri dubiis variis, vel ad vias imperveſtiga-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

veſtigabiles Dei confugit, vel ad diem judicii ſolutionem iſtarum difficultatum, quas ſine cauſa nexuit, nos exſpectare jubet. Si etiam viæ Dei revera imperveſtigabiles ſunt in hoc argumento, non magis ipſe eas perveſtigare poterit, quàm nos, nec ſuam nobis Theologiam unquam obtrudet, quin regerere nobis æquè liceat iſta βάθη, τȣ̃ Θεȣ̃ & vias illas imperveſtigabiles.

XXXI. Concludit tandem Animadverſor poſt mæandros & ſpiras iſtas omnes, opus ſupererogatorium à ſe præſtitum, *quod ſe ex abſurditate expediverit quæ nulla eſt.* Id verò æquè mirum ac *Yvonis*, unius è Pontificiorum cœlitibus, illis litibus componendis deſtinati virtus, quæ vel nullæ ſunt, vel jam compoſitæ. Si enim nulla eſt abſurditas, quî ſe ex ea expedivit? Sin ex ea ſe expedivit, illa non nulla eſt. An etiam, qui confutationem ſcripti alicujus & integram quidem molitur ac pollicetur, *non tenetur* diluere abſurda ſuæ ſententiæ impacta & omnia quidem? *At*, inquit, *me nullo argumento demonſtrâſſe id eſſe abſurdum*, quod ſtatuit. Ipſa verò res & ejus tum elucidatio tum comparatio à me inſtituta ſatis demonſtrarent τὸ ἄτοπον, abſque aliis etiam demonſtrationibus noſtris foret. Et quis unquam audivit ad demonſtrationem unam, aliam accedere debere demonſtrationem, ut demonſtratio illa demonſtretur. Quis finis hoc ratione litigiorum ſperari poſſet? Bene verò Vlpianus, *quiquid demonſtratæ rei additur ſatis demonſtratæ, fruſtra eſſe.* Si etiam à me objecta difficultatem non habent, nec abſurdum eſt id quod ei tanquam abſurdum impegi, cur paucis lineis plures opponit paginas, & ita operosè hoc argumentum exſequitur? Satis erat negare, hoc abſurdum eſſe, ullo à me argumento demonſtratum. *Odi*, inquit ille, *nimiùm diligentes.* Si id fecit, *ne putarem, me poſſe nectere nodos quos alii non diſſolverent*, revera nihil unquam magis me confirmavit in hac opinione hos nodos à me nexos inſolubiles eſſe Animadverſori, quum magnum iſtum, & nihil niſi grandia omnia ſpirantem cum *Grandione* Senecæ Athletam inutilibus ictibus auras laceſſere demonſtrârim. Nodus interea ſemper idem manet, immò magis adſtrictus, & verè חוט המשלש nunquam ſolvendus Animadverſori, utut omnes ingenii vires intendat. An verò aliquid vel *induſtriæ* vel *ingenii* hîc *ſuperfluat* Animadverſori, judicabit Lector candidus. Suſpecta verò meritò, immò rejectitia planè nobis nova iſta Methodus, quæ tot abſurda ſecum verrit. Nec *hominum plus quàm par erat ſuſpicioſorum vitio* ſuſpecta eſt, ſed ſuo & Defenſoris malam cauſam malè agentis, & ἄτοπα plurima cumulantis in ejus defenſione. *Importunas cogitationes* meritò appellat, quæ ipſi tales, & quæ novæ potius μεθοδείας quàm μεθόδȣ τὰ κρυπτὰ & τὰ ὕπȣλα detegunt. Si etiam iſta quam defendit Theologia, me-

 thodus

thodus tantùm eſt, cur pro Euangelio & veritate ſe velut Martyrem proponit alibi, & *hoſtes gratiæ Chriſti* illos appellat, & capitales quidem, qui placita ipſius admittere nolunt. *Putat* verò à ſe *illas cogitationes importunas abſterſas funditus & deletas*, ſed *putat* revera, & nihil præterea. Congeſſit enim lutum, non abſterſit, & maculas maculis cumulavit. Sic ex fulloniâ ſæpe in carbonariam itur. Nec aliter fieri poteſt. ἑνὸς ἀτόπου δοθέντος τἄλλα ἕπεται. Brevitatem interea Animadverſoris miretur Lector, & conferat hîc diſputata cum Anterotemate noſtro LVI, & videbit ibi à me pleraque jam occupata, quæ hîc denuo nobis reponit Animadverſor, ibidemque demonſtratum, in quo conſiſtat comparationis à nobis inſtitutæ ratio inter corporaliter & ſpiritualiter cæcos. Interea reſponſionis loco & hactenus diſputata diſſimulat, & meras nobis rhetoricationes ac digreſſiones opponit. Si Medici lectionis & confutationis Anterotematum noſtrorum laborem ipſi interdixêre, memoriæ tamen & verecundiæ in talibus regerendis uſum ei interdicere non debuêre.

CAPVT VIII.

Vindiciarum Reſponſionum ad VII. Erotema, Sectio III.

De *objecto Euangelico*, an ſit, *indeterminatum* & *univerſale*, vel non.

BREVIARIVM Capitis octavi.

Qverela Animadverſoris. Iniquitas illius oſtenſa. Parentheſis à me inſerta, vindicata. Exceptiones Animadverſoris confutatæ. Ratio à faſtidiis Lectorum abſterſa & retorta. Repetionum & prolixitatis nota excuſſa & retorta. Iudicium Animadverſoris iniquum de gente ſua. Convitium impactum & illi & aliis. Faſtidii nota ab Exercitationibus ab ipſo Animadverſore abſterſa. Retricitatis meæ objectio retorta. Inanis reſponſionis κατὰ πόδας inſtitutio excuſatio. Impotentiæ credendi univerſalis & intentionis ſalutis univerſalis dogmata ἀδιάλλακτα. Corruptionis humanæ gravitas ab Animadverſore enervata. Capitis VII *ad Romanos depravatio notata. Objectio de parentheſi ad rem non accommodatâ, diſcuſſa. Animadverſor revocatus ad lineam. Impotentia ab* objecti defectu *convellit Gratiam Vniverſalem objectivam, æquè ac impotentia* à defectu ſubjecti. *Objectum Euangelicum non eſſe indeterminatum probatur. An objecti Euangelici propoſitio poſſit ſtatui univerſalis. An natura ſit ejus præco. Impotentiæ à me notatæ cauſa & finis. An à me propoſita veriſimilia tantùm ſint, non vera. Diſtinctio à me allata, vindicata. Quî diſpenſatio objecti Euangelici humana à me dicta. Determinatio objecti Euangelici probata. Vnde objecti Euangelici deſtinatio metienda ſit. Loca Ezechielis & Iohannis inutiliter repetita. An diverſo ſenſu idem non poſſit vocari diſpenſatio divina & humana. Quî determinatum vel indeterminatum ſtatuerim objectum Euangelicum. Voluntatis arcanæ & revelatæ diſtinctio inutiliter adhibita. Limitatio à me adhibita, probata. An decretum divinum arcanum dici debeat alterum caput Euan-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

Euangelii. Quid primò concipiendum in propoſitione objecti Euangelici. Vniverſalitas Gratiæ ex dictis ab Animadverſore confutata. Quî appareat primò creditum objectum Euangelium determinatum & indeterminatum. Quæ doctrina conjungenda ſit cum propoſitione objecti Euangelici. Vnde metienda ſit res aliqua. Quid electis antequam credant, ſentiendum ſit, quid non. Exempla allata. Exemplum fidei Animadverſoris excuſſum. Quî objectum cenſere potuerit univerſale, quî non. Propoſitiones univerſales non inferunt intentionem univerſalem, ſed nexum univerſalem. An credens amplectatur objectum ut univerſale & indeterminatum. Indefinitum malè confuſum cum univerſali. Determinata Dei voluntas ſuper ſalute hominum probata. Scrupulus Animadverſoris ſuper diſpenſatione humanâ excuſſus. Scrupulus alius affectatus, exploſus. Quid à Spiritu Dei actus concipiat, quid non. Scrupulus idem retortus in ſententiam Animadverſoris. Dilemmatis ab eo propoſiti examen. Quale judicium concipiendum ſit de objecto Euangelico. Ejus univerſalitas everſa. Oblatio Chriſti ſub conditione fidei particularem ejus diſtinctionem infert. Vniverſalitatem gratiæ à credente ſtatuì non poſſe, probatur, nec abſolutè nec ſub conditione. Variæ ejus rei demonſtrationes. Vniverſale ſecundùm quid confuſum cum ſimpliciter tali. Quid ex propoſitione, Omnis credens, ſervabitur, *exſculpi poſſit, quid non. Dilemma geminum oppoſitum Animadverſori. An propoſitio objecti Euangelici nullo diſcrimine pertineat ad omnes. Dogma de æqualitate mortis Chriſti repoſitum. Suppoſitio Animadverſoris falſa. An conſideratio latitudinis extenſivæ objecti Euangelici neceſſaria ſit ad ejus amplexationem. Syllogiſmus ex Animadverſoris ſententia conſtructus. Ejus examen. Elenchi varii notati. Gratiæ Vniverſalis confutata. Illatio abſurda, notata. Cenſura injuſta Animadverſoris retorta. Iniqua ejus querela de diſtinctione barbara. Allata à me diſtinctio, vindicata. Vniverſalitas deſtinationis objecti Euangelici confutata. Abſurda ſententia Animadverſoris.* Ακυρολογία *notata. An prævisio fidei ingrediatur rationem decreti. Elenchus oppoſitorum notatus, & inanis decretorum multiplicatio. Suppoſitio Animadverſoris falſa de decreto redemptionis, ut primo. Sententia oppoſita Eccleſiarum noſtrarum. Electio* ex fide prævisâ *ab Animadverſore perperam poſita. Verba ejuſdem retortæ contra Gratiam Vniverſalem. Decretum abſurdum Deo affictum. Proceſſus ridiculus notatus. An decretum arcanum determinet objectum Euangelicum ut univerſale ex ſe. Decreti Dei particularitas quoad objectum Euangelicum, probata. Falſum fundamentum ſubſtratum ab Animadverſore. Sententia noſtra expoſita & vindicata. Suppoſitio Animadverſoris falſa. Quæ credituri debeant eſſe cogitationes. Ordo in annuntiatione Euangelii obſervandus. Quid à primò credente apprehendendum. Secundùm Animadverſorem novit credens, etiam ante primum actum fidei objectum Euangelicum ſibi deſtinari. Dilemma oppoſitum Animadverſori. Quid ad primam objecti Euangelici propoſitionem, credendum ſit, quid non. Dilemma aliud oppoſitum Animadverſori. An prædeſtinatio credenti non ſit nota, quum primùm credit, imò antequàm credat, ex ſententia Animadverſoris. Quî fides gignatur in primo actu. Conceptus univerſalis gratiæ ante fidem, confutatus. Repetitio jam confutatorum, notata. Ordo decretorum ab Animadverſore conſtitutus, ab eodem everſus. Æqualitas mortis Chriſti ab eodem everſa. Exceptio Animadverſoris diſcuſſa & confutata. An argumentum à negatione precum Chriſti procedat ad negationem ſatisfactionis. Calvinus oppoſitus Animadverſori. Orthodoxorum cauſa ab eo proſtituta. Diſtinctio ab eo propoſita, excuſſa. Falſa ſuppoſitio notata.* Τὸ ἐν ἀρχῇ *propoſitum. An Chriſtus ſatisfecerit pro hominibus quà talibus. Revelationem objecti credendi & exactionem fidei particularem eſſe, probatum. Animadverſor ſibi ipſi oppoſitus. An Chriſtus ſatisfecerit pro mundo invitando ad fidem.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

fidem. Falſæ notiones affictæ Chriſto. σχέσεις ab Animadverſore ſtatutæ, inter ſe commiſſæ. Quî plurimi Chriſto morituro objecti fuerint. Abſurda Euangelio affīcta, & ejus proſtitutio. Ineptæ σχέσεις affictæ Chriſto fundenti preces, & fundenti ſanguinem. Licentia portentoſa, notata. Ἄτοπα varia impacta Animadverſori. Quî Chriſtus conſiderare potuerit mundum in ſatisfactione ſua, quî non. Vniverſalitas ſatisfactionis ab ipſo Animadverſore everſa. Diſtinctio à Chriſto notata. Actus ſacerdotales Chriſti diſtracti perperam. Falſa ſuppoſitio notata. Verba Animadverſoris retorta. Ignoratio elenchi notata. Cauſa eadem cur mundus in ſatisfactione Chriſti locum habere non potuerit, & cur locum habere non potuerit in ejus precibus. Abſurditas ſententiæ Animadverſoris oſtenſa ex collatione actus utriuſque Chriſti. Argumentatio Animadverſoris retorta. An Chriſtus tantùm precetur pro conſervatione fidei jam datæ. Qui ſint illi quorum cauſâ Chriſtus miſſus. Abſurda impacta Animadverſori. Eadem excludunt multos à ſatisfactione, quæ eos excludunt à precibus. Epiphonema Animadverſoris excuſſum. Conſenſus ejus cum Heterodoxis, meus cum Orthodoxis. An à me dicta venditata fuerint ut nova. An Chriſti verba novis munimentis opus habeant. Doctrina Animadverſoris in tabella propoſita. Abſurda varia oſtenſa ex objecti precum & ſanguinis Chriſti diſtinctione. Objecti Euangelici determinatio probata. Ἀσύστατα ab Animadverſore tradita ſuper univerſalitate Gratiæ. Suppoſitio precaria notata. An integra diſpenſatio Euangelii pertineat ad omnes & ſingulos. Objectum Euangelicum non proponi omnibus cum intentione ſalutis probatur ex ipſo Animadverſore. Ignoratio Elenchi notata. Suppoſitio falſa denuò iterata. Deum voluiſſe objectum Euangelicum eſſe particulare. Abſurda educta ex ſententia Animadverſoris. Simile ab eo allatum, retortum. Abſurda Deo affīcta. Qui agnoſcatur, ſolem deſtinatum videntibus, non cæcis. An Deus velit objectum Euangelicum omnibus applicatum. Determinatio iſtius objecti probata.

I. HAnc Sectionem orditur Animadverſor à querela, quod *parentheſin* argumentationi ejus inſerendam cenſuerim, & contendit, *eam neque neceſſariam fuiſſe, neque ad rem accommodari potuiſſe.* Querelam iſtam oppidò iniquam eſſe, Lectori demonſtratum dabo. Agebatur inter nos de *Objecto Euangelico* (hoc eſt, de propoſitione Redemptoris) an illud ſit determinatum, vel indeterminatum. Poſterius placuit Animadverſori, qui docet id nullo reſpectu ad hunc vel illum eſſe determinatum, adeóque ex ſe univerſale eſſe, & omnibus ex æquo propoſitum. Addit ſimul, alios illud non agnoſcere, non expreſsâ eorum ad id agnoſcendum impotentiâ, quaſi in poteſtate eorum fuiſſet id ut oportet agnoſcere. Ne itaque geminâ iſtâ ſuppoſitione Lector induceretur in errorem, innui, nec objectum iſtud Euangelicum univerſale eſſe, quod ſupponebat Animadverſor, quum innumeris nunquam propoſitum fuerit, nec ab *aliis* illis, hoc eſt, reprobis, *agnoſci poſſe*, adeóque non eo fine vel intentione illis à Deo Sapientiſſimo & omnium conſcio proponi potuiſſe, ut per id ſalventur æquè ac Electi, quum Deus nôrit illos & cæcos eſſe, & ſine omni lumine ſpirituali adeóque incorrigibiliter ex ſe corruptos,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

tos, & incapaces objectum illud ſalutariter apprehendendi. Quia itaque parentheſi iſtâ jugulatur apertè Gratiæ univerſalis commentum, & oſtenditur, Dei proponi curantis quandoque talibus Objectum Euangelicum, finem eſſe non poſſe eorum ſalutem, illa Animadverſori haudquaquam placet. Ex his verò patebit, & *neceſſariam* fuiſſe illam Parentheſin, ne Lectoris animus occuparetur in principio falſa ſuppoſitione gemina ſuper propoſitione objecti Euangelici, & eam *accommodatiſſimam* eſſe non quidem *ad rem* Animadverſoris, *ad cauſam* tamen, quâ de agitur inter nos.

II. Regerit verò 1. *Parentheſin* illam *non neceſſariam* fuiſſe, *ſatis enim conſtare ex variis Scripturæ locis, & ex ſua Diſſertatione, quid ſentiat de hominum corruptione & impotentia credendi quæ ſit in omnibus. Inutile itaque futurum fuiſſe, & faſtidii plenum tam ſæpe repetere, quæ ad argumenti vim neque infirmandam, neque corroborandam ullo modo pertinebant.* Addit dicteriolum, pro more: *ſi nec ipſius paullò fortè faſtidioſioris, nec reliquorum Gallorum rationem habendam duxerim, qui paullò ſoleant eſſe intempeſtivarum illarum unius ejuſdemque rei inculcationum impatientiores, ſe parcendum ei* (quem hîc intelligat, indicabit Animadverſor, neque enim quicquam præcedit ad quod referri poſſit) eſſe *exiſtimâſſe, & omnibus aliis.* Subjicit etiam: *Sibi non poſſe non dolere, quod ſe ex inſtituto ſuo deduxerim, ut me κατὰ πόδα in hiſce Animadverſionibus ſequeretur. Magnopere enim ſe vereri, ne cum eundem lapidem mecum tàm diu verſat, Lectoris animum fatiget, quacunque ex natione originem duxerit, & quamlibet ſit ad omnem Lectionis ærumnam devorandam obſtinato animo atque infracto. Id tamen non ſibi, qui id faciat invitus atque coactus, ſed mihi, qui ex eo gloriam aucuper, à Lectore imputatum iri.* Judicet verò quicunque æquus eſt, & candidus: 1. An unius vel alterius voculæ additio ad ſtatum controverſiæ clarius formandum pertinens, & ad ſuppoſitiones falſas præcidendas neceſſaria, Lectorem duxiſſet ad faſtidium quod fingit? 2. An non hîc ſemipaginam propemodùm rhetoricatione occupat inutili, & cavillis ac morſibus plenâ quæ Lectori Chriſti Spiritu prædito non poterit non graviſſimè diſplicere? 3. An de faſtidio Lectorum cavendo ita ſolicitus fuit, qui totum Opus ſuum ex digreſſionibus inutilibus, repetitionibus creberrimis ſuarum & opinionum & diſtinctionum, dicteriis, contumeliis, jactationibus, & triumphis de victoria ſua ædificavit, quæ potiſſimam molis iſtius partem faciunt, & an lineola adjecta elucidando argumento opportuna Lectores adegiſſet ad *poſcendam pelvim*? 4. An etiam faſtidii eorundem hîc rationem habuit bonus diſputator, qui duabus paginis meis denuo reponit viginti quinque paginas, & tamen de mea prolixitate paſſim queritur. 5. Si *reliqui Galli* ſolent eſſe intempeſtivarum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

illarum unius ejuſdemque rei inculcationum impatientiores: Næ eorum qui ex iſta gente Specimen iſtud in manus ſument, & ad ejus Lectionem animum obfirmabunt vicem doleo, quippe qui non faſtidii duntaxat, ſed crucis & carnificinæ materiam creberrimam in eo ſibi objectam videbunt, & vix paginas aliquot ſunt excuſſuri, quin reperiant vel τὸ γνωςὸν, vel diſtinctionem potentiæ naturalis & moralis, vel ſententiæ Animadverſoris repetitionem, vel alia id genus ſingulis interdum paginis pluries repetita. Imò ut Parte Primâ demonſtratum dedimus, reperient tribus paginis novies idem inculcatum, & eouſque repetitionum oſorem deprehendent hunc Animadverſorem, ut etiam pædagogicas obſervationes aliquoties uncialibus & grandibus vocibus inculcatas voluerit. 6. Parum etiam honorificè judicat de Gente ſua, qui eam ut adeò impatientem traducit, ut ad repetitionem earundem rerum, quæ Illuſtribus etiam & eximiis inter Gallos ſcriptoribus non infrequens eſt, nulli verò frequentior, quàm noſtro Animadverſori, ſtomachum ſibi ſubverti ſentiat. Clementior ſaltem me extero hîc eſſe debuiſſet in Gentem ſuam. Quot etiam Galli Maximi Viri omnes Bibliothecarum variarum forulos excuſſêre, & innumera ſcripta, in quibus & repetitionum & inutilium rerum maxima ſæpe congeries! 7. Convitium dicit Genti, ex qua me non pudet originem ducere, ſi vel Scytha etiam cum Anacharſi forem, imò & de nationibus aliis inclementer judicat, quaſi nulli ex aliis naſum haberent & crambe repoſita illis magis placeret quàm Genti ſuæ, ut ut præclariſſimæ. 8. Non habet quod Gallorum ſuorum faſtidia à me excitata queratur. Facile mihi probare, Graviſſimos quoſque & Eruditiſſimos inter Gallos Theologos, immò & Politicos multos ſine ullo faſtidio Exercitationes meas legiſſe, nec ita contemptim de illis judicâſſe. Neſcio utrum Animadverſor vel tot vel tanta ejus rei documenta pro ſuo Specimine exhibere poſſit. Et ſi repetitiones meæ tantùm Gallis ſuis creavêre faſtidii, quî fit, quod fateatur in Præfatione ſua multos variis in locis profeſſos eſſe, Exercitationibus iſtis cauſam ſuam eſſe triumphatam? Cur & in Pictavienſi tractu, & inter Santones, & Montalbani, & in Occitania, & Lugduni, imò undique tales voces auditas ipſe profitetur? An partem Provinciæ partem urbes iſtæ deſignatæ à Gallis non incoluntur? 9. Impingit Animadverſor mihi aliquoties acerbè, quod de *tetricitate* meâ alicubi loquutus fuerim, quamvis id diſertè reſtrinxerim ad argumentum de quo agebam, nimirum duritiem meam Theſes meas amicis negandi, (tantùm abeſt, ut eas hinc inde miſſitarem) interdum talem viſam. An etiam ex eo cavilli argumentum mihi petendum, quod ipſe ſe hîc *paulò faſtidioſiorem* fatetur? Quid ex his majori pipulo dignum! 10. Non eſt quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

quod deprecetur apud Lectorem, quod me ſequutus fuerit κατὰ πόδα. Non dubito quia Lector candidus id non in duobus vel tribus capitibus, ſed in omnibus factum optaret, nec ſe hiantem paſſim alibi deſtitui, & in Vtopiam relegari, vel digreſſionibus inutilibus diſtineri. Non magis verò hîc ad id à me deductus fuit, quàm alibi per reliqua à me paſſim notata. II. Quamvis alibi explicârit, quid de corruptione hominum, vel impotentia credendi ſentiat, id haudquaquam ſupervacaneæ operæ fuiſſet, hîc paucis notâre. Hoc certum, ſi eam verè totalem nobiſcum ſtatuat, concidere bonam Theologiæ novitiæ partem, nec unquam conciliari poſſe univerſalem miſerationem Patris, univerſalem Redemptionem Filii, & vocationem Vniverſalem à Deo cum intentione omnes & ſingulos ſalvandi ſub conditione ut credant, cum corruptione iſta & impotentia credendi Vniverſali. Vtinam verò etiam corruptionem iſtam & impotentiam credendi, quam ſæpe fatetur, non everteret multis in locis aliis, phraſibus ambiguis & periculoſis, dum irregenitos credere & reſipiſcere poſſe docet, ſi velint, & per eos unos ſtare, quominus velint, credant, ſalventur! Vtinam Caput VII ad Romanos non cum apertis Eccleſiæ hoſtibus à Paulo regenito removeret, & ſic partim corruptionem in regenitis reliquam extenuaret, partim ea ſtatueret in irregenitis (medius enim ſtatus non datur, quicquid fingat) quæ corruptionem eorum reverâ extenuatum eunt & depreſſum.

III. Quî verò probat, non potuiſſe parentheſin à me inſertam ad rem accommodari? *Quum hîc agatur*, inquit, *de iis quibus Euangelium annuntiatur, non verò de iis, qui nihil unquam de Chriſto audiverunt, abſurdum fuiſſet, & omnino extra rem, hîc facere mentionem impotentiæ, quæ eſt ab objecti defectu. Eâ enim certè impotentiâ non laborant, quibus Euangelium prædicatione propoſitum eſt.* Annon verò, Animadverſor, agitur inter nos de gratia Vniverſali objectiva? Annon hoc centrum eſt controverſiæ noſtræ? Vel itaque eò omnes ducendæ lineæ, vel feruntur extrâ ſcopum. Niſi itaque probetur his quæ diſputat hoc loco Animadverſor, objectum Euangelicum, quod indeterminatum eſſe vult, eſſe univerſale, nihil probatur. 2. *Si multi nihil unquam de Chriſto audivêre*, & *impotentia* quædam eſt ab *objecti defectu*, quod ipſe innuit, falſum, ſalutem omnibus fuiſſe oblatam, ut quæ citra objectum Euangelicum nec dari poteſt, neç offerri. Et quum in multis impotentia ſit ab *objecti etiam defectu*, gratia objectiva neceſſaria ad ſalutem haudquaquam eſt Vniverſalis. Impotentiæ itaque iſtius quæ eſt ab *objecti defectu* mentio à me facienda erat, ut & alterius, quæ eſt à *defectu ſubjecti*, & incorrigibilis quidem per naturam, opportuna quippe ad evertendum Idolum illud Gratiæ Vniverſalis. Quia verò haud-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

quaquam opportuna erat ad cauſam Animadverſoris, mirum non eſt, illam ab eo ſplendidè diſſimulatam. Et ſanè, ſi nulla eſſet impotentia *ab objecti defectu*, non tantùm dicendum fuiſſet Animadverſori, hîc ejus mentionem faciendam non fuiſſe, ſed etiam illam ut non ens falsò ſupponi. Quamvis verò iſtâ impotentiâ non laborent quibus Euangelium propoſitum, ſatis eſt alios eâ laborare, quibus id non propoſitum, ne gratia objectiva univerſalis ſtatui poſſit. 3. An ſi multi nihil unquam de Chriſto audivêre, dici abſolutè debet, objectum Euangelicum nullo reſpectu eſſe determinatum ratione individuorum? Annon enim Deo ſic diſpenſante factum, ut innumeris individuis planè non innoteſceret? Annon itaque determinatum fuit, ne his vel illis offerretur, offerretur verò aliis? 4. Vel etiam ſtatuit ſolâ prædicatione verbi objectum Euangelicum, aut Euangelium proponi, vel non. Si id ſtatuit, evertitur gratia objectiva Vniverſalis neceſſaria ad ſalutem, vel Euangelium talis gratia non eſt: Si id non ſtatuit, cœlum, terra, pluviæ, tempeſtates & alia id genus erunt præcones Euangelii. Egregium hoc Euangelii præconium peperit nobis fidei ſpeciem parenti ſuæ geminam, quæ ſine cognitione Chriſti ab Animadverſore conficta fuit. Quod ipſum meritò & à Synodis Nationalibus caſtigatum, & ab Amicis etiam ſuis exploſum novit. Adde, Animadverſorem parùm ingenuè hîc mecum agere, quia non tantùm de iis à me actum, quibus Objectum Euangelicum propoſitum non fuit, verùm etiam de iis, quibus id quidem propoſitum fuit, ſed qui, ut lumine ſpirituali omni deſtituti, id agnoſcere non potuêre. Quod ſplendidè diſſimulat. Et quia non eadem latitudo phraſium, *aliquid non agnoſcere*, & *aliquid agnoſcere non poſſe*, meritò hoc poſterius à me adjectum elucidando argumento de quo agitur. Qui enim talem impotentiam concipit in ſubjecto aliquo, ille ſi ſapiat, nunquam ei deſtinabit beneficium, quod non niſi illi utile eſſe poteſt, à quo & impotentia illa abeſt, & cui oppoſita potentia ineſt, cujuſcunque generis eſſe dicatur.

IV. Reſponſiones meas, præfatione iſtâ præmiſſâ, aggreditur Animadverſor, & fatetur, ea quæ à me excipiuntur, *excipi aliquomodo potuiſſe, & ſi in hâc notâ & ſequente minus vera dicam, ſaltem ea quæ dico, eſſe accommodatiora ad leges rectè diſputandi, quàm infinita propemodum alia.* An verò alia à me dicta ſint contra leges rectè diſputandi, & quis ex nobis eas accuratiùs ſervet, Adverſarii judicio decidi non debet, ſed Lectoris non obnoxii. An intereà ea quæ hîc à me dicta, non vera quidem ſint, ſed veriſimilia tantùm, nobis diſpiciendum erit. Propoſitum fuit ab Animadverſore, objectum quo ſtatuitur, Chriſtum eſſe Redemptorem, nullo ad hunc vel illum reſpectu eſſe determinatum. Reſpondi, id falſum eſſe ratio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

ratione *decreti divini*, verum tantùm, ratione *diſpenſationis humanæ*, ſed inutile Animadverſori. Quod ἐξηγήσει adjectâ à me partim elucidatum, partim confirmatum. Quid hîc Animadverſor? Prius ita dici poſſe fatetur, non poſterius. Id enim *quod diſpenſationem humanam nominem, admodum malè nominatum eſſe. Diſpenſationem enim illam quâ factum eſt, ut in Euangelio tale objectum offerretur*, omnis credens ſervabitur, *quod nullo reſpectu eſt ad hunc vel illum determinatum, non eſſe profectam ab homine ſed à Deo. Sub V. enim Teſtamento Deum juraſſe, ſe nullius peccatoris mortem velle, ſed velle omnium converſionem & vitam. Sub Novo illum Filii voce clamâſſe, redemptorem eſſe datum, ut omnis credens in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam. Apoſtolis etiam eum in mandatis dediſſe, ut prædicarent omnem credentem ſervandum. Longè meliùs itaque me locuturum fuiſſe, ſi quum utraque illa res divina ſit, dixiſſem, ratione decreti divini, quod arcanum eſt, objectum determinatum eſſe ad hunc & illum. At ratione diſpenſationis itidem divinæ, quæ revelata eſt, eſſe indeterminatum. Sic ſolere Theologos diſtinguere inter voluntatem arcanam, & revelatam, quam utramque tamen divinam eſſe confiteantur.* Nodum verò hîc in ſcirpo quærit Animadverſor. Nam 1. *Diſpenſatio* iſta, de qua mentionem feci, meritò à me *humana* appellata fuit, non eo quem mihi affingit ſenſu, quaſi profecta eſſet ab hominibus *originaliter* vel *cauſaliter*, quis enim Chriſtianus eſſe poteſt, & dubitare non magis hactenus Euangelium quàm Prophetiam allatam fuiſſe olim voluntate hominum, ſed à Spiritu S. actos loquutos fuiſſe Sanctos Dei homines in N. Teſtamento æquè ac in Veteri, 11 Petri. 1, 21. *Humana* verò *diſpenſatio* tantùm à me vocata fuit, partim *ſubjectivè* quia per homines, partim *formaliter*, quia modo humano adminiſtratur, & ſic etiam promiſcuè proponitur integris cœtibus, quum hominum non ſit diſcernere in iis electos à non electis. Vocabula *technologica* hîc non refugio, nec faſtidium Animadverſoris moror, qui dictaturam hîc ſibi ſumit: ſed ſine Patrum vel populi ſuffragio. Hoc ſenſu itaque optimè à me diſtinctum, & negatum ratione *decreti divini* objectum in Euangelio propoſitum non eſſe *determinatum* ad hunc vel illum, ullo reſpectu, quod quin veriſſimè à me dictum fuerit, ne ipſe quidem negare poteſt. Quod ad cauſæ meæ probationem ſufficit. Si enim objectum in Euangelio propoſitum determinatum ſit, ratione decreti divini, ſalutare iis eſſe non poteſt, ad quos decreto illo non eſt determinatum. Quamvis verò illud ipſum objectum dici poſſit non determinatum, ratione *diſpenſationis humanæ*, quatenus Petrus, Paulus, alii, annuntiantes Euangelium diſcernere non poſſunt electos à non electis, ſalvandos à non ſalvandis, adeóque illos ad quos revera pertinet objectum Euangelicum ab iis, ad quos non pertinet, in eo parùm admodum

ſitum. Nec enim objecti Euangelici deſtinatio vel efficacia nobis metienda ex actu hominis, ſed ex actu Dei. Firma itaque ſemper manet & appoſita diſtinctio à me allata. Nec ex ea ſequitur, à me negari diſpenſationem quâ factum, ut tale Objectum in Euangelio offerretur, & hoc modo, *omnis credens* in *Chriſtum ſervabitur*, divinam eſſe quoad originem & præceptum. Nec ſanè quod per hominem diſpenſari vel adminiſtrari dicitur, divinæ originis eſſe negatur. Etſi verò diſtinguatur à nobis diſpenſatio humana à decreto divino, non ob id opponitur res diſpenſata, vel modus diſpenſationis decreto de eo, ſed tantùm notatur, poſſe quoad diſpenſationem humanam id indeterminatum videri, quod tamen determinatum eſt, quoad decretum Dei. 2. Ad locum Ezechielis quod attinet, de eo à nobis actum prolixè in Exercitationibus, & demonſtratum invictè, locum illum nihil planè facere pro theſi, quam tuetur Animadverſor. Repetendus hîc itaque non erat, niſi poſt confutationem eorum quæ à me repoſita fuêre. De loco etiam Johannis cap. III, 16. à me diſputatum, & ut confido demonſtratum tum in Exercitationibus, tum in Vindiciis noſtris, nihil ex eo cauſæ Animadverſoris accedere. De propoſitionis etiam, *omnem credentem ſervandum*, ſenſu abundè actum: idem itaque hîc non occupandum. Cauſæ etiam à nobis oſtenſæ propoſitionis iſtius veluti promiſcuè inſtitutæ & annuntiatæ, quæ omnia hîc repetere nihil attinet. Quia verò ita ſuggillat phraſim meam Animadverſor, quòd miniſterium verbi, *diſpenſationem humanam* appellârim; an hoc vel crudius vel durius phraſi Petri Magiſtratum vocantis ἀνθρωπίνην κτίσιν, hoc eſt, τάξιν. 1 Petr. II, 13. partim *ſubjectivè*, partim *formaliter*, partim *objectivè*, quamvis & ipſe originem habeat divinam, ut patet ex capite XIII. ad Romanos. Quo ſenſu & ipſe Magiſtratus, & ejus officium vocari poteſt *diſpenſatio divina*. Vt abſolvam compendiò, hoc deſignatum volui, determinatum eſſe objectum Euangelicum ad hoc vel illud individuum, quoad Deum decernentem, ut cui notum ab æterno quos elegerit, & quos per iſtam diſpenſationem objecti Euangelici ſervatos velit, & quibus fidem in Redemptorem dare velit; Quamvis indeterminatum videri poſſit quoad externam hominum diſpenſationem, & Miniſtros adminiſtrantes verbum, quibus arcana electionis operta ſunt, adeóque qui ex officio promiſcuè veluti hoc verbum proponunt, omnes ad pœnitentiam, & ſic ad fidem hortantur, bene de omnibus ex canone charitatis ſperant, eventum verò Deo committunt. 3. Sine cauſa Animadverſor me revocat ad diſtinctionem voluntatis *arcanæ* & *revelatæ*, Theologis uſitatam, & monet, utramque divinam eſſe, quaſi verò id dubium ulli ſano ſit, vel id pro dubio à me haberi oſtenderim, modò diſtinctio

iſta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

iſta bene intelligatur, de qua infra etiam nobis peculiari Diſſertatione agendum erit.

V. Pergit verò Animadverſor, & oſtendere conatur, iſtam meam limitationem non facere ad rem: Quî id oſtendit! *Decretum illud divinum arcanum,* inquit, *quod objectum ad electos determinâſſe dicam, eſſe alterum caput Euangelii, quod non innoteſcat cuiquam, ac ne electis quidem, niſi per eventum; eventum autem ſitum eſſe in ipſâ fide, ex quâ homines à poſteriori cognoſcunt, ſe eſſe ex numero electorum. Itaque antequam quiſquam, hocce decretum arcanum ad ſe pertinere putet, neceſſe eſt, ut credat, antequam credat, neceſſe eſt ut ei objectum offeratur ad credendum. Objectum autem illud eſt; Omnis credens ſervabitur. Quæritur ego,* addit, *an objectum illud, dum id electi, antequam ſe ſe ſentiant eſſe electos, intuentur, ut id agnoſcant, iis appareat, & ab iis perſpiciatur determinatum an verò indeterminatum.* At 1. Limitatio iſta maximè ad rem facit, quemcunque pulverem ſpargat hîc Animadverſor. Affirmaverat ille, objectum in Euangelio propoſitum nullo reſpectu ad hunc vel illum determinatum eſſe. Diſtinxi ego inter determinationem conſideratam ratione *decreti divini,* & ratione *diſpenſationis humanæ*: priori modo omnino id determinatum eſſe affirmavi, quod ne ipſe quidem negare audet, quod præcipuum eſt, & nobis in hac cauſa ſufficit, quum ex illo ſolo, & deſtinatio Mediatoris, & ejus miſſio æquè ac efficacia pendeat: Sic enim planè determinatum eſt, qui ſint *oves Chriſti* in individuo, pro quibus animam ſuam dare voluit, & quos Pater trahere voluit ad Chriſtum, & Chriſtus efficaciter ad ſe vocare. Et ut hæc ſola individua objectum Euangelicum amplecti videmus, & per id ſervari, alia non, ſic utrumque non præter vel contra Dei intentionem, vel determinationem, ſed ſecundùm eam fieri ſtatuimus. Diſpenſationis verò Miniſtrorum conſideratio hîc urgeri non debet: nec enim vel ex eorum opinatione, vel ex eorum miniſterio ſuſpenſa eſt determinatio gratiæ. 2. Ἀκυρολόγως dicitur, *decretum divinum arcanum eſſe alterum caput Euangelii,* nec enim confundenda iſta duo. Decretum enim cauſa eſt Euangelii, Euangelium ejus effectum, adeóque decretum non poteſt eſſe caput Euangelii contradiſtinctum capiti alii. Nec decretum rationem habet capitis, hoc eſt, partis rei decretæ, qualis res decreta eſt Euangelium, ſive ſumatur pro oblatione Mediatoris, ſive pro collatione fidei in eum. Decreta etiam latent, capita Euangelii patent. 3. Decreta etiam non innoteſcere, niſi quandoque per eventum, à poſteriori, verum eſt, ſed nihil facit ad rem. Sic ἐξαγώνιον, eventum ſitum eſſe in fide, & homines ex ea à poſteriori cognoſcere ſe eſſe ex numero electorum. Indubium etiam, antequam quiſquam hoc decretum arcanum ad ſe pertinere putet, neceſſe eſſe ut credat,

dat,

dat, & antequam credat, neceſſe eſſe, ut ei objectum offeratur ad credendum, & objectum illud eſſe, *omnis credens ſervabitur*. Obſervet tantùm Animadverſor, ex his ipſis ſequi duo. Primum, neminem antequam actu credat, debere ſtatuere, Deum ſibi velle dare fidem ut credat. Et quum Chriſtus tantum proponatur in ſalutem credentibus, nemo verò potentiam moralem ad credendum ex ſe habeat, neminem etiam ſtatuere poſſe Chriſtum ſibi in individuo deſtinatum eſſe Redemptorem, ſed tantùm determinatum eſſe hoc objectum ad ordinem credentium. Alterum eſt; Si antequam quis credat, neceſſe ſit ut ei offeratur objectum ad credendum. Ergo credere non potuêre myriades multæ gentium, quibus objectum Euangelicum nunquam oblatum fuit. Quum verò per ſolius objecti iſtius, credendi amplexationem detur via ad ſalutem, liquet, innumeris viam ad ſalutem apertam non fuiſſe, ne quidem quoad gratiam objectivam. 4. Quæſtio quam Animadverſor infert è dictis ſuis, parum ad modum cauſam ipſius juvat. Quæri, inquit, *an objectum illud*, (omnis credens ſervabitur) *dum id electi, antequam ſe ſe ſentiant eſſe electos, intuentur ut id agnoſcant, iis appareat, & ab iis perſpiciatur determinatum, an verò indeterminatum*? Non operoſum nobis eſt regerere, utrumque diverſo ſenſu ſine abſurditate dici poſſe. Apparet illis *determinatum*, ratione nexus duarum rerum inſolubiliter conjunctarum, nimirum fidei & ſalutis, quatenus ſalutem vident aſtringi ad fidem, & ſolos æquè ac omnes credentes ſervandos. *Indeterminatum* verò illis apparet *ratione perſonarum* (quamvis, ut ſuprà oſtenſum, tale non ſit reſpectu Dei) quatenus nec ipſi nôrunt in individuo, nec Miniſter qui hoc verbum proponit, an hîc vel ille ſit ex numero illo, cui Deus fidei gratiam largiri velit. Adde, cum ipſa propoſitione; *omnis credens ſervabitur*; & cum hortatione ad fidem, conjungendam eſſe inſtitutionem; fidem eſſe donum Dei, & ſolius quidem, adeóque precibus flagitandum à Deo, ne homo fidei vel habitum vel actum adſcribat ſive viribus ſuis, ſive arbitrio ſuo. Et hoc caput cum priori egregiè conjungit Apoſtolus Phil. II, 12, 13. Nec obliviſcendum caput alterum, fidem non eſſe omnium, ſed electorum Dei, & ſolorum quidem. An etiam res vel propoſitio aliqua metienda ex eo quod apparet hominibus, annon verò potius ex eo quod eſt revera? 5. Supponit Animadverſor, à nobis ſtatui, objectum illud ab electis, antequam ullo modo credere incipiant, agnoſci ad ſe pertinere, vi determinationis arcani decreti Dei, quo electi ſunt, quod ne per ſomnium quidem à nobis cogitatum. Sufficit enim electos, antequam credant, agnoſcere hanc gratiam ſibi fieri præ innumeris aliis, quod Deus Euangelium ſibi annuntiari curet; fidem à ſe exigi, & quidem poſt pœnitentiam, & fidem eſſe conditionem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

tionem unicam conſequendi ſalutem: Sufficit etiam, illos cum trahi à Patre adeóque credere incipiunt, ſentire, objectum illud ad ſe pertinere ex determinatione Dei. Prout verbi gratiâ, ſi Pharao vel Nebucadnezar edicto publico promulgaſſent, omnibus ſomnia ſua ſibi interpretaturis munera ſplendida donanda, non opus fuiſſet vel Joſephum vel Daniëlem credere id ad ſe in individuo pertinere, antequam ſentirent Spiritum revelationis ſibi à Deo ad actus illos conceſſum: Satis iis fuiſſet credere, omnes divinaturos certò muneribus iſtis donandos. Ex quo verò ſenſêre, ſe donum illud à Deo habere, ſentire etiam ex hypotheſi cœpêre, Deum velle ſe muneribus iſtis potiri. Quando itaque quærit Animadverſor, *quænam ſit illa nota diſcriminans, per quam, tanquam per anſam aliquam, electi id arripiant, quaſi ſibi proprium & peculiare?* Ad quæſtionem iſtam decidendam ſufficit, electos videre *antecedenter*, Deum ſibi præ multis aliis objectum illud revelare, & hac nota ſe diſcriminari ab omnibus planè non vocatis per verbum. Satis etiam, quum ſentiant ſe potenter affici à Spiritu Dei, & trahi à Patre, ſe habere notam diſcriminantem certiſſimam, hoc objectum ſuæ ſaluti à Deo deſtinatum eſſe præ plurimis aliis vocatis, quibus eadem gratia non fit, & qui verbum illud vel ſpernunt apertè, vel parum curant. Sic quando Saul edixit, ſe *ditaturum divitiis magnis, & filiam ſuam daturum ei, & domum paternam ejus effecturum immunem in Iſraële, ſi quis percutiat Philiſtæum*; ſufficiebat Davidi *antecedenter* credere, reverà Saulem promiſſa iſta adimpleturum erga Victorem, quando verò Spiritu roboris à Deo ſe indui ſenſit, ad opus iſtud perficiendum, reverà ſenſit à Deo ſibi bona & honores illos deſtinari. Idem dici poteſt de quovis Principe pollicente honores ſub conditione hac vel illa, & conditionis præſtandæ gratiam, ſi penes ipſum ſolum eſſet, largiente his vel illis. Nequicquam itaque exemplo ſuo nos urget, quid primùm vel viderit vel crediderit, vel quid meminerit ſe primùm crediſſe, ſatis eſt, omnem illum cui objectum illud proponitur credere, propoſitionem iſtam eſſe veram & certam, de nexu fidei & ſalutis, & ſuum officium eſſe, actum à ſe exactum præſtare, Deum verò ardentiſſimè rogandum, ut quum ſe ob corruptionem ſuam ſentiat ad id præſtandum impotentem, ſuo ſpiritu & ſuâ gratiâ in ſe operari velit actum imperatum. Quod addit, *ſe in primis fidei momentis objectum illud amplexum eſſe, ut eſt univerſale atque indeterminatum*; Si illud hoc ſenſu univerſale cenſuit, ut ad omnes & ſingulos mortales ex deſtinatione Dei pertinens, malè cenſuit, nec illius error officere debet veritati: Sin cenſuit tantùm nexum illum univerſalem eſſe inter fidem & ſalutem, & omnem præſtantem actum illum ſervandum, bene cenſuit, ſed nihil id facit pro ipſius

cauſa. Sic ſi quis Iſraëlita cenſuiſſet olim, Deum velle omnes & ſingulos Iſraëlitas introducere in terram Canaan ſub conditione obſequii, malè cenſuiſſet; neque enim Deus hoc voluit, ut patet à poſteriori: Si tamen cenſuiſſet, obſequium certò conjungendum cum introductione, & omnem obſequentem actu introducendum à Deo in terram Canaan, bene cenſuiſſet: Sic ſi quis cenſuiſſet Deum velle omnes Iſraëlitas *vivere*, ſub conditione ut *hoc facerent*, & omnibus velle maledictionem, ſub conditione inobſequii, malè cenſuiſſet; nec enim Deus voluit ullum Iſraëlitam ſic vivere, & noluit plurimos etiam non permanentes in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro Legis, maledictioni exponi. Si tamen nexum univerſalem ſtatuiſſet certum inter τὸ *facere* & τὸ *vivere*, ex una parte, inter τὸ non facere & maledici (non accedente gratiâ aliâ) bene ſtatuiſſet. Nec iſtæ propoſitiones univerſales Dei voluntatem vel deſtinationem, vel intentionem univerſalem nobis proponunt quoad omnes & ſingulos homines; ſed tantùm nexum univerſalem à ſe conſtitutum inter conditionem & conditionatum, inter officium & beneficium. Si ergo Animadverſor in primis ſuæ fidei momentis objectum illud amplexus eſt ut univerſale priori ſenſu, non credidit id quod verum, ſed credidit id quod falſum eſt; Sin poſteriori ſenſu id fecit, bene fecit, ſed id nos non ferit. Nec Animadverſor conſideratè loquitur, dum inquit, *ſe objectum illud amplexatum eſſe, ut eſt univerſale & indeterminatum*, imò qui objectum illud verâ fide amplectitur, id amplectitur ut particulare ſibi, & ſibi deſtinatum eo ipſo quo id ſibi applicat quod amplectitur. Primus itaque actus fidei, ex quo omnes alii ſubſequentes pendent, nihil aliud judicat, niſi univerſalem eſſe nexum fidei & ſalutis, & Deum per hoc unum medium velle largiri ſalutem. Hactenùs itaque duntaxat univerſalitas poteſt concipi in objecto. Aliter ſi concipiatur, malè concipitur; Nec confundi ab Animadverſore debuêre *indefinitum* vel *indeterminatum* & *univerſale*: nec enim iſta æquipollent, & multa ad priorem ordinem pertinent, quæ non pertinent ad poſteriorem. Sic verbi gratiâ, Indefinita ſæpè eſt & indeterminata gratiæ, eleemoſynæ diſtributio, non univerſalis. Et quia iſta propoſitio univerſalis ſenſu à nobis oſtenſo determinat ſalutem ad fidem, ut conditionem neceſſariam, & nemini non conſtat, nec omnes credere, nec omnes credere poſſe, quum non omnibus detur ut credant, eo ipſo ſatis oſtenditur determinata Dei voluntas de ſolis illis ſervandis, quibus conditionis gratiam facere vult. Modò itaque credens concipiat univerſalem iſtum nexum fidei & ſalutis, & à ſe fidem exigi & officium, hoc ipſi ſufficit; An verò Deus velit omnes & ſingulos ſub iſta conditione ſervare, hoc nec concipere debet, nec ſi id concipiat Dei voluntatem conci-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

concipit qualis eſt, ſed qualis non eſt, quum Deus hanc ſuam voluntatem nec notam fecerit innumeris omni ævo, nec notam faciat hodieque. Nec dubium, & *ex inſtitutione divina* iſta inter ſe connecti, & ex inſtitutione divina ibi proponi ubi proponuntur, ſed non ob id eâ vel intentione vel fine reſpectu Dei, ut ſic omnes & ſinguli mortalium ſalventur. Indubium etiam, credentem tunc ferri in objectum iſtud, ut *in rem divinitus revelatam*, ex qua patet, medium ad ſalutem perveniendi tale à Deo conſtitutum eſſe, non aliud. Scrupulus quem fingit Animadverſor ſuper diſpenſatione humanâ in credituro, inanis eſt. Ignorare certè non poteſt quicunque credit, pluribus diſpenſatione humanâ hortationem ad fidem proponi quàm reverà credant, & quàm à Deo donum credendi ex decreto ipſius conſequantur. Nec id tamen vel ingenerationem fidei in eo omnino impedit, quia hoc eſt opus Spiritus ſuperantis & hunc ſcrupulum, ſi quis talis foret, & omnes alios, vel eam turbat admodum, quia Spiritus afficiendo cor ipſius hunc ſenſum illi ingenerat, Deum aliter ſecum agere quàm cum multis aliis. Sic verbi gratiâ, ut ut præconem audiat aliquis denuntiantem aulam & gratiam Principis patere omnibus hanc vel illam ſymbolam adferentibus, & multos quidem videat deſtitutos eo quod adferendum eſt, ſe verò à Principe ipſo donari videat iſto munere: Diſpenſatio circa alios adhibita, quibus idem donum non datur, non impedit quominus ille pacato & hilari animo ad Principem accedat, & ab eo ulterius donum ſibi polliceatur. Nec quicquam infirmius affectatis illis ſcrupulis quos fingit Animadverſor. electus enim, quia à Spiritu Dei comitante verbum inſpiratur, non patietur ſe vanis iſtis cogitationibus circumduci, non dicet, *video quidem homines, id ita mihi annuntiare, tanquam univerſale & indeterminatum. Verùm quid futurum eſt ſi falluntur, & ſi indeterminatum eſt, unde cognoſcam id ad me pertinere?* Nec enim, ſi à Spiritu Dei agi incipit, concipiet, quod falſum eſt, nimirum, Deum habere voluntatem conditionatam omnes ſub hac conditione ſalvandi, quale quid nec à Deo proponitur, nec à Miniſtro verbi annuntiari debet. Concipiet verò, quod verum eſt, & quod à Deo per Miniſtrum proponitur, neminem nimirum ſalvandum niſi per fidem in Chriſtum, & omnem illum, in quo Deo placuerit fidem in eum operari per Spiritum ſuum, ſervandum. Et hactenus univerſalitatem in iſto objecto verè concipere poteſt, & quidem talem ex inſtituto divino. Si verò non tantùm nexum antecedentis & conſequentis univerſalem, ſed etiam intentionem Dei conciperet univerſalem, omnes & ſingulos ſub iſta conditione ſalvandi, falſum conciperet. Nec magis ex conceptu iſto, quod Deus nolit omnes & ſingulos ſub iſta conditione ſalvari, ſcrupuli materia & impedimen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

tum, quo minus crediturus credat, quàm ex conceptu Animadverſoris, Deum nolle omnibus & ſingulis dare fidem. An ſi quis dubitare poteſt, utrum objectum illud ad ſe pertineat, vel non, non poteſt etiam dubitare, an electio pertineat ad ſe vel non, adeóque an Deus ſibi fidem illam dare velit, à qua ſuſpendit ſalutem, vel non. Fruſtra itaque ſibi proponi univerſalem iſtam φιλανθρωπίαν ſub conditione, quâ careat, & neceſſariò quidem, & quæ à ſola Electione pendeat, de qua haudquaquam ſibi conſtare poſſit, utrum ad ſe pertineat vel non.

VI. Hinc patet Dilemmatis ab Animadverſore formati imbecillitas: *Aut*, inquit, *mens in primo illo actu fidei de objecto bene judicavit, aut male: Si malè, primus actus fidei à Spiritu Dei, & objecto Euangelico profectus, & genitus mentibus Electorum, & ex quo cæteri omnes pendent, falſus fuit. Si bene, objectum Euangelicum, quod proponitur ad credendum, quod Chriſtum Servatorem offert ſub conditione fidei, quod erigit in ſpem beatæ immortalitatis, univerſale eſt & indeterminatum, & ad omnes quibus annuntiatur, nullo diſcrimine pertinens ex inſtituto divino,* ὅπερ, *ut loquitur vir doctus,* ἔδει δεῖξαι. *Id enim quid eſt, ſi non eſt gratia Vniverſalis.* Nam 1. Mens ſi à Spiritu Dei agatur, non aliter de objecto judicabit, quàm quale id reverà eſt, hoc eſt, eo omnibus & ſingulis credentibus promitti ſalutem, haudquaquam verò de eo judicabit, quale non eſt, nimirum id nullo diſcrimine pertinere ad omnes quibus annuntiatur, ex inſtituto divino. id enim falſiſſimum eſſe, docet & Scriptura, & omnium ſeculorum experientia. Non pertinebit ſaltem ad eos, quibus non annuntiatur, adeóque non erit univerſale. 2. Eo ipſo quo Chriſtus offertur ſub conditione fidei, credens non poteſt concipere, eum ad omnes nullo diſcrimine ex inſtituto divino, pertinere, quibus annuntiatur, quia videt aliquibus fidem dari, aliis non, idque ex inſtituto divino, ſentit eam ſibi dari, à poſteriori, videt aliis idem donum non dari. Videt itaque diſcrimen evidens ex inſtituto divino. Videt etiam, ſine hoc dono prius donum non poſſe offerri à Deo cum intentione ſalutis, non magis quàm à principe brabéum ſub conditione teſſeræ certæ exhibendæ, ſi illius teſſeræ donatio & à ſolo Principe pendeat, & aliquibus tantùm ab eo deſtinata ſit, non aliis. Qui ſanus eſt, hîc judicabit, proclamatione quidem promiſcuâ exigi à Principe officium, quod omnes debent, beneficium verò illis duntaxat deſtinari quibus officii præſtandi, vel teſſeræ iſtius exhibendæ gratia facta eſt. 3. Vel credens cenſet, hominem ex ſe credere poſſe, vel non, & fidem eſſe merum Dei donum: Si prius cenſet, malè cenſet, nec ille vel corruptionem humanam novit vel cui fidei gratia tranſcribi debeat. Si poſterius, vel cenſet Deum id omnibus & ſingulis dare velle, vel electis tantùm & ordinatis ad vitam æternam:

ſi prius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

ſi prius cenſet, falſum denuò cenſet, & apertè contrarium Scripturæ: Si poſterius, videt facile, etſi univerſalis proponatur nexus in Euangelio fidei & ſalutis, qui certiſſimus, Deum tamen hanc propoſitionem nolle omnium & ſingulorum ſaluti cedere, non tantùm, quia illam innumeris revelatam noluit, ſed etiam, quia fidei gratiam inter vocatos pluribus negat, paucioribus concedit. Nec vel *abſolutè* dici poteſt, Deum hoc donum velle dare omnibus quibus verbum annuntiatur, nec ſub *conditione*. Non *abſolutè*, aliàs enim id omnibus daretur. Non *ſub conditione*, quia de iſtius conditionis conditione quæſtio redit, & vel ibitur in infinitum, vel conditio recurret cum conditionato. Sanè conditio illa dari non poteſt, quin proceſſus iſte ſtatuatur ridiculus, & idem promittatur ſub conditione ſui ipſius. 4. Adde, quum ne omnibus quidem Euangelicum objectum proponatur ad credendum, quod Chriſtum Servatorem offert ſub conditione fidei, utique univerſalis iſta voluntas, adeóque gratia univerſalis ſtatui nequit, quod tamen eſt κρινόμενον noſtrum. Nec id ipſum probaretur, quamvis concederemus Animadverſori, objectum illud ad omnes, quibus annuntiatur ſine diſcrimine pertinere, quod tamen falſum eſſe oſtendimus. Semper enim excludendæ forent myriades multæ hominum, quibus tale quid non annuntiatur, & quidem ex inſtituto divino. 5. Supponit Animadverſor, credentem admodùm ſolicitum eſſe in primo fidei actu, an ſalus pertineat ad omnes & ſingulos homines, ſatis eſt, eum concipere, eam ex inſtituto Dei pertinere ad omnes & ſingulos credentes. Et quia ad hos tantùm pertinet, concludere neceſſario debet, ſalutem ex inſtitutione divina ad innumeras gentes pertinere non poſſe, quibus nec Chriſtus annuntiatur, nec verbum Euangelicum propoſitum, imò id non pertinere ad multos vocatos, quippe quibus Deus iſtius doni gratiam denegat, ſine quo haberi aliunde non poteſt. Ex his liquet, quî vel benè vel malè judicare poſſit mens de Objecto Euangelico. Vbi verò à Spiritu Dei illuminabitur, benè judicabit, ſed modo ſupra à nobis expoſito, ſecundùm Scripturam & experientiam. Et ſanè quum inter hortationes ad fidem à Dei ſervis proponi ſolitas, ſit etiam hæc ratio, gratiam iſtam Euangelii eò majori ardore amplexandam, quod Deus nobis gratiam audiendi Euangelii faciat, quam non facit innumeris aliis quî gratia univerſalis ſupponi poteſt? Et ſanè tale quid inculcant ſæpe & Veteris & Novi Teſtamenti Scriptores. Adde, illum qui ad credendum invitatur, invitari prius ad pœnitentiam, ut & agnoſcat & defleat peccata ſua. Nôſſe itaque ſuam corruptionem præſupponitur, & ex ea impotentiam credendi, adeóque merum eſſe donum Dei, ſi quis credat, nec ſuum id eſſe poſſe, niſi ſit ordinatus ad vitam æternam. 6. In eo hal-

lucinatur Animadverſor, quod velut *ſimpliciter* univerſale & indeterminatum ſumit, quod eſt tantùm univerſale vel indeterminatum *ſecundùm quid*, & certo reſpectu, & quia univerſale *quoad rem*, vel connexionem confundit cum univerſali *quoad perſonas*, ut ut ob defectum conditionis antecedentis incapaces beneficii conſequentis. Nihil ergo ex iſta propoſitione, *omnis credens, ſervabitur,* exſculpi poteſt aliud, quàm univerſalitas conjunctionis officii & beneficii, non verò univerſalitas hominum quorum ſaluti illa propoſitio deſtinata ſit. Quod ſi Deo conſtitutum fuiſſet, nihil obſtitiſſet, quominus Deus propoſitionem iſtam omnibus & ſingulis mortalium revelaret, & omnibus quibus eam revelat, fidei gratiam largiretur. 7. Vel credens credit deſtinationem Dei ad ſalutem ita univerſalem eſſe reſpectu omnium & ſingulorum hominum (quod neceſſariò ad gratiæ univerſalitatem ſupponendum, ſub N. ſaltem Teſtamento, ex ſententia ipſius Animadverſoris, ſub qua fatetur exigi diſtinctam Chriſti cognitionem) ſub conditione fidei, vel non; ſi id credit, falſum credit. Deus enim id non vult, cùm innumeris iſtam propoſitionem ne patefaciat quidem, ne ſub Novo quidem Teſtamento: Si id non credit, non debet id ſupponere diſputator noſter. 8. Vel credens etiam cenſet, illam propoſitionem ad omnes, quibus annuntiatur, *nullo diſcrimine* pertinere, vel non: Si prius cenſet, error eſt, non cogitatio ſuggeſta à Spiritu Dei. diſcrimen enim æquè evidens eſt, inter illos quibus Deus vult dare gratiam credendi, & illos quibus eam dare non vult, ac ſi dicam, ſolem à Deo nullo diſcrimine proponi cæcis, quorum tamen aliquibus oculos aperire velit, aliis non. Qui itaque ad illuminationem illorum quos Deo placet in cæcitate ſua relinquere æquè ſolem propoſitum ſtatuet, ac illorum quibus Deo placet oculos aperire, ille ludibrium debebit hominibus ſani judicii. Et ſi id ſtatuit Animadverſor, repetit nobis dogma ſuum à Synodis exploſum, Chriſtum *æqualiter* mortuum pro omnibus, quod tamen ipſe evertit, quando electis plus morte Chriſti impetratum cenſet, quàm non electis, & Chriſtum *abſolutè* pro illis mortuum ſtatuit, pro iſtis tantum *conditionatè*. Sin credens cenſet poſterius, Animadverſoris dilemma inane eſt. 9. Supponit etiam, primum actum fidei vel potius credentem in primo iſto actu ſine infirmitate eſſe, & quamvis verè feratur in objectum ſuum, non poſſe opinationes alias falſas in eo reperiri. At fidelis ne confirmatior quidem ab iis ſæpe immunis eſt in actibus ſequentibus ſuæ fidei, ut qui fallitur ſæpe in multis. Nec opus ad Euangelici objecti amplexationem conſideratione *latitudinis* ejus *extenſivæ* ad omnes omninò & ſingulos homines. ſufficit enim conſideratio veritatis iſtius propoſitionis, omnem credentem ſervandum, & univerſalis

ac

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

ac neceſſarii nexus inter duo iſta, officium & beneficium. Quemadmodum quando Deus olim edixit populo ſuo: *Quicunque fecerit hæc, vivet in eis*, non concipiendum erat, Deum habere voluntatem conditionatam omnes & ſingulos ſub hâc conditione ſervandi, quum non placuerit Deo ullum mortalium hoc modo ſervare. Nihil aliud verò concipiendum erat, niſi nexum eſſe univerſalem inter Obedientiam & vitam. In ſumma circumducta iſta & perplexa Animadverſoris oratio ad hunc Syllogiſmum revocari poteſt: Quod proponitur indeterminatè & univerſaliter, & judicatur à credentibus in primo fidei actu pertinere ad omnes indiſcriminatim, id reverà tale eſt. Objectum Euangelicum proponitur indeterminatè & univerſaliter, &c. Ergò. Reſp. 1. Ad *Majorem:* Peccari *elencho à dicto ſecundum quid.* Quod proponitur *indeterminatè* ratione decreti & intentionis divinæ, veluti medium à Deo ordinatum ad ſalutem omnium & ſingulorum hominum, id reverà tale eſt. At ſic minor falſa. Imò determinatè proponitur, quia & *explicita* ibi eſt determinatio beneficii ſuſpenſi à conditione, & *implicita* ad ſubjecta, quibus conditionis gratia deſtinatur, & in quibus ſolis reperiri poteſt. 2. Eodem *Elencho* peccatur; Quod proponitur univerſaliter omnibus & ſingulis mortalibus, id reverà univerſale eſt. At ſic Minor denuò falſa eſt. Innumeris enim id nec propoſitum fuit, nec hodieque proponitur. Quid itaque hoc ad gratiam univerſalem? Si omnibus & ſingulis per verbum vocatis proponi dicatur, ne tum quidem concluditur id quod eſt in quæſtione inter nos, qui de omnibus & ſingulis hominibus diſputamus, non verò de omnibus & ſingulis vocatis per verbum. 3. Quod proponitur univerſaliter vocatis per verbum tum pœnitentibus, tum impœnitentibus, id univerſale eſt: At ſic Minor etiam falſa eſt. Niſi enim hominem pœniteat peccati, gratia Euangelica ad illum pertinere non poteſt. Relinquitur ille ſub Lege & maledictione. 4. Quod judicatur à credentibus pertinere ad omnes ſine diſcrimine judicio recto, & non erroneo, judicio inſpirato à Dei Spiritu, & non judicio dictato à prava opinatione, illud ad omnes pertinet. At ſic etiam Minor falſa eſt. 5. Supponitur falſum, ab omnibus credentibus in primo fidei actu judicari, objectum Euangelicum pertinere ad omnes indiſcriminatim. Et mira iſta diſputandi ratio eſt, ex gratia innumeris non annuntiata adeóque neceſſariò particulari univerſalem facere, & ſuſpenſione ſalutis à fide, fidei ab Electione juxta nobiſcum poſitâ, adeóque ſalutis ſuſpenſione à fundamento particulari conceſſa, univerſalem inferre ſalutis deſtinationem! Si quis proponeret Principis gratiam ſuſpenſam à certa conditione, & tum gratiæ iſtius revelationem, tum conditionis ipſius donum à particulari ejus inclinatione ad innumeros ſe non exten-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

extendente ſuſpenderet, univerſalem tamen Principis gratiam magnificè commendaret, vix effugeret, quin pro circulatore haberetur, vel pro inſano. Et hæc eſt egregia demonſtratio Gratiæ Vniverſalis, quam tam anxiè & operoſè nobis ingerit Animadverſor! Qui in concluſione etiam ſua quâ eam à ſe demonſtratam innuit, vel me abſolvit, vel iniquitatem ſuam oſtendit. Quoties enim verbis ejus repetendis adjeci, *ut loquitur*, toties Latinitatem ſuam à me vellicatam queritur, vel itaque Græca verba à me adhibita, ὅπερ ἔδει δεῖξαι, ut minus græca traducit, verbis adjectis, *ut loquitur*, quod eſſet hominis ἀμυήτου in talibus, vel ſi id non facit, majori candore & æquitate erga me uti debebat, ubi ſimilis loquendi forma à me adhibita.

VI. Quia etiam à me dictum, ab æterno determinatum fuiſſe à Deo & apud Deum, quorum Chriſtus debeat eſſe Redemptor, non crediturorum duntaxat *indefinitè* & *eventualiter*, ſed crediturorum *definitè* ex gratia ſua, illorum nimirum, qui Chriſto dati erant à Patre, & oves Chriſti, pro quibus poſuit animam ſuam, qui diſtinguuntur à reliquo mundo, pro quo ut non rogavit, ſic nec ſatisfecit: Regerit Animadverſor, 1. *Se nihil iſta morari, Argumentationes eſſe & penè barbaras diſtinctiones, in quibus acumen ingenii oſtendere, & pulvere ſcholaſtico diſputationem conſpergere voluerim, vim ſuperioris ratiocinationis nullo modo diſſolvere*. Atqui 1. quam barbariem in diſtinctionibus iſtis meritò notet, non video, niſi quòd voce unâ (*eventualiter*) in Scholis uſitatiſſimâ, & ad rem repræſentandam convenientiſſimâ in Diſputatione Scholaſtica uſus fuerim. An hoc mihi minùs licet, quàm ipſi *futuritionem*, *mediatorium*, *idoneitatem*, *ſanctificatorem*, & plura alia id genus, ex eadem barbarie haurire? Et cur ſibi tam indulgens ſcriptor adeò acer cenſor eſt aliorum? 2. An etiam extra rem, diſtinguere hîc credituros *definitè* & *indefinitè*, hoc eſt, illos qui ex Dei gratia ſunt credituri, & illos quorum arbitrio relinquitur τὸ credere vel non credere, propoſito illis objecto? An hîc major barbaries, quàm in diſtinctione objecti *determinati* & *indeterminati* quam toties urget? 3. Scilicet magni acuminis gloria mihi captanda erat è diſtinctione obviâ tyronibus noſtris, & inde exſpectanda ſpolia ampla. 4. Annon etiam ipſis Scripturæ verbis à me & explicata & confirmata fuit iſta diſtinctio? An & iſta barbara ſunt Animadverſori? Oſtendat me vel malè diſtinxiſſe, & membra diſtinctionis aut non eſſe ἀντιδιῃρημένα aut perperam explicata, vel malè applicatam hoc loco diſtinctionem iſtam. An verò vim ratiocinationis ab ipſo propoſitæ à me allata nullo modo diſſolvant, judicium facere poterit Lector, ex collatione eorum quæ à nobis dicta utrinque. Videbit, ut ſpero, ſolidè à me oſtenſum, objectum Euangelicum

non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

non eſſe indeterminatum ratione decreti divini, ut nec deſtinationem & miſſionem Redemptoris, ſed determinatum omninò fuiſſe, quibus in Scriptura ille deſtinatus & miſſus dicatur. Quæcunque ergo verbi prædicatio in tempore ab hominibus inſtituatur, illa opponi non debet iſti decreto anteriori, nec efficere poteſt quin illud ſit veriſſimum. Falſum verò id foret, ſi Deus omnes & ſingulos per objectum Euangelicum ſalvatos vellet, ut qui jam ab æterno apud ſe diſtinxit in decreto ſuo oves ab hircis, datos Chriſto à non datis, eos pro quibus Chriſtus poſiturus erat animam ſuam, ab iis pro quibus animam ſuam poſiturus non erat. Referre hæc ad ſecundarium quendam voluntatis divinæ actum ſubnixum prævisione fidei vel incredulitatis, eſt reipſa heterodoxas opiniones in Synodo Dordracenâ damnatas interpolare, & voluntatis antecedentis, & conſequentis diſtinctionem, cum Eccleſiarum noſtrarum hoſtibus nobis reponere, Deo primas & ſecundas cogitationes, priora & poſteriora conſilia adſcribere, & fingere miſericordiam partim indecoram Deo, partim inutilem, & neceſſariò quidem, miſeris.

VII. Quî verò ſua tuetur? *Primùm enim*, inquit, *arcanum illud Dei decretum, quod objectum in Euangelio propoſitum determinavit ad credituros definitè & non eventualiter, vel pertinet ad ſalutem certis quibuſdam hominibus dandam, quos Deus credituros proſpexit, quia decreverat eis dare ut crederent, vel pertinet ad fidem ipſam in eorum animis ingenerandam. Prius autem illud ad rem noſtram non attinet. Nam in primo actu fidei quo de agimus, electus qui crediturus fuit, nihil quicquam de tali decreto cogitavit vel cogitare potuit. Non enim illi certè dum innotuit, neque per revelationem ſpécialem, neque argumentatione ductâ à fide ſua quam nondum præſtiterat, cum in eo eſſet ut primum illius actum ederet. Poſterius haud magis: Quum enim primus fidei actus non aliter edatur quàm appulſu mentis ad objectum, & aſſenſu per quem in eo acquieſcit, operatio quidem divini Spiritus, per quam mens ad objectum appellitur, atque in eo acquieſcit, naturâ antecedit primum illum actum fidei: eſt enim ejus cauſa. At non innoteſcit tamen ei qui credit, ſeſe crediḍiſſe vi aliquâ ſpiritus, niſi poſtquam actu credidit. Tum enim demum reflectit mentem ſuam in ſeſe, & inquirens in cauſas, cur idem objectum indifferenter omnibus oblatum, ipſe admiſerit, reliqui reſpuerint, re perpenſa intelligit propoſitionem externam objecti, communem quidem fuiſſe omnibus, & gratiam per quam recipitur & admittitur in animum ſibi indultam fuiſſe, aliquam particularem. Quam piam cogitationem & illuſtrat, & confirmat in animo alterum illud caput Euangelii, quod promiſſiones abſolutas de fide quibuſdam donanda complectitur, & quæcunque ad doctrinam de Electione in Euangelio pertinent. Sequitur enim tum illarum rerum prædicatio. At primus actus de quo diſputamus, omnia iſta antecedit, qui objectum & conſiderat, & amplectitur tan-*

 quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

quam univerſale. Iſta verò nihil niſi mera verborum ſpuma. Nam 1. Ἀκυρολόγως effert decretum abſolutum, quod pertineat ad ſalutem certis quibuſdam hominibus donandam, quos Deus credituros proſpexerit, quia decreverit eis dare ut crederent. Nec enim prævìſio fidei ingreditur rationem decreti, ſed eſt extra illud, utpote quæ illi innititur & id ordine naturæ ſequitur, & eſt prævìſio rei jam decretæ. 2. Peccat *elencho oppoſitorum:* Opponit enim componenda. Nec enim decretum de ſalute dandâ certis, opponi debet decreto de fide ipſa in eorum animis ingenerandâ: eſt enim unum idemque decretum, de ſalute certis hominibus danda, per fidem illis ingenerandam; nec opus duobus decretis ad intentionem finis alieni procurandi per certa media. Sic verbi gratiâ eodem decreto voluit Pharao & pincernæ gratiam facere priſtinæ dignitatis, & eum è carcere educere: Eodem decreto conſtituit Medicus hunc ægrum per hoc pharmacum ſanare. 3. Supponit Animadverſor πρῶτον ψεῦδος ſuum, decretum nimirum de mittendo Redemptore eſſe primum & indeterminatum, ſpectans ad omnes & ſingulos mortales, id verò determinari poſtmodum demum per decretum de ſalute certis danda, & de fide eis ingeneranda, quaſi is ordo decretorum non eſſet ἀμφισβητούμενος inter nos, & contrarius Eccleſiarum noſtrarum & Synodi Dordracenæ ex Scriptura doctrinæ, quæ ſtatuit objectum Euangelicum ſemper eſſe determinatum ex decreto antecedente, de ejus fructu ſuſpendendo à fide, fide verò ab electione, & decretum Dei unum eſſe & adæquatum, de certâ hominum multitudine per Chriſtum ſervanda, adeóque de Chriſto eorum gratiâ mittendo & de fide illis in Chriſtum danda. 4. Reponit nobis abſurdè Animadverſor, *electionem ex fide prævìſâ:* Quamvis enim id emollire conetur, dum addit, *Deum aliquos credituros proſpexiſſe, quia decrevit eis dare ut crederent*, abſurdè ſemper infarcit prævìſionem in decretum, quæ ſequitur demum, ſecundùm ordinem naturæ, ipſum decretum. Adde, eo ipſo quo Deus decrevit, aliquibus dare ut crederent, adeóque aliis non eo ipſo ut proſpexit, illos credituros certò, ſic proſpexit etiam iſtos certò non credituros, immò ne poſſe quidem credere ob impotentiam ſuam moralem, vel corruptionem ſuarum facultatum ethicam invictam; adeóque non potuit illis Chriſtum mittere cum intentione eos ſalvandi ſub conditione ut credant. Quid planius contrà, quàm dicere, Deum illos ex hominibus corruptos ſalvari voluiſſe, & unicè quidem, quibus pro ſuo beneplacito, & Chriſtum revelatum voluit, & fidem in eum ingeneratam? Et ſanè decretum illud abſurdè effertur hoc modo, Deum velle dare ſalutem certis quibuſdam hominibus, *quos Deus credituros proſpexit, quia decrevit eis dare ut crederent*; Annon meliùs dicere, Deum voluiſſe, & ſalute donare,

donare, & fide in Chriſtum ad eam aſſequendam neceſſariâ quos pro gratuito ſuo beneplacito elegit? Quis quæſo non rideret proceſſum hominis quo decretum conciperet, de certis hominibus conſtituendis hæredibus ſuis, quia eos hanc teſſeram habituros & geſtaturos prævidit; prævidiſſe verò id ipſum diceretur, eò quòd vellet illis hanc teſſeram dare, non aliis? Annon dicendum potiùs foret, teſtatorem illum velle tales hæredes ſuos inſtituere ex mero amore, ſed per medium à ſe ex liberrimo ſuo beneplacito conſtitutum nimirum per teſſeræ iſtius collationem & geſtationem. Nullum itaque eſt arcanum Dei decretum objectum in Euangelio propoſitum (veluti univerſale ex ſe) determinans, ſed Dei decretum eſt de his & non aliis per objectum in Euangelio & propoſitum & conſcientiis eorum per fidem applicatum ſervandi. Quod evidenter docet & particularis iſtius objecti Euangelici propoſitio, & ſuſpenſio ſalutis à fide ibi ubi propoſitum eſt, quæ declaratur propoſitionibus iſtis univerſalibus, *omnis credens in Chriſtum, ſervabitur, omnis non credens in eum, damnabitur.* Nec magis ex priori propoſitione inferri poteſt univerſalis Dei voluntas omnes ſub conditione ſervandi, quàm ex altera voluntas univerſalis omnes damnandi ob hujus conditionis abſentiam. Tota itaque iſta diſputatio Animadverſoris innixa falſo fundamento de decreto determinante objectum ex ſe univerſale, funis eſt ex arena nexus, & nihil præterea ſi dicat, me ipſum diſertè poſuiſſe determinationem objecti Euangelici ex decreto divino; poſui ſanè, ſed alio planè ſenſu. nec enim ſtatui objectum iſtud ex ſe univerſale eſſe, & poſtmodum determinari; ſed ab æterno fuiſſe determinatum ratione decreti divini, nec Deum vel Chriſtum miſſum voluiſſe, vel fidem in eum prædicatam, niſi ut hoc medio illos ad ſe traheret in tempore, quos elegit ab æterno. Vt ut itaque diſpenſatio humana Miniſtrorum videatur ſalutem omnibus & ſingulis, qui verbum Euangelii audiunt, & pœnitentiam præ ſe ferre, ac credere videntur, offerre, quia illis, nec tabulæ decretorum Dei, nec arcana cordium patent: Certum tamen, Dei decreto ab æterno determinatum eſſe, & qui credituri ſint; & qui per fidem ſint ſalvandi, ii nimirum ſoli quibus Deus tum objectum Euangelicum propoſitum voluit, tum fidem in id collatam. 5. Poſito, electum qui crediturus fuit, in primo actu fidei nihil quicquam cogitâſſe de tali decreto, an ob id illud minus verum eſt, vel minus concipi debet? An pendet rei veritas à cogitatione tyronis adhuc in Chriſtianiſmo? Si crediturus etiam de eo non cogitet actu, non ſequitur ob id eum de eo cogitare non debuiſſe. Annon enim crediturus primò debet agnoſcere corruptionem ſuam? Et ſanè niſi ſeriò eam agnoſcat, non poterit ſibi perſuadere, ſe opus habere Redemptore.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

Sin eam ſeriò agnoſcat, ut oportet, agnoſcet ſimul impotentiam ſuam ad credendum, nec fidem à ſe exactam à ſe præſtari poſſe, niſi ſolius Dei dono, quum ſatis in ſe ſentiat contradictiones carnis, & ratiocinationis corruptæ adverſus doctrinam Euangelii. Nec ſanè unquam Euangelium annuntiatur, vel annuntiari poteſt ut oportet, niſi præcedat annuntiatio corruptionis humanæ, & impotentiæ iſtius moralis invictæ per naturam, quam contraxit peccator. Vnde & Johannes & Chriſtus incepêre ab exactione τῆς μετανοίας, nec Dominus ad ſe vocat niſi τοὺς κοπιῶντας, καὶ πεφορτισμένους, adeóque nec Miniſtri verbi alios ad Chriſtum vocare debent, quàm qui tales vel revera ſunt, vel ſaltem eſſe videntur. 6. Nec ſi intercurrat quædam infirmitas in primò credente, nec ille habeat diſtinctam decretorum Dei cognitionem, vel illa omnia conſideret ut oportet, in tyrocinio iſto ſuæ fidei, ſequitur objectum Euangelicum ex ſe eſſe univerſale, vel ut tale apprehendi à credente: ſufficit enim, illum apprehendere connexionem univerſalem fidei & ſalutis, & hoc verbum ſibi proponi, & ſuum officium eſſe, credere verbo propoſito ſibi præ multis aliis, ex ſingulari Dei munere. Nec opus ſpeciali revelatione aliâ antecedente quàm repræſentatione objecti à Deo conſtituti, & officii ſui. 7. Imò eo ipſo quo in primo fidei actu ſentit credens operatione divini ſpiritus, mentem ſuam ad objectum, ut loquitur Animadverſor, appelli, & aſſenſum illum in ſe formari ac fiduciam, per quam in eo acquieſcat, & hæc operatio naturâ antecedit primum actum fidei, ut ejus cauſa, ut ipſe fatetur, eo ipſo ordine naturæ ante primum actum fidei novit credens illud objectum Euangelicum ex divina deſtinatione & peculiari quidem ad ſe pertinere. At, inquit Animadverſor, non innoteſcit ei qui credit, ſe credidiſſe vi aliquâ Spiritus, niſi poſtquam actu credidit: Vel itaque credens dum ſentit iſtam primam operationem Spiritus, in ſe, antecedentem primum fidei actum, eam tribuit viribus ſuis & libero arbitrio ſuo, vel Spiritui Dei. Si prius, in graviſſimo verſatur errore, & falſum ſtatuit; credit enim ſe ex ſeipſo ita moveri ad objectum Euangelicum, quum tamen id merum Spiritus S. opus ſit. Si poſterius, ergo ante primum fidei actum ſtatuet cor ſuum à Dei Spiritu tangi & trahi. Certum quidem eum poſtquam credidit, meliùs longè & diſtinctius ſingula intelligere, falſum tamen, eum ſi ſeriò agnoſcat, ut agnoſcere debet, corruptionem ſuam, non ſtatuere, antequam credat, neminem credere poſſe niſi Dei dono, & eo ipſo momento quo incipit moveri à Spiritu Dei, ſibi non perſuadere, hunc motum Spiritui iſti, & ſingulari Dei erga ſe gratiæ imputandum eſſe. Quicquid verò ejus rei ſit, id cauſam noſtram non ferit ſive crediturus conſideret, fidem eſſe tantùm electorum Dei, & Deum hos tantùm

per

per Chriſtum velle ſalvari, ſive id non conſideret, id ipſum non deſinit eſſe veriſſimum. Sic, ſi cogitet, iſta propoſitione, *omnis credens ſervabitur*, indicari, Chriſtum eſſe Redemptorem omnium & ſingulorum hominum, malè cogitat, nec hic motus poteſt eſſe à Spiritu Dei, nec is omnes errores & imperfectiones removet etiam in incremento fidei, minùs in principio ejus. Sin cogitet iſtâ propoſitione indicari, Chriſtum eſſe Redemptorem omnium & ſolorum credentium, bene cogitat, & hic motus eſt à Spiritu Dei: Sed ob id credere non debet, Deum velle omnes & ſingulos mortalium iſta propoſitione ſalvari, quum nôrit antecedenter ante actum primum fidei illam innumeris non eſſe revelatam, nec ab iis quibus revelata eſt excipi poſſe, ut oportet, ſine operatione Spiritus S. efficaci. Primus itaque actus fidei iſta omnia non antecedit, ut demonſtratum, nec ille aliter conſiderat objectum quàm prout propoſitum eſt, univerſalem nimirum à Deo conſtitutum eſſe nexum inter fidem & ſalutem. Et ſanè ſi credens, poſtquam credidit, agnoſcit gratiam, per quam recipitur propoſitio *communis*, non *univerſalis*, particularem ſibi indultam, quæ non indulta aliis; vel prius ita credidit, vel oppoſitum: Si illud, habemus quod volumus; Si iſtud, falſum credidit, nec illius error imputandus Spiritui Sancto, vel quicquam derogat veritati rei.

VIII. Addit Animadverſor 1. *Electos dari à Patre Chriſto duobus modis, prædeſtinatione, & ejus executione*; Sed id nos non ferit. Falſum verò ſimpliciter & abſolutè, quod addit, *prædeſtinationem electo, cùm primùm credit, ignotam eſſe, ideóque non poſſe ab eo conſiderari, ut notam quæ objectum diſcriminet*. At cùm primùm credit, reverà jam ipſi electio ſua nota eſt, quia antequam primùm credat, opus eſt, ſecundùm ipſum Animadverſorem, operatione divinâ Spiritus, per quam mens ejus ad objectum appellatur, & in eo acquieſcat, cujus operationis peculiaris ſenſum niſi vel ſtupidus ſit, vel ignarus ſuæ corruptionis, imputabit peculiari gratiæ, adeóque & ejus principio, nimirum Electioni ſuæ. Qui primùm credit, ſentit ſe trahi à Patre, adeóque ſentit ſe ordinatum eſſe ad vitam æternam. Antequam verò iſtam operationem ſentiat, adeóque antequam credat, vel credere poſſit, ſatis, eum ſentire, fidem in Chriſtum eſſe conditionem ad ſalutem neceſſariam, & eam à ſe exigi, & à ſe deberi. 2. Fruſtra quærit: Quomodo fides illa conſideretur, & dicit à ſe oſtenſum, eam ita gigni in primo actu; ut non aliter objectum ſuum conſideret, quàm tanquam univerſale & indeterminatum, neque quenquam electum ſe Chriſto datum eſſe intelligere, niſi poſtquam credidit actu. Hîc verò in ſe ipſum arietat Animadverſor, quum faſſus fuerit, operationem divinam Spiritus per quam mens ad objectum appellitur, & in eo acquieſcit, naturâ antece-

dere primum actum fidei ; Itaque ex iſta primâ operatione Spiritus, quam credens in ſeſe ſentit, prædeſtinationis ſuæ executionem in ſe ſentit, & antequam actu credidit,ſentit ſe Chriſto datum eſſe. Si etiam conſideret ſuum objectum, ut ita univerſale & indeterminatum,quaſi Deus omnes & ſingulos mortales per id ſalvatos velit, error ſubjecti objecti naturam non mutat. Et ſanè nôſſe talis debuit,nec hoc objectum omnibus propoſitum eſſe, nec illis quibus propoſitum eſt, utile eſſe poſſe, ſine collatione doni fidei. Sin in eo conſideret univerſalem nexum fidei & ſalutis, benè id conſiderat, & ex ſenſu noſtro, ſemper enim judicabit ſalutem determinatam eſſe ad fidem, fidem ad donum Dei,hoc ad Electionem Dei. 3. Nequicquam ſubjicit: *Poſtquam electus credidit actu intelligere eum poſſe, Chriſtum cum animam ſuam pro hominibus poſuit, habuiſſe peculiarem quandam in eo rationem quorundam hominum quos pro ovibus habere deſtinabat, & redemptorem in oppetendâ morte ad electos ſingulari quâdam ratione reſpexiſſe. At antequam crederet actu, ignorâſſe, ſe eſſe ex numero iſtarum ovium, & de ſingulari Chriſti reſpectu nihil pro ſe ſuſpicatum. Quum ergo primus actus fidei ingenitus eſt, nihil aliud ex objecto illi in mentem venire potuiſſe, niſi Chriſtum animam ſuam pro omnibus poſuiſſe,modò credant, quia ſalutem omnibus offert & pollicetur, modò eam admittere non dedignentur.* Iſta enim omnia 1. mera ſunt repetitio jam dictorum & confutatorum. 2. Si Chriſtus peculiarem quandam habuit rationem, quum animam ſuam poneret, eorum quos pro ovibus habere deſtinabat, & in oppetendâ morte ad electos ſingulari quâdam ratione reſpexit: utique decretum fuit & Patri & ipſi, ut in oppetenda morte ad electos ſingulari quâdam ratione reſpiceret, adeóque decretum de mittendo Chriſto in mundum non eſt anterius etiam ordine naturæ decreto Electionis, quum electis ſalvandis ex ipſa hypotheſi Animadverſoris peculiari ratione miſſus fuerit. Sin Chriſtum miſſum eſſe univerſaliter omnibus & ſingulis ſub conditione fidei ſalvandis, primum decretum eſt falſum, eum miſſum fuiſſe pro electis ſingulari quâdam ratione, vel in oppetenda morte non ſe conformavit Chriſtus iſti Patris decreto. Et quum, ex ſententia Animadverſoris, decretum ſecernendi electos à non electis ſit poſterius ordine decreto mittendi Chriſtum, non potuit utique nondum ſecretis peculiari ratione Chriſtus deſtinari. 3. Quî etiam conſiſtet dogma Animadverſoris, quod tradit alibi, Chriſtum *æqualiter* mortuum eſſe pro omnibus, cum peculiari iſto reſpectu ad oves ſuas? Si dicat, hactenus Chriſtum *æqualiter* mortuum eſſe pro omnibus, quatenus omnibus ſalutem ex æquo peperit ſub conditione fidei, ne hoc quidem admitti poteſt; quia in ipſa morte reſpectum habuit peculiarem ad oves ſuas, adeóque pro illis peculiari ratione

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

tione mortuus eſt. Vbi verò datur σχέσις peculiaris, ibi non datur æqualitas. Nec ſi quis medicamentum pluribus ægris ſanandis, vel gazam pluribus pauperibus ditandis deſtinare diceretur ſub certa conditione quâ carerent omnes, & quam non niſi illius ipſius liberalitate habere poſſent, ullus qui ſaperet, diceret vel medicamentum vel gazam iſtam æqualiter omnibus deſtinari, ſi aliquibus conditionis gratia fieret, aliis non. 4. Quid primò credenti in mentem venire debeat, quid non, à nobis oſtenſum. Quî etiam, ex ipſius Animadverſoris ſententia, antequam actu credat, nôſſe poſſit, ſe eſſe ex numero iſtarum ovium, retrò etiam demonſtratum fuit. 5. Oſtenſum etiam falſiſſimum eſſe; Deum omnibus ſalutem offerre & polliceri, modò eam admittere non dedignentur, & ulli oblationem ſalutis ſalutarem eſſe poſſe ſine collatione fidei.

IX. Addit: *Me vehementer errare, ſi ideò Chriſtum pro mundo ſatisfeciſſe negem, quia pro mundo precatus non eſt.* At ſi in eo errem, errorem iſtum juxtà mecum errant graviſſimi quique Theologi noſtri, etiam in Synodo Dordracena, qui hoc argumentum oppoſuêre ante me gratiæ univerſalis patronis. Errat mecum Calvinus, diſertè ſcribens: *Chriſtum negare apertè, ſe pro mundo orare, quia ſolicitus non ſit, niſi de proprio grege, quem ex manu Patris accepit.* An verò pro iis ſatisfacere, & ſanguinem fundere voluit, de quibus ſolicitus non fuit, ad preces etiam fundendas, vel an mundus pertinet ad proprium gregem Chriſto à Patre datum? Et digna ſunt notatu verba, quæ Calvinus ibidem addit: Preces noſtras pro omnibus ideò à nobis fieri, *quia nondum diſtinguere licet electos à reprobis.* Per mundum ergo intellexit reprobos, adeóque haudquaquam pro iis à Chriſto ſatisfactum cenſuit. Nec enim pro ordine aliquo hominum ſanguinem fundere ſuum poteſt is, qui de eo ſolicitus non eſt. Oſtendit ſic etiam Calvinus ex precum noſtrarum univerſalitate non ſequi univerſalitatem Redemptionis, quod alibi ſatagit Animadverſor. Quid verò agit hîc, dum argumentum hoc commune Orthodoxis Theologis impugnat, quo inferunt ex negatione precum Chriſti pro mundo negationem ſatisfactionis pro eo, niſi quod latus noſtrorum pandat Adverſariis, & iis ſignum attollat in nos invehendi? Et hoc eſt adverſarios nobis conciliare, & Eccleſiarum noſtrarum cauſam tueri! Quî verò vehementem iſtum errorem noſtrum demonſtrat? *Mundus, inquit, duobus modis conſideratur, nimirum in univerſitate hominum, qui nondum vel crediderunt vel credere dedignati ſunt, neque ſub ea σχέσει ſpectantur, ſed quà homines: & in multitudine incredulorum, qui vel actu Euangelium rejecerunt, vel conſiderantur quà certò id rejecturi ſunt, & ut electorum ab iis jam ſecretio facta eſt, Chriſtus noluit precari pro mundo, poſteriore hoc modo conſiderato. Neque id mirum. Quum enim precaretur pro*

conſer-

conſervatione fidei electorum qui vel jam crediderant, vel certò credituri erant, qui potuiſſent in ea oratione locum habere ii qui neque crediderunt, neque credituri erant, quique ſub ea σχέσει conſiderabantur. Conſervaturne quidquam quod neque eſt, neque futurum eſt in æternum. An non inde ſequitur Chriſtum non ſatisfeciſſe pro mundo; quatenus ſignificat iſta vox univerſitatem omnium hominum à quibus Deus fidem exigere vult, & quos nondum ita tractat, quaſi eam certò præſtituri ſint, vel præſtare detrectaturi. Putatne vir doctus nos nunquam de argumentis illis refellendis cogitaviſſe, ut poſtquam à centum aliis ante ipſum in medium adducta ſunt, ea tanquam nova proferat, nullis armis, nullo novo robore communita! Sed diſtinctio iſta partim frivola eſt, partim nodum nexum non ſolvit. Nam 1. Supponit ipſum ἀμφισβητούμενον, Chriſtum ſe ſtitiſſe Sacerdotem vel Mediatorem Deo Patri oblatione & ſatisfactione ſuâ pro mundo conſiderato in tota ſua latitudine, & ſumpto pro univerſalitate omnium hominum, ſub ea σχέσει *quà homines ſunt, à quibus Deus fidem exigere vult*. At hoc ipſum novit eſſe ex articulis maximè controverſis inter nos. Dum itaque id ſupponit, non ratiocinatur, ſed petit τὸ ἐν ἀρχῇ. Immò homines *quà homines* ſub iſta σχέσει *reduplicativè* ſatisfactione haudquaquam opus habent, non magis quàm Adamus integer, ſed tantùm homines quà peccatores & quà rei. Adde, fidem Deum ab innumeris exigere noluiſſe, immò iis ne objectum quidem credendum, quod eſt Chriſtus Mediator, unquam revelâſſe. Innumeris etiam tale quid ne per ætatem quidem revelari potuit, vel fides ab iis exigi. 2. Hoc ipſum contrarium eſt ſententiæ Animadverſoris. Nec enim Chriſtus ſatisfecit pro mundo hominum ſub ea σχέσει, *quà homines ſunt*, ſed *quà fideles* ſunt, quum eum pro infidelibus haudquaquam ſatisfeciſſe velit. Si dicat, illum ſatisfeciſſe pro *mundo invitando ad fidem*, primò innumeri qui exſpirârunt antequam Chriſtus ſatisfaceret, partim planè non invitati ad fidem fuêre, partim in incredulitate exſtincti fuêre, adeóque pro illis Chriſtus nec ſatisfecit, nec ſatisfacere debuit. Secundò, ſatisfacere pro mundo invitando ad fidem, non eſt ſatisfacere pro omnibus & ſolis credentibus. Aliud enim eſt, invitare ad fidem, aliud, iſtam invitationem fide excipere & credere, plurimi verò, ut notum, invitantur à verbi Miniſtris, qui tamen non veniunt nec credunt. 3. Quid magis dilutum, quàm Chriſtum pro mundo ſatisfacientem introducere, *quatenus ſignificat iſta vox univerſitatem omnium hominum, à quibus Deus fidem exigere vult, & quos nondum ita tractat, quaſi eam certò præſtaturi* (dicere voluit *præſtituri*) *ſint, vel præſtare detrectaturi*! An falſæ id genus notiones ſine ulla probatione nobis obtrudendæ, & Chriſto affingendæ ſunt? Huic verò Magiſtro nondum Lectores ita fidem ſuam addixêre, ut ſufficiat τὸ αὐτὸς ἔφα. Si etiam Deus homines conſiderat, quà
fidem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

fidem ab illis exigere vult, non conſiderare poteſt univerſalitatem hominum tantùm ſub ea σχέσει, *quà homines ſunt*. ſic enim conſiderantur non quà homines *reduplicativè*, ſed *ſpecificativè*, quà homines & rei & miſeri, & per fidem in Servatorem erigendi. Quid abſurdius etiam quàm Chriſto morituro homines omnes objicere ſub tali σχέσει ſub qua ei ſine falſitate objici non poterant? Annon cogitatio Chriſti non tantùm cum errore conjuncta fuiſſet, ſed etiam cum ſtupore, abſit blaſphemia, ſi illos ut tales conſideraſſet? Annon inter homines, qui ante Chriſti ſatisfactionem expirârant, myriades multæ fuêre planè non invitatæ ad fidem in Chriſtum, quibus objectum iſtud credendum nunquam propoſitum, ut quod in ſolo verbo proponitur, adeóque quorum innumeri in *incrudelitate* etjam *negativâ* exſpirârunt? Annon plurimis ne τὸ γνωστὸν quidem Dei objici potuit, adeóque nullum planè objectum amplectendum, quippe qui eâ ætate abrepti fuêre, quæ nullius objecti cognoſcendi capax erat? Annon plurimi actu ad Meſſiam invitati fuerunt, ſed jam exſpiraverant in *incredulitate privativa*. Quum itaque myriades plurimæ hominum jam actu exſtinctæ eſſent in incredulitate, & actu jam æternis ſuppliciis addictæ, dicere, Chriſtum voluiſſe ſatisfacere pro univerſalitate hominum à quibus Deus fidem exigere vult, & quos nondum ita tractat, quaſi certò eam præſtituri ſint, vel præſtare detrectaturi, eſt proſtituere fidem Chriſtianam, & Chriſtum exponere probro, ſatisfactionem verò ejus ludibrio. Exceptiones Animadverſoris à nobis diſcuſſæ Parte I. cap. XVIII. An Principi vel non inſano vel non ſtupido affingi deberet voluntas lytri exſolvendi pro plurimis velut invitandis ad officium præſtandum, quos nôſſet expirâſſe non tantùm ſine ejus præſtatione, ſed & in contemptu ejus pertinace? An beati etiam ante Chriſti mortem nondum ita tractantur ut ii qui præſtitêre conditionem! An Chriſtus, qui noverat ſatisfactionem ſuam myriadibus multis, nec ante ejus præſtationem, nec poſt eam revelandam, imò à nemine cui revelatur, fide excipi poſſe, niſi cui fidem dare velit, voluerit verò donum iſtud innumeris denegare, & ſolis electis ſuis largiri, tamen pro omnibus & ſingulis ſub iſta conditione ſatisfacere voluit, ut eam haberent? An Chriſtus etiam *indefinitè* pro univerſitate hominum mori voluit, ſine notitia definita eorum qui conditionem præſtituri eſſent, vel non? Annon omnia ei nota ab æterno? Annon etiam ſatisfactio velut *æqualiter* pro omnibus obita nobis hîc denuò reponitur ab Animadverſore? Scilicet etiam Chriſtus pro iis qui Euangelium actu rejecerant, vel certo id erant rejecturi preces fundere noluit, ſanguinem tamen pro iiſdem fundere voluit, & quando preces fudit, conſideravit eos ut qui jam actu Euangelium rejeciſſent, vel id

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

certò erant rejecturi, quando verò ſanguinem fudit, in poſteriori actu oblitus fuit, quales eſſent & quales eſſent futuri, vel eos ſaltem non conſiderare voluit, quales eſſent, ſed quales non eſſent! Quid portentoſius iſtâ licentiâ Scripturam ita torquendi, & Chriſti Servatoris majeſtatem proſtituendi & deprimendi infrà humanam & mediocrem etiam ſapientiam? Dicamus potius, Chriſtum ſatisfacturum æquè ac precaturum non tantùm nôſſe quales fuiſſent homines, & quales eſſent futuri, ſed & eos conſiderâſſe ut tales. Quum ergo nôſſet innumeros expirâſſe in incredulitate, alios certò in eâ exſpiraturos, ab innumeris etiam fidem in ſe nunquam exactam eſſe, nec exigendam, nihil ab omni veritate alienius quàm fingere & conſiderationem & ſatisfactionem univerſalem ſub conditione. An Electorum etiam non facta ſecretio, antequam Chriſtus mortem oppeteret? An ergò eam ſpectare non debuit? An debuit pro inevitabiliter incredulis & inevitabiliter damnandis ſatisfacere ſub conditione ut credant, quos novit eo ipſo quia *præteriti* erant, tales neceſſariò eſſe & futuros, ex ipſius Animadverſoris ſententia? Et quum Chriſtus, ſecundùm eundem debuerit ſingularem habere curam ſuarum ovium, annon ſecretionem illam ſpectavit & per eam ſecretos? 6. Adde, Chriſtum futurum poſt ſe mundum aliquâ ſaltem probabilitate dici poſſe conſiderâſſe prout nondum crediderat, vel prout nondum credere erat dedignatus, antecedentem tamen mundum, qui vixit ante ſuam ſatisfactionem, ſine abſurditate evidentiſſima ita conſiderare non potuit. 2. Si Chriſtus etiam preces pro mundo fundere noluit, & non potuit, prout & conſtiterat, & conſtabat, & conſtiturus erat ex inevitabiliter incredulis, ſic & noluit & non potuit pro eo ſub eadem σχέσει fundere ſanguinem. 8. Cui bono etiam Chriſtus ſanguinem fudiſſet pro talibus ſine fuſione precum, quâ ſolâ poterat illis applicari & utilis reddi iſta ſanguinis fuſio? 9. Adde, Chriſtum oppoſitionem expreſſam facere inter *mundum* & *datos ſibi à Patre*, & teſtari, ſe pro illo preces non fundere, ſed pro datis ſibi à Patre, hoc eſt, pro electis. Cur ergo diſſociamus actus ſacerdotales Chriſti & ἱλασμὸν illis deputamus, quibus Chriſtus ἐμφανισμὸν ſuum apud Patrem deputatum noluit. Iſti verò actus neceſſariò ſunt conjungendi, & ut conjunctim præſtiti fuêre à typo, conjunctim etiam præſtari debebant à perſona typo deſignata. Ex his patet, falſiſſimum eſſe, quod ſupponit Animadverſor mundum à Chriſto ſatisfaciente conſideratum fuiſſe in univerſitate hominum, qui nondùm vel crediderunt, vel credere ſunt dedignati, nec eos ſub eâ σχέσει ſpectatos, ſed quà homines. Imò, ſi Chriſtus noluit *precari pro mundo*, ut inquit Animadverſor, *poſteriori modo*, pro ut conſideratur ut multitudo incredulorum, qui vel actu Euangelium rejecerunt

cerunt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

cerunt, vel conſiderantur ut certò id rejecturi ſunt, & ut electorum ab iis jam ſecretio facta eſt, noluit etiam pro eo ſub iſta conſideratione mori. 10. Declinat Animadverſor vim argumenti noſtri, & cauſam ſuam prodit, dum rationem reddit, *cur* mundus locum habere non potuerit in Oratione Chriſti, nec enim de ratione ejus in precibus Chriſti prætermitti ambigimus, ut qui id ipſum impingimus Animadverſori. Eadem verò ratio ob quam locum habere non potuit in oratione Chriſti, in cauſa eſt, cur locum habere non potuerit in ſatisfactione Chriſti. Vt enim excludi debebant à precatione Chriſti, qui nec crediderant nec credituri erant, & qui ſub eâ σχέσει conſiderabantur, ſic eadem de cauſa excludi debebant à ſatisfactione Chriſti, quum ea nonniſi ſub conditione fidei præſtita ab ipſo Animadverſore ſtatuatur, præſertim quum actus fuſi ſanguinis poſterior fuerit, & exiguo intervallo ſequutus priorem, hoc eſt, fuſionem precum. Quod nemo apud ſe expendet, quin abſurditatem σχέσεων iſtarum ab Animadverſore conſtitutarum deprehendat evidenter. 11. Nec evadet nobis Animadverſor argutatione iſtâ, Chriſtum cum precaretur, *pro conſervatione fidei electorum, qui jam vel crediderant, vel credituri erant, precatum fuiſſe, in oratione itaque illa locum habere non potuiſſe eos qui nec crediderant nec credituri erant*, idem enim de ſatisfactione urgeri poteſt, nimirum Chriſtum cum ſatisfaceret, pro iis duntaxat ſatisfacere voluiſſe qui jam vel crediderant vel credituri erant, quia tantùm ſub conditione fidei, ſecundùm ipſum Animadverſorem, ſatisfacere debuit. Adde, Chriſtum non tantùm precari pro conſervatione fidei jam credentium, ſed & pro datione fidei reſpectu crediturorum. Et diſertè Chriſtus docet finem miſſionis ſuæ eſſe, *ut det vitam æternam.* Quibus verò? His nimirum ſolis quos Pater ei dedit. Quî verò illis hîc dat vitam æternam? Quatenus iis dat, ut cognoſcant Patrem eſſe illum ſolum verum Deum, & quem miſit Jeſum Chriſtum. Ideò illis ſe manifeſtum feciſſe nomen Patris, inquit, quos Pater ei dedit è mundo, & ſe verba Patris eis tradidiſſe. Pro his, addit, ſe rogare, non pro mundo, & rationem precationis ſuæ pro aliis addit, non quia crediderant, ſed quia Pater eos ſibi dederit, & quia Patris ſint. Rogat etiam Chriſtus, ut Pater illos ſervet, ut ſint unum, ut Deus eos ſanctificet ſuâ veritate, hoc eſt, ſermone ſuo. Sic rogat pro *crediturìs* per ſermonem diſcipulorum, non ergo pro ſola conſervatione fidei jam datæ, ſed & pro collatione fidei nondum datæ, reſpectu illorum quibus nomen Patris notum facturus erat. Pone ergo eum rogare Patrem pro Apoſtolis qui jam crediderant, ut conſervarentur in fide, rogat tamen etiam pro iis qui nondum crediderant, ſed credituri tantùm erant, ut Deus illis daret τὸ credere. Si ita-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

que voluiſſet Chriſtus ſatisfacere pro mundo conſiderato in iſta univer-ſitate hominum, pro eodem voluiſſet ſub eâdem σχέσει precari. Et ſi ſub alia σχέσει incredulitatis pro Mundo orare noluit, pro eodem noluit ſatis-facere ſub eadem σχέσει! An iis pro quibus majus præſtitùm voluit, fu-ſionem nimirum ſanguinis ſui, pro iis præſtitum noluit minus, nimirum fuſionem precum? 12. Si abſurdum ſit, aliquid conſervari quod nec eſt, nec futurum eſt in æternum; abſurdum etiam eſt, aliquid impetrari vel acquiri ſub conditione, quod nec eſt, nec futurum eſt in æternum, & quod acquirens novit, nec futurum, nec fieri poſſe. Præterquam quod ſemper ſupponitur pro ſola conſervatione fidei jam credentium Chriſto ſermonem eſſe, & precum fuſionem inutilem, abſurdam eſſe, effuſionem verò ſanguinis inutilem, abſurdam non eſſe; nec ullâ ratione probatur, magis in ſatisfactione quàm in precatione Chriſti locum eſſe non ele-ctis. Ex iſtis omnibus conſtabit Lectori, an putidæ iſtæ argutatiunculæ contradictionibus & abſurdis fœtæ Epiphonemate iſto ſplendido claudi debuerint: *An putem ſe ſe nunquam de refellendis argumentis illis cogitaviſſe, ut poſtquam à centum aliis ante me in medium adducta ſunt, ea tanquam nova pro-feram, nullis armis nullo robore communita.* Non dubitavi ſanè, quin de his etiam argumentis refellendis cogitâſſet, quamvis præſtitiſſet eum de iis potius confirmandis cogitâſſe, ſed ſimul pro certo ſcio, & ex reſponſio-nibus ipſius video, eum fruſtra de declinando iſto loco cogitâſſe, & cru-cem ipſi fixam, quam nunquam evellet, quum varia abſurda ad eum ali-quâ ſaltem ſpecie expediendum congerere cogatur. Cogitârunt etiam de eodem argumento Remonſtrantes, ſed utut longè plauſibiliora oppo-nant, hærebit tamen lateri eorum æquè ac Animadverſoris telum iſtud nullâ arte evellendum. In eo verò non pudoris ſed gloriæ materiam quæ-ro, quod Animadverſor hîc à Theologorum Orthodoxorum partibus abeat, qui hunc locum juxta mecum in Synodo Dordracena oppoſuêre conſtanter univerſalitati ſatisfactionis; Stet verò à partibus eorum qui locum ab Orthodoxis ipſis oppoſitum variis ſtrophis pervertere nitun-tur, ad quorum etiam cotem ſecurim ſuam ſubegit Animadverſor. De conſenſu itaque cum Theologis illis Orthodoxis non parum mihi gra-tulor, gratuletur ſibi noſter Animadverſor, quod & eadem cum Remon-ſtrantibus loca nobis objiciat pro Vniverſalitate Gratiæ ſuæ, & eadem tela ſibi oppoſita cum illis evellere conetur. Quo argumento verò doce-bit à me *tanquam nova talia* putata? Vetera mihi ſemper plus placuêre novis, & dicta indictis; Vtinam & eadem mens ſederet Animadverſori! Præſtat ſanè callem tritum ſequi, ubi tuta veſtigia, quàm ſemitam quæ-rere novam ad præcipitium. Fruſtrà etiam queritur, talia à me proferri,

nullis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

nullis armis, nullo novo robore communita. Nec enim verba Chriſti ita evidentia hominum robore vel humanis munimentis opus habent; Soli non opus eſt face, nec hic radio ſolari. Satis etiam, à nobis excuti arma adverſaria, & robur gigantéum verbis apertiſſimis Chriſti oppoſitum. Experiatur Animadverſor, an abſurdam illam diſtinctionem ſuam ab armis noſtris ullo vindicare acumine poſſit. Experietur viciſſim nos munimenta nobis objecta, favente Deo, cujus cauſam nos hîc tueri perſuaſiſſimi ſumus, validis & fortibus arietibus dejecturos. Id ſanè permirum videri poſſit hominibus, qui nondum vel rationis uſum vel pudoris proſcripſêre, ſibi imaginari etiam poſſe, Chriſtum pro illis ſanguinem fundere voluiſſe, quibus voces aliquot denegatas voluit, imò quos teſtatur diſertiſſimis verbis, *ſe nunquam noviſſe.* Spectet verò Lector in tabellâ ſublimem iſtam Animadverſoris Theologiam. Si quis diceret, Principem omnes ſuos ſubditos rebelles velle liberare è poteſtate hoſtis & promittere pretioſiſſimum λύτρον ad id conficiendum, Principem etiam conſiderare ſimpliciter ſubditos ſuos quà tales, ita tamen ut certam conditionem quam ipſis præcepturus eſſet, præſtarent. Exſpirârint verò innumeri in poteſtate hoſtis, ante ipſum λύτρον actu exſolutum, non tantùm ſine præſtatione conditionis imperatæ, ſed & multi ex illis ſine ulla iſtius tum beneficii ſibi à Principe deſtinati, tum medii à Principe adhibiti, tum conditionis à ſe præſtandæ notitia, & quidem ante revelationem iſtius ſuæ voluntatis ipſis factam à Principe, ſine quâ tamen impoſſibile eſſet iſto beneficio potiri. Alii ex ſubditis illis notam quidem haberent conditionem iſtam, ſed deſtituerentur dexteritate vel animi vel corporis ad conditionem præſtandam neceſſariâ, & in hoc etiam ſtatu exſpirarent, cum averſione etiam à conditione ipſa præſtanda. Alii minori præ illis numero conditionem illam præſtarent, & quidem ex ſingulari dono Principis, à quo ſolo penderet conditionis & revelatio & dexteritatis ejus præſtandæ conceſſio. An quæſo ſeriò dici poſſet, Principem illum poſt talium mortem non tantùm in ignorantione, ſed & in contemptu & neglectu conditionis, velle actu λύτρον, quod ſub conditione tantùm pro illis ſpoponderat, exſolvere, quum tamen conditionis iſtius defectus Principem planè liberet ab illa ſponſione conditionali? An dici etiam poſſet, eundem Principem, ante lytri illius exſolutionem nolle præſtare actum longè faciliorem pro iſtis hominibus, velle tamen Filium ſuum ſanguinem pro iis fundere, quamvis ſciret Princeps ſanguinis à Filio ſuo effundendi efficaciam ab actu illo faciliore totam pendere. An Principem hîc vel à ſtupore, vel à ludibrio liberaret, qui diceret, eum quidem λύτρον pendere velle pro ſubditis ſuis quà talibus, ſed nolle actum iſtum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

faciliorem præſtare, eò quod illos conſideret ut rebelles, quum niſi rebelles fuiſſent, non caſuri fuiſſent in manus hoſtium ſuorum, nec opus habituri λύτρῳ præſertim ſi illius ipſius conditionis à Principe exactæ vel ignoratio vel neglectus eam præſtandi eſſet pars miſeriæ illorum, quâ laborarent. Et quî dici poſſet ſubditos illos conſiderari à Principe quà rebelles in priore & faciliore actu, ob quam conſiderationem pro iis non præſtetur, eos verò conſiderari tanquam ſubditos in actu poſteriori & longè graviori, adeóque eum pro illis præſtari. Et cur Princeps in priori actu potius cogitaret de rebellione quàm in poſteriori, quum tamen ſolutio λύτρου potiſſimùm pro rebellione illâ exſolvi ſupponeretur? Non dubito, quin qui talia Principi affingere auderet, eum ludibrium omnibus debere vellet, & à Principe pro ſapientiſſimo iſto conſilio ſibi tributo tribus notaretur litteris. Quid magis etiam dilutum in ἀποδόσει, quàm ſimul ſemelque Chriſtum voluiſſe pro omnibus ſanguinem fundere, non preces! Vel enim in utroque actu conſideravit eos quales erant, vel non: Si prius, rebellio non magis eos excludere poterat à precum fuſione, quàm à fuſione ſanguinis, ſi poſterius, conſideratio Chriſti falſa fuit, & aliena ab objecti ratione. Probabilius etiam longè dici poſſet, Chriſtum pro talibus voluiſſe primum actum edere, quando illos conſideravit ut homines ſimpliciter, noluiſſe verò poſteriorem, quando illos conſideravit ut rebelles, vel incredulos, præſuppoſitâ etiam conſideratione rebellionis & incredulitatis in oratione anteriore, iſtius σχέσεως planè obliviſci in actu poſteriore, eſt Chriſto affingere oblivionem parùm decoram, vel conſiderationem objecti non quale eſt, ſed quale non eſt. Vel enim deſinent eſſe increduli inter actum orandi & actum fundendi ſanguinem, vel non: Si deſierint eſſe tales, ſanguis pro iis erat fundendus, ſi non deſierint, ſanguis pro iis fundendus non erat. Et quum ſanguis fuſus fuerit tantùm ſub conditione fidei, non potuit fundi pro iis quos Chriſtus & conditione iſta deſtitutos exſpiràſſe, & ſine ejus præſtatione exſpiraturos certò prævidit. Et quomodo, qui non obſtante iſtâ infidelitate potuêre eſſe objectum fuſi ſanguinis, non potuêre eſſe objectum fundendarum precum, quum tamen preces ad id præcipuè eſſent comparatæ, ut ex iis penderet ſucceſſus fuſi ſanguinis, nec vel illi infideles manerent, pro quibus ſanguis fundendus erat, vel ut in fide confirmarentur. Doceat nos etiam ullâ ratione probabili Animadverſor, cur Chriſtus moriens illos conſideraverit, ut incredulos, non verò Chriſtus orans, quum tamen iſte actus prior fuerit illo? Vel ergò in priore actu à Chriſto non potuêre conſiderari ut tales, vel conſiderari etiam debuêre in poſteriori. Si non aliter cogitet Animadverſor de argumentis refellendis, vel uſum

ſenſus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

ſenſus communis, non rationis tantùm à Diſputationibus eliminandum cenſebit, vel cogitationes id genus ad Anticyras relegandæ ſunt, quæ Chriſto affingunt actus vix à ſtupore vel ludibrio abſolvendos.

X. Et quia objeceram, ex ipſiuſmet Animadverſoris ſententia ſequi, illud objectum Euangelicum eſſe determinatum ad certa individua, electos ſcilicet, quibus ſolis Deus largitur ut credant, & per πρόληψιν occupaveram exceptionem quæ ab Animadverſore opponi poſſet, determinationem illam conſiſtere in *interiore applicatione*, non verò *in propoſitione & oblatione externâ*, ſubjeceram etiam, eò ipſo ſalutarem ejus fructum determinari, ad certa quædam individua, quippe qui ſine interiore iſtâ applicatione obtineri non poteſt, quam Deus certis hominibus duntaxat ab æterno deſtinavit: Hîc 1. *Perſpicaciam* mihi tribuit, quod in lucro deputandum, nec enim iſta emblemata frequentia ſunt in ipſius opere. 2. Interpretem verborum meorum ſine cauſa agit, & quæ paucis & clarè dixi, impeditè & per ſoriten quendam ſibi efferenda duxit. Haudquaquam verò opus erat interprete in re planâ, & quidem obſcuriore à me dictis. 3. *Compagem* meæ Interpretationis *luxandam uno verbulo* ait *confundi* minimum *duo diſpenſationis Euangelicæ capita de quibus* Calvinus *loquitur: Eorum prius habere promiſſiones univerſales & conditionatas, poſterius peculiares & abſolutas. Hoc ad Electionem pertinere, illud minimè.* Quàm oppoſita ſit iſta nota, judicet Lector! Scilicet duo iſta capita ſunt neceſſaria, ut homo poſſit ſalvari, quod ne ipſe quidem diffitebitur, unum tamen duntaxat ex illis univerſale eſt, promiſſio nimirum conditionata, alterum conditionis videlicet ipſius largitio, non item, ſine cujus tamen univerſalitate prius nonniſi in exitium illi cedere poteſt, cui offertur. Intereà Deus primum caput tantùm univerſale reddendo, alterum verò particulare duntaxat, omnes & ſingulos ſalvatos voluit, ſi Animadverſorem audimus. Quamvis ne primum quidem plurimis myriadibus hominum revelatum voluerit. Ferrei & oris & ſtomachi illum eſſe oportet, qui iſta cum univerſali voluntate omnes & ſingulos ſalvandi concoquere poſſit. Proponatur reis, lethaliter ſauciis, vel furcæ vel triremium candidatis univerſalis promiſſio de eorum liberatione, ſub conditione ne ſint rei, vel ſaucii, nec detur illis liberatio à reatu vel vulneribus, an illi ex iſta promiſſione gaudii materiam habebunt, an verò doloris, & deſperationis potius? Adde, ſupponi ab Animadverſore ſplendidè, promiſſiones univerſales eo quo illas intelligit ſenſu, eſſe caput unum diſpenſationis Euangelicæ, quod eſt ſupponere, circulum habere angulos, & ſaxum eſſe animal. Annon verò hoc eſt ipſum ἀμφισβητούμενον inter nos, an promiſſiones ſalutis ſint univerſales, eo quem fingit ſenſu? Et ſi duo ſint Euan-

gelicæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

gelicæ diſpenſationis capita, vel integra diſpenſatio Euangelica non pertinet ad omnes & ſingulos, vel ſi pertinet, debet etiam omnibus conditionis gratia fieri æquè ac promiſſionis. Videat jam Lector, quî compagem meæ interpretationis luxârit Animadverſor. Si applicatio interna objecti Euangelici determinata eſt ad certa individua, & ſine illa ſalutaris ejus fructus obtineri nequit, ſequitur illud ipſum non proponi omnibus & ſingulis hominibus cum intentione ſalutis. Verum prius: Ergo & poſterius. Quid jam ad hoc argumentum ſolvendum facit, dicere, eſſe duo Euangelicæ capita, unum habere promiſſiones univerſales & abſolutas, alterum particulares & conditionatas, quia quum de applicatione iſtâ internâ conſtet, eam particularem eſſe, per promiſſionem univerſalem ſanè omnibus & ſingulis ſalus intendi non poteſt.

XI. Nec felicior eſt Animadverſor in iis quæ ſubjicit: *Reſpondemus igitur*, inquit, *voluntatem divinam eſſe circa objectum Euangelicum duobus modis, primùm ut id conſtitueret univerſale & conditionale, Deinde ut decerneret, non ejus univerſalem naturam limitate in ſe, aut charactere aliquo inſignire, quo prius ab hoc quàm ab illo dignoſceretur, ſed fecére ut quod in ſe univerſale eſt, & indiſtinctum, à certis quibuſdum particularibus apprehendatur.* Annon verò eo ipſo reponit nobis Animadverſor. 1. πρῶτον ψεῦδος ſuum, Deum conſtituiſſe objectum Euangelicum univerſale & conditionale. 2. Quum objectum iſtud Euangelicum naturam univerſalem non habeat, ſenſu Animadverſoris, utique in ſe limitari non debet. 3. Eo ipſo quia Deus facit ut objectum iſtud à certis quibuſdam particularibus duntaxat apprehendatur, & niſi Deus id faciat, à nemine apprehendi poteſt, eo ipſo voluit id particulare eſſe, non univerſale, nec fructum ejus ſalutarem ad alios extendi quàm electos. Vniverſalitas ſola datur ratione nexus inſolubilis inter fidem & ſalutem, non verò ratione intentionis Dei, vel de objecto Euangelico omnibus & ſingulis proponendo, vel de omnibus & ſingulis per id ſalvandis. Et quid abſurdius, quàm ſtatuere, Deum primò objectum Euangelicum conſtituere univerſale, quamvis ſciat id hac ratione non poſſe non carere omni effectu ſalutari, deinde facere velle, ut quod eſt univerſale in ſe, id à certis particularibus apprehendatur, quibus ſolis ſalutare ſit, & eſſe poſſit? An aliquid etiam indiſtinctum reſpectu Dei? Addit Animadverſor ſimile: *Vt ſi Deus*, inquit, *primum condidiſſet Solem ut vivificam lucem omnibus ſuppeditaret, modò oculos aperire velint: deinde quia prævidiſſet fore ut omnes homines, ſi ſibi permitterentur, nolint oculos aperire, decreviſſet dare nonnullis voluntatem oculos aperiendi. Poſterior hæcce diſpenſatio naturam Solis non immutat in ſe, neque facit quominus maneat omnibus universè deſtinatus, modò*

oculos

oculos aperire non nolint: hoc tantùm facit, ut quod eſt univerſale in ſe, uſurpetur aut videatur actu à nonnullis. At illi nonnulli cùm ſolem intuentur, nihil, opinor, in eo vident, non maculam, non characterem, quo eum ad ſe plus quàm ad alios pertinere judicent, ſi modò ejus uſuram non aſpernarentur. Et quum primùm oculos aperuerunt, haud aliter de eo admirabili objecto exiſtimârunt, niſi eſſe illud omnibus universè, ſi modò oculos aperire velint, illuminandis & vivificandis ſumma Dei *benignitate deſtinatum. Aliud eſt igitur objecti determinatio in ſe, aliud ejus actualis applicatio ad nonnullos. Determinatio objecti in ſe pendet ex aliquâ operatione per quam ita inſigniatur, ut præ ſe ferat ſe eſſe deſtinatum non ad omnes, ſed ad certos quoſdam. Ejus actualis applicatio pendet ex alia operatione per quam nonnulli diſponuntur ita ut objectum ad ſe rapiant, quod eſt omnibus communiter oblatum. Poſterius fieri concedimus & juxta cum Viro docto docemus. Prius, de quo diſputatur, ne Vir doctus ipſe quidem affirmare auderet.* At ſi quicquam adverſum eſt & Theologiæ Animadverſoris, & ſanæ rationi, hoc ipſum eſt. Nam 1. An ſi Deus præſciret omnes eſſe cæcos, ſapientem conderet Solem, ut vivificum lumen omnibus ſuppeditaret ſub hac conditione, modò oculos aperirent, quos tamen nôſſet eos aperire non poſſe? Idem itaque omnibus univerſè deſtinatum dicere, ſub hac conditione, paulò minus eſt, quàm inſanire, ſi illi ſupponantur omnes cæci eſſe, quod hîc ſupponitur. 2. An etiam Deo omnium conſcio utpote omnium directori abſurdi & præpoſteri id genus actus adſcribendi ſunt, ut primò condat ſolem, ſub iſtâ conditione omnium illuminationi deſtinatum, deinde prævideret fortè, ut omnes nolint oculos aperire? Annon enim hoc ipſum jam prævidit in creatione & deſtinatione Solis ipſius, vel cœpit id diſcere ex poſt facto demum, aut tum demum de eo cogitare? 3. An etiam prævidit Deus tantùm, cæcos nolle oculos aperire, & non etiam, cæcos iſtos oculos non poſſe aperire, nec id velle poſſe? 4. Annon etiam, quia nonnullis duntaxat decrevit dare voluntatem oculos aperiendi, eo ipſo ſolem illum nonnullorum tantùm illuminationi ſervire voluit? 5. Petitur τὸ ἐν ἀρχῇ, Solem omnibus univerſè deſtinatum eſſe, cæcis æquè ac videntibus. Si quis de cæcis id affirmet, ille & cæcis & videntibus ludibrium debebit. 6. Rhetoricatio iſta inanis eſt, quid illi qui oculos aperiunt, in Sole videant, quod cum ad ſe plusquàm ad alios pertinere judicent. Nec enim hîc vel maculâ ad id opus, vel charactere; ſatis eſt, tales judicent, lumen iſtius Solis proportionem habere cum oculis ſibi à Deo datis, non verò cum oculis cæcorum, ſibi itaque & ſui ordinis hominibus, hoc eſt, videntibus lumen illud deſtinatum, haudquaquam verò cum iis qui oculos aperire non poſſunt, præſertim cum oculos ſibi poſt cæcitatem antecedentem donatos ſentiant, multis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

aliis non item. Nec quiſquam adeò obbrutuit, qui ſi videat cæcorum turbam Pariſiis in Honorii vico ſtabulantem, & ſolem ſimul contempletur, judicet ſolem iſtum cæcis illis à Deo deſtinatum eſſe, eo quod ſi oculos aperirent, futurum eſſet ut ſolem intuerentur. Satis enim judicari, iſtos homines inevitabiliter per naturam cæcos eſſe, & lumen Solis exigere diſpoſitionem planè diverſam oculorum, ut iis illabi poſſit, quæ nunquam in talibus detur vel dari poſſit, adeóque Deum lumen iſtud haudquaquam illorum illuminationi deſtinâſſe, quos in cæcitate iſtâ inde à nativitate etiam incidere voluit, nec ab eâ curare. Fruſtrà addit Animadverſor: *Aliud eſſe objecti determinationem in ſe, aliud, ejus actualem applicationem ad nonnullos.* At de quo objecto ſermo, annon de objecto applicando? Vel ergo Deus id omnibus applicatum voluit, vel non. Si prius & quidem *abſolutè*, omnibus applicabitur, *ſi ſub conditione*, quæ erit iſta conditio, quæ non ſit pars ipſius applicationis? ſi poſterius, objectum illud non eſt indeterminatum, ſed determinatum. Adde determinationem objecti in ſe vel indeterminationem non aliter melius à nobis colligi poſſe, quàm ex actuali ejus applicatione. Quum itaque determinetur ad applicationem, & iſta applicatio ſit particularis, deſtinatio etiam ejus talis eſt. Et quum objectum illud σχέσιν dicat ad eos quibus proponitur, non conſiderandum eſt, quale in ſe ſit, ſed quale ſit in ordine ad eos quibus proponitur, & à quibus applicari debet. Adde, determinationem objecti pendere ex operatione fidei, & eo ipſo patet, id non eſſe deſtinatum omnibus hominibus, ſed tantùm ſolis & omnibus credentibus, adeoque electis ſolis. Sic ſi Princeps gratiam ſuam reſtringeret ad certæ gazæ largitionem, Medicus curationem ad certi ſalarii præſtationem, illa & ex ſe determinata eſſent, & ratione applicationis. Sic & deſtinatio ſalutis talis eſt; ſuſpenſa à conditione fidei. Et quum actualis applicatio pendeat ex operatione Dei, per quam nonnulli diſponuntur, ut objectum ad ſe rapiant, & ſine iſtâ diſpoſitione, nemo objectum Euangelicum ad ſe rapere poteſt, id illis ſolìs deſtinatum eſt, quos Deus ita vult diſponere. Nec opus diſputare de determinatióne objecti in ſe, ſatis oſtendatur, determinationem fructus ſalutaris iſtius objecti ſuſpendi à fide, fidem à ſolâ Dei gratiâ ex electione fluente. Ad determinationem etiam iſtam objecti ſufficit verbum, omnes & ſolos credentes ſalvandos. Vnde patet eam ad illos qui non ſunt tales, haudquaquam pertinere. Nemo verò talis eſſe poteſt, qui non ſit electus. Et quis unquam dicet, objectum aliquod eſſe univerſale & indeterminatum, quod ſuſpenſum eſt à certâ conditione, quam objectum proponens voluit eſſe particularem & determinatam. Nec quicquam cauſæ, cur Animadverſor à nobis exigat operationem aliam determinantem objectum

Euan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

Euangelicum ad certos quosdam, præter ſuſpenſionem ejus à fide, & iſtius ab electione.

Finis Capitis Octavi.

CVm hucuſque progreſſæ fuiſſent operæ, in iis quæ Clariſ. Spanhemius *dum viveret, curaverat ex ſuo autographo, quod difficulter ab aliis legi poterat, deſcribi; & quod ab amanuenſibus deſcriptum fuerat ipſe recenſuiſſet uſque ad Cap.* VIII. *Secundæ Partis incluſivè, non potuerunt reliqua parari ad prælum, atque ita totum opus ad umbilicum perduci. Supereſt enim Partis Secundæ reliquum; cum aliis quæ apud ſe meditata & affecta habebat. In literis enim ejus, ad D. Andream Rivetum datis, 22 Ianuarii hujus anni 1649. totius ſuſcepti, & affecti operis, ſed nondum perfecti, diſpoſitionem ſic inſtituerat: idque ſequentibus verbis expoſuerat.*

Mitto ad te aliquot quaterniones Vindiciarum mearum, quos ut legere digneris demiſiſſimè precor, & me obſervationum tuarum & cenſurarum pro judicii tui ſoliditate, participem facias. Continent ferè dimidium Primæ Partis, vel plus dimidio. Reliqua ſtudioſi deſcribunt, quia autographum ſtatui ſervare, dum operæ Amſtelodami in deſcripto exemplari laborant, ut eo recurrere poſſim, cum ad me mittentur folia impreſſa, & eadem emendare. Typographiæ director, cui partem illam communicavi, exiſtimat non exceſſuram Alphabetum primum. Secunda interim deſcribitur. Non dubito quin judices me diffuſum nimis eſſe: ſed cùm mihi res ſit cum adverſario tam maligno, & cui objicio fugas ſuas & omiſſiones, credidi ei auferendam eſſe occaſionem pilam in me rejiciendi, & me eum debere perſequi κατὰ πόδα in utraque parte; ut oſtenderem me nihil obtegere vel diſſimulare, & omnibus ſatisfacere: Et quamvis *Secunda Pars*, quæ eorum exhibebit refutationem quæ pro ſuis Erotematis reponit, longior ſit; tamen non excedet totum opus tria Alphabeta cum dimidio, ita ut Volumen futurum ſit mediocre in Quarto. In ſecundam illam partem conjicio examen duarum partium animadverſionum ſpecialium in quibus tractat de V & XIII Erotemate, cum utrumque debuiſſet ſuo loco examinare. Ad eum ea revoco, & inter alia Erotemata examino. Poſt haſce duas partes abſolutas, addam Appendicem ſeu Mantiſſam, ubi, Deo volente, dabo obſervationes breves ſed ſufficientes in duas ejus prolixas Diatribas de τῷ γνωστῷ, & de *impotentia naturali & morali.* Libenter etiam eum ſequutus fuiſſem κατὰ πόδα, niſi metuiſſem ne voluminis moles nimis excreſceret. Credidi autem ſufficere ſi oſtenderem nunc in di-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

greſſiones inutiles excurrere,& aërem verberare,& vanè gloriari. Adjungam quicquid reale invenero in prima & ſecunda parte, *partis generalis* Animadverſionum. Quod ſpectat *obſervationes Grammaticales*; alius id munus in ſe ſuſcepit. Filius meus reliqua ſupplebit, ne quid intactum relinquatur.

Sic Vindiciarum ſuarum vir doctiſſimus ſummam deſcripſerat, quas morte præventus non abſolvit. Sufficient tamen quæ nunc dantur, ſi præſertim jungantur cum Epiſtola ad D. Matth. Cotterium; & examine Epiſt. Amyraldi expoſtulatoriæ, quod cum Synopſi doctrinæ Salmurienſis editum eſt. Ex iis facile docti & pii judicabunt, non fatigandos eſſe lectores, in re ſatis diſcuſſa, prolixioribus vindiciis, cum præſertim ipſe D. Amyraldus vix tertiam partem Exercitationum attigerit, & centum Erotemata diſſimulaverit, Specimine *contentus: cui ſaltem juſtè opponi poteſt Specimen hoc doctiſſimi Theologi, ut omnes agnoſcant, quàm facilè difflare potuiſſet omnia objecta, ſi Deus ei lucis longiorem uſuram reliquiſſet; qui eum vocare voluit* ad ſortem Sanctorum in Luce participandam.

Cum autem Hypothetici noſtri in Gallia, ad ea quæ de novo protulerunt, circa doctrinam de Naturâ & Gratia, & Prædeſtinatione ſanctorum, quibus Eccleſias noſtras turbârunt, prætexant ſtudium ſuum Pacis inter nos & Lutheranos conciliandæ, cujus causâ multa eis concedunt à noſtris hactenus negata; ut videant quàm in vanum laborent, non erit abs re ſi hîc iis & aliis ab oculos ponamus, quid de Moſis Amyraldi doctrina nuper judicârint Theologi Roſtochienſes; quod nobis nuper communicatum fuit, in libello, cui titulum fecerunt.

Primum falſum Calvini & Sociorum,

Septem diſput. publicis Adumbratum primò, deinde expreſſum, In Acad. Roſtochienſi

PRÆSIDE CASPARO MAVRITIO SS. Theol. Licentiato & Logic. Profeſſ. publico.

Conſentiente veneranda facult. Theologica in celeber. Acad. Roſtochienſi. Roſtochii Typis *Nicol. Kilii anno* 1649.

Diſput. 1. habita 31. Ianuar. *ubi diverſas quas putat noſtrorum ſententias ex ſuo ſenſu profert.*

THeſi 8. Quarta ſententia eſt Moſis Amyraldi Profeſſoris Salmurienſis ſtatuentis, Deum ſua φιλανθρωπίᾳ & generis humani miſericor-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

ricordiâ impulſum decreviſſe ab æterno filium ſuum in mundum mittere, qui præſtitâ pro peccatis ſatisfactione, remiſs. peccatorum & ſalutem æternam eâ lege omnibus acquireret, ſi ipſum per fidem amplecterentur, adeóque decretum de Electione non tantùm infra lapſum, ſed & infra univerſalem Dei miſericordiam, & filii miſſionem ponit. Hactenus rectiſſimè. Verùm dum addit præterea, Deum non amplius ſua φιλανθρωπίᾳ univerſali, ſed ſingulari quodam amoris genere impulſum, nonnullos ex univerſalitate hominum ſelegiſſe, quibus fidem indulgeret eo animo, ut eos ad ſalutem certiſſimè perduceret, adeò ut non voluerit amplius eos ſervare, modò credant; ſed ſtatuerit eos ad fidem adducere ut ſerventur: quia autem illa fieri non potuit quin reliqui præterirentur, præteritionem autem certò incredulitas ſecutura fuit, incredulitatem damnatio, quàm certa fuit electorum ſalus, tam infallibile fuiſſe præteritorum exitium & damnationem: Hæc inquam cum addit, priora evertit. Si enim Deus abſolutè quibusdam tantùm indulgere fidem voluit, patet quod noluerit omnium miſereri ad ſalutem. Quùm enim ſine fide nemo poſſit ſalvari, fides autem ab una Dei efficientia ſit, ut ipſe loquitur Amyraldus, iſtam porrò innumeris adhibere noluerit quos præteriit, ſequitur Deum eorum ad ſalutem miſereri noluiſſe.

Theſi 15. De Crocio agens;

Dum Crocius affectum Dei ab effectu avellit, id loquitur quod Eccleſiæ noſtræ deteſtantur. Neque eum juvat quod affectum in Deo ponat cum effectu quodam theſ. 113. meras enim tergiverſationes, ne dicam technas & fallacias loquitur, quas pariter Eccleſiæ noſtræ oderunt. Effectum enim de quo nunc ſermo eſt ſalutiferum non intelligit: hunc quippe deducit ex Electione theſ. 87 hoc eſt ſolis electis vendicat atque adſcribit. Pari modo *Salmurienſes* gratiam univerſalem fervidè defendunt, dicentes, Deum electis abſolutè benè velle, cæteris aliquouſque, illos efficaciter vocari, hos autem aliquo modo. *Si ſciam, Regem omnibus & ſingulis reis velle gratiam facere, ſciam verò teſſeram requiri, quam nec habeam ex me ipſo, nec habere poſſim, nec aliunde eam haberi poſſe, quàm à Rege, Regem tamen illam paucis largiri velle, non omnibus, annon eo ipſo fateri cogar, Regem vitæ gratiam omnibus facere nolle* &c. Quæ ſunt hypotheſi conſentanea *Spanhemii* verba Epiſt. citatæ pag. 90. vide & pag. 134.

Theſi 16. Si ex voluntate Patris loco omnium mortuus eſt Chriſtus ſufficienter, ſequitur etiam omnes redemptos eſſe. — Bremenſes & *Salmurienſes* hîc proximè ad nos videntur accedere. Verùm ut theſi præcedenti affectum gratiæ ab effectu divellebant, ita hic quoque merito Chri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

ſti univerſali effectus quosdam communes aſſignant, adeò ut planè alterius generis meritum ſit, de quo nos loquimur, & de quo illi, ſicut ſuos loco demonſtrabitur.

Theſi. 18. Ex luſtratis hactenus hypotheſibus fluit, gratiam Spiritu internam ſeu gratiam converſionis Chriſti merito partam ſeu Euangelium, tantùm electis à Deo deſtinari. Nos conjungimus, nec ullo modo patimur ſeparari φιλανθρωπίαν & gratiam divinam ab effectu ſalutifero, quem ſeriò & ſincerè in omnibus verbi auditoribus, etiam reprobis operari vult Deus, adeóque operaturus eſſet, niſi ipſi contumaciam novam opponerent. Sed & hîc exorbitant Bremenſes atque *Salmurienſes*. Crocius, ut plurimum nobis ὅμοια καὶ ἀνάλογα λαλῶν, ἀνόμοια δὲ καὶ ἀνώμαλα φρονῶν, quanquam hypotheſim communem miris modis palliet diſſert. XII. theſ. 22. & 72. levato tamen, quod ajunt velo rem gerere videtur diſſert. IX. Theſ. 12. & 72. Cum inquit, *voluntas efficaciter operandi fidem vel ea dicitur, quâ Deus efficaciter eam verbo ac Spiritu ſuo vult operari abſolutè* (en tibi Calvini hypotheſim) *ut quis actu credat; vel ea qua Deus verbo ac ſpiritu ſuo ita efficaciter vult operari, quemadmodum fert ratio fœderis oblati* &c. Priorem electis, poſteriorem etiam reprobis adſignat. Prior, reverà efficax eſt, quia fluit ex abſoluto decreto: poſterior efficax eſt tantùm ſecundùm dici, ut amplius ſuo loco demonſtrabitur. Ad eum modum Amyraldus valdè operoſus eſt in aſtruenda univerſali gratiâ, quam ipſe vocat *objectivam*, utpote quæ conſiſtit in propoſitione objectorum naturæ & fidei, objectum ſtatuens extrinſecus oblatum quod aptum natum ſit mentem illuſtrare cognitioni veri boni, offerri in Euangelio, & ea quoque ratione media ad ſalutem neceſſaria atque ſufficientia ſuppeditari. Sed recognoſcat quod ait, Diſſert. IV. *Illuminationem quæ fit intrinſecus, quæque facultatem diſponit ut in eam objectum admittatur, haud magis fieri per Euangelium, quàm ſi quis dicat, per radium Solis non offerri lucem tantùm, ſed etiam vitium cæcitatis à naturâ ejuſdem & oculis depelli.* Quibus verbis vim illuminantem quam Euangelio attribuebat, negat & deſtruit, adeóque quanquam exterius offerri omnibus & ſingulis gratiam nimioperè contendat, vim tamen illam Spiritus verticordiam ſeu quæ hominem convertit & intrinſecus illuminat ad ſalutem, ſolis electis deſtinatam eſſe, juxta cum aliis Calvinianis rigidiſſimis defendit.

Exercit. 2. *Theſi* 24.

Amyraldus qui integrum Tractatum pro defendendo Calvini abſoluto Reprob. decreto ſcripſit, diſp. ad Guil. VI. Land. Haſſ. *eos qui prætermittuntur in diſtributione illius gratiæ dicit duobus modis conſiderari poſſe, abſolutè*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

ſolutè ſcilicet in ſe, & comparatè cum electis. Et *abſolutè quidem ſi ſpectentur, quandoquidem, ut omnes fatentur, corruptiſſimi ſunt à naturâ atque inquinatiſſimi, omnino digni ſunt non modò ea præteritione, ſed etiam alio malo. Quamobrem nemini vel injuſtum vel durum videri debet, ea ſi ratione tractantur. Sin autem comparentur cum electis, quandoquidem omnes æque corrupti ſunt & inquinati adeóque digniſſimi qui prætermittantur omnes, quid cauſæ eſſe potuit, cur in illius gratiæ diſpenſatione alii præponerentur, alii verò poſtponerentur, niſi quod Deo ſic libuit? Abſolutum igitur decretum eſt eatenus, non quod digni non fuiſſent ea præteritione, ſed quod cum non magis ea digni eſſent quàm cæteri, præteriti tamen fuerunt electi.*

Hæc Amyraldus. Quæ ſi vera ſunt, nec abſolutum eſt Dei decretum de prætereundis certis hominibus, quippe præſupponens reatus originalis noxam, & inanis eſt diſtinctio inter reprobationem negativam ſeu præteritionis, atque poſitivam, ſeu cruciatus, cum utriuſque ſit eadem cauſa meritoria, nempe originis peccatum, quod non correctum, non poteſt non producere fructus maximis cruciatibus dignos.

Et paulò poſt ex Hulſemanno:

Differunt hi Calviniani Bremenſes, Salmurienſes à reliquis in hoc ſaltem: quod reliqui præ ſe ferunt Deum præterire reprobos abſque omni ineſcatione, factáque ſpe exeundi è perditione; id eſt abſque omni oblatione mediorum eluctandi. Hi autem docent Deum decreviſſe præterire reprobos, non ſine aliqua ineſcatione & figuratione ſpei de eluctando: decreviſſe tamen præterire eos collatione illius medii eluctandi, quod unicum & ſolum proportionatum eſt eluctationi, ut eo magis inexcuſabiles fiant, tantoque acerbius crucientur. Hunc finem enim intendi à Deo per collationem ſolius ſufficientis gratiæ docent cum Bremenſibus, Leydenſes Theol. in Cenſura Confeſſ. Remonſtr. cap. 13. Sect. 3. Et hoc decretum eſſe abſolutum. Vtri nunc reverentius de ſinceritate & bonitate Dei ſentiant, diſquirendum permittimus. His opponimus noſtram Theſin: *Decretum reprobationis non eſt abſolutum, ſed conditionatum, factum ſecundum præſcientiam finalis incredulitatis.*

Exercit. 3. *Sect.* 10.

Amyraldus in Erotematibus & alibi ſatis accuratè probat, Chriſtum omnium redemptorem eſſe, electis ſimul & reprobis à Deo deſtinatum, imò Chriſtum pro omnibus æqualiter eſſe mortuum dicere non dubitavit, quod tamen amplius ſe non dicturum promiſit Synodo Alençonenſi, ut teſtatur *Spanhemius* Epiſt. ad Cottierum pag. 60. Reſpondeo Amyraldum in explicanda ſententiâ ſua intricatum eſſe, iiſque uti diſtinctioni-

bus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

bus, ut nec ſuæ partis hominibus, multò minus nobis ſatisfaciat. Diſtinguit, citante *Spanhemio* tractatu de gratia univerſali pag. 723 *redemptionem à Chriſto factam, eamque duobus modis ait conſiderari debere, nimirum ut eſt abſoluta, quatenus eam quidam revera amplectuntur: deinde ut eſt affecta conditione, quatenus affertur ea lege; ut ſi quis eam amplectatur, ejus compos fiat. Priori modo particularis eſt, poſteriori, univerſalis. Pariter deſtinationis illius, qua deſtinatur hominibus redemptor Chriſtus, duplicem ait eſſe rationem, particularem, quatenus decretum de fide donanda conjunctum habet, univerſalem, quatenus decretum illud eſt; ſeparatum.* Hæc dum dicit, & alias diſtinctiones addit inter miſericordiam primam & ſecundam, duplicem item prædicationem Chriſti, unam per miniſterium Apoſtolorum, alteram per miniſterium providentiæ Dei conſervantis mundum; duplicem denique fidem, alteram ſine cognitione Chriſti, alteram cum Chriſti cognitione, rectè aſſerta corrumpit, atque κενοφωνίαις ϗ καινοφωνίαις mirum in modum turbat.

Idem in Corollario de Arminianis.

Triginta collegit Capita Errorum Remonſtrantium quos proprios appellat inter quos numeratur decimus error, quo

Pag. 84. Apol. Fatentur peccatum Adami à Deo imputatum dici poſſe poſteris ejus, quatenus Deus poſteros Adami eidem malo cui Adamus per peccatum obnoxium ſe reddidit, obnoxius naſci voluit: At nihil cogit dicere peccatum Adami poſteris fuiſſe ſic à Deo imputatum, quaſi Deus poſteros Adami reverà cenſuiſſet ejusdem cum Adamo peccati, & culpæ quam Adamus commiſerat, reos. Hoc eſſe contra ſcripturam, veritatem, ſapientiam, bonitatem, juſtitiam atque æquitatem divinam: contra peccati naturam, ut id cenſeatur peccatum, aut ut propriè in peccatum imputetur quod propria voluntate commiſſum non eſt &c. Summa, peccatum originale non habent pro peccato propriè dicto, quod poſteros Adami odio Dei reos faciat.

21. Pag. 121. Fidem in omnium poteſtate eſſe: impotentiam credendi à voluntate hominis ſola provenire, eamque *non tam phyſicam, quàm moralem eſſe impotentiam dicunt.*

Negant in regenitis ſemper carnem concupiſcere adverſus ſpiritum, ſi de actuali reluctatione ſit ſermo pag. 128. Vnde pag. ſequentibus contendunt cap. 7. ad Rom. rectè ab Arminio & Socino &c. de homine irregenito ejuſque lucta explicari.

Hæc conferre poterit lector cum novis Salmurienſium *placitis, de imputatione primi peccati, & argumentis quibus eam improbant à Pelagio & Socino deſumptis,* Item, *unde ſumpta ſit diſtinctio quam tertio quoque verbo uſurpant Hypothetici,*

Phyſicæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

Phyſicæ & moralis impotentiæ. Vnde etiam doctrina de Spiritu ſervitutis *prout eam explicant, ex Cap.* VII. *Epiſt. ad Romanos.*

Vacaturis in fine hujus octernionis aliquot pagellis, viſum eſt ex literis ex Germania allatis, pauca quædam hic addere, quæ maximè ad rem faciunt, ut omnes videant, non ſine cauſa his novitatum conatibus, à piis & orthodoxis viris reclamatum fuiſſe.

Ex Epiſt. Theod. Zuingeri Doctoris & Profeſſoris in Acad. Baſileenſi, & Eccleſiæ Antiſtitis, ſcripta ad Frid. *Spanhemium* 8 Septemb. 1648.

Non abſque faſtidio, addo etiam ſtomacho, Animadverſiones Amyraldi vel leviter perluſtravi. Dolui D. Rivetum Virum Maximum, cujus nomen propter præclara in Eccleſ. Orthodoxam merita & incomparabiles in ætate licet occidua in ipſo vernantes dotes, in Eccleſiis omnibus, in primis noſtris, concelebratiſſimum, tam indignis modis ab ipſo tractari. Vt taceam dicteria multa & ſarcaſmos quibus tanquam nebulis jubar & ſplendorem nominis tui conatur obtenebrare. Talibus machinamentis autor nunquam noſtras Eccleſias in ſuam pertrahet opinionem. Moles tota novas iſtius quam venditat Methodi videtur mihi incumbere in arenâ. Voluntati Dei atque τῇ φιλανθρωπίᾳ quantum ad æternam omnium hominum ſalutem conditionali, quæ ſit in Deo ad certum aliquod miſerationis omnium & ſingulorum hominum, cui ſubordinetur redemptio univerſalis per Chriſtum; vocatio item univerſalis, & quidem non tantùm per verbum ſcripturæ, ſed & Naturæ. Hanc voluntatem qui dicit eſſe in Deo is mihi facit Deum ipſum conditionatum, & per conſequens mutabilem: quia fingit Deum decreviſſe, & quidem ex voluntate & intentione ſalvandi; Homini ſalutem, redemptionem, & media alia ſalutis cum conditione aliqua in hominibus à Deo nunquam nec præviſa, nec decreta. An verò hæc ſit in Deo voluntas, magis hominem ſervandi quàm noluntas, & annon hoc ſit ludere cum Deo, & totam ſalutis noſtræ Oeconomiam, juxta hanc methodum, veteribus & novis Pelagianis deridendam propinare, ſi ego in talibus obeſior ſim, omnibus emunctioribus dijudicandum relinquo.

Ex literis MARCI FREDERICI VENDELINI *S. Theol. D. & Gymnaſii Anhaltini Rectoris acceptis poſt obitum Clariſſ. Spanh. qui accidit* 15 *Maij. ad eum ſcriptis.*

ADmodum Reverende, Excellentiſſ. &c.

Nominis tui memoriam ſæpè hactenus mihi renovârunt literæ Illuſtriſſ. Principis mei Domini *Chriſtiani* Principis Anhaltini &c. quas propriâ exaratas habeo. planè honorificam Rever. Dign. tuæ mentionem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

facientes. Abſque his etiam eſſet, latere apud nos celeberrimum nomen tuum non poſſet tot Eccleſiæ ſuæ monumentis commendatum. In quibus noviſſimæ exercitationes de gratiâ univerſali ſufficiente, contra Amyraldum Arminianum, qui Lutheranos quoque noſtros applauſores habet, & Epiſt. ad D. Cotterium in eadem controverſia mediatorem. Hæc ſcripta Illuſtriſſ. Princeps ad me miſit, meamque de iis ſententiam requiſivit. Meditatè omnia perlegi & planè conſona doctrinæ Palatinæ atque Belgicæ deprehendi, meóque Principi commendavi, quæ omnia in meis ſcriptis Theologicis ipſe quoque hactenus aſſerui, & contra Lutheranos defendi. Atque etiamnum, per Dei gratiam defendo; non obſtante quorumdam in Eccleſ. Berolinenſi & Bremenſi, qui orthodoxi haberi volunt, contradictione. Gallicas Eccleſias in Arminianorum Caſtra adeò apertè tranſiiſſe nunquam crediſſem, niſi Amyraldi ſcriptum abſque Gallicarum Eccleſiarum interceſſione, in publicam lucem prodiiſſe vidiſſem. Conſtantiſſimum Orthodoxiæ aſſertorem meritò veneramur D. Molinæum. Vtinam Arminianum virus in Eccleſias Belgicas iterum non irrepat, & ab Eccleſiis Gallicis tandem quoque exulet. Audio, & ex Epiſt. ad Cotterium intelligo, te occupari in Exercitationibus contra Amyraldum vindicandis. Deus adſit tibi ſua gratiâ, & faciat ut os contradicenti obturetur, ad nominis ſui gloriam & Eccleſiarum noſtrarum tranquillitatem. Serveſtæ Anhaltinorum 19 April. 1649.

FAllitur quidem vir doctus & pius, in eo quod *Gallicas Eccleſias in Arminianorum caſtra tranſiiſſe ſcribit*, quod etiam libros Amyraldi *abſque interceſſione Gallicarum Eccleſiarum in publicam lucem prodiiſſe* exiſtimat. Sed inde colligi poteſt, quàm pernicioſa ſit Eccleſiis illis, eorum audacia, qui ſcripta ſua procudunt, aut nulla approbatione munita, aut eorum tantùm qui in eadem culpa cum iis verſantur, & Eccleſiarum Gallicarum nomine abutuntur, commendatione. *Salmurienſes* Theologi & alii quidam pauci, Eccleſias Gallicas non conſtituunt, quæ hujuſmodi ſcripta prohibuerant.

Ex literis IOHANNIS HENRICI BISTERFELDII *nunc Sereniſſi. Principis Tranſſylvaniæ Conſiliarii intimi, & Eccleſiarum Tranſſyl. & Hungariæ inſpectoris, ad Andream Rivetum ſcriptis, Claudiopoli* 17 *April. ſtylo novo*, 1649.

MIror Amyraldum tantùm ſtrepitus facere, cùm nihil aliud habeat præter miſeras Sophiſticationes quibus gloriatur in reſponſo ſuo; Nihilominus ei obſiſtendum eſt cunctis viribus. Nihil enim aliud eſt, quàm malè interpolatus Arminianiſmus, tandem in Socinianiſmum mutandus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

Sequuntur publica Academiarum aliquot Fœderati Belgii de *Exercitationibus* Iudicia, quæ viſum quoque hic ſubjicere.

Facultatis Theologicæ Profeſſores in Academia Provinciali Groningæ & Omlandiæ, L. S.

QVam optandum eſt omnes in rebus Theologicis fidei & ſalutis eadem ſentire, tam parum illud eſt ſperandum in hoc imperfectionis noſtræ ſtatu, in quo ex parte tantum cognoſcimus & ex parte prophetamus: Attamen ſummoperè dolendum quando illi ipſi quorum intererat, ſaltem in gravioribus & fundamenta ſalutis propiùs ſpectantibus, unitatem Spiritus per vinculum pacis retinere, recedunt ullo modo aut à doctrina communi calculo Orthodoxorum receptâ, aut etiam à loquutionibus magis inter eos uſurpatis & formulis conſenſus publicâ authoritate conſtabilitis, dum aliquid vel plauſibilius vel accuratius ſe ſperant allaturos: Sic enim pax Eccleſiæ turbatur, communibus adverſariis os aperitur, & illis ſubminiſtratur occaſio compendia ſua ex noſtris diſſenſionibus faciendi. Ea de cauſa indoluimus ex animo contentioni nuper renatæ inter viros magnos noſtræ communionis, ſuper quæſtionibus *de Gratia Vniverſali*; eò magis quod illius Doctiſſimi aliàs propugnatores ſuis hypotheſibus ſervituri ea proponere videantur, quæ Pelagii hodiè reliquiæ in rem ſuam convertant, & unde errores ſuos per anticam ejectos, per poſticam recipi, non ſine infirmiorum offenſione, glorientur. Ac ſummoperè optâſſemus Galliæ ſingulas Eccleſias & Scholas, quæ ſemper ab omni novandi ſtudio fuerunt alieniſſimæ, priſtinam conſtantiam & unitatem hîc etiam retinuiſſe, & Synodorum ſuarum Nationalium, ejus maximè quæ Alençonii celebrata fuit, decretis adhæſiſſe. Sed quandoquidem aliter viſum fuit ſummo omnium Moderatori, cui placuit iſto in carne noſtra ſurculo, nos ad humilitatem invitare, nihil nobis magis reſtat in votis, quam ut Eximii illi Viri ſemel apud ſe ſeriò reputent quantum in diſcrimen adducant florentiſſimas aliàs Eccleſias & quæ omnibus exteris Concordiæ, Unitatis, Ordinis ſemper exemplar præbuêre, dum novas quaſdam opiniones & hypotheſes, præjudicatis ſuis ſententiis inſervituras, apud eas diſſeminant, ex quibus vel ſchiſma periculoſum inter ipſaſmet, vel pernicioſa earundem ab Eccleſiis & Academiis aliis, maximè Fœderati Belgii, divulſio oriatur, quam olim Adverſarii communes in rem ſuam vertant. Eos enim hac in parte à receptiori in Eccleſiis Reformatis, præſertim Fœderati Belgii, vel ſententiâ vel phraſeologiâ & methodo diſcedere, eſt tam verum, quàm dolendum iis qui ex iſtis circumvolanti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

bus favillis majus incendium proditurum metuunt; cùm ejuſmodi controverſiæ non ſoleant ubi primum cœperunt conſiſtere: Sed malis illius metuendis ſperamus ſaluberrimum fore prophylacticon ex Doctiſſimis & accuratiſſimis *de Gratiâ univerſali* Exercitationibus Reverendi & Clariſſimi Viri D. FREDERICI SPANHEMII Theologiæ Doctoris & in inclyta Leydenſi Academiâ ejusdem Facultatis Profeſſoris Celeberrimi, nuper emiſſis: Has enim quæſtiones, tam copioſè deduxit, tam doctè pertractavit, tam ſolidè enodavit, ut confidamus egregium hac in parte ipſius laborem omnibus Orthodoxiæ & Concordiæ ſtudioſis pleniſſimè ſatisfacturum: Ac ſicut noſtrûm quisque ſigillatim antea de pereruditο hoc ſuo labore ei eſt gratulatus, ita nunc in communi teſtamur & profitemur illam ipſam quam propugnat ſententiam, hactenus conſtanter in hac noſtra Academia ſonuiſſe, & ceu Orthodoxam ac Dei verbo & formulis noſtris publicis, nominatim Canonibus Synodi Dordracenæ, conformem obtinuiſſe; rejectis tanquam periculoſis, novis illis hypotheſibus, quas fuſè & nervoſè ibi refutat. Ita cenſuerunt in cauſa Bremenſi noſtri prædeceſſores *οἱ ἐν ἁγίοις* CLL. Gomarus & Altingius: Ita & nos, qui ab ipſis lampada accepimus, illisque ſumus ſuccenturiati ad eandem veritatem conſtabiliendam, ſemper ſenſiſſe & docuiſſe, noſtra exercitia Academica, quæ in omnium ſunt manibus, ſatis evincunt. Quapropter cæteros omnes Reverendos & Clariſſimos Viros, quibus videntur quadantenus novæ illæ phraſes & hypotheſes arriſiſſe, per Deum obteſtamur, ut ſeriò obſervatis earum periculoſis conſequentiis, & omni ulteriori contentione miſſâ, potius illud quod conſequuti ſunt induſtriæ & eruditionis in communem hoſtem convertant, receptæ & magis tritæ viæ inſiſtendo, quàm ad publicam Eccleſiarum & Academiarum noſtrarum concordiam pulſandam adhibeant. Eò potiſſimum collimat hoc noſtræ *ὁμοψηφίας* cum Reverendo & Celeberrimo D. Doctore SPANHEMIO teſtimonium publicum, quod ipſi illud à nobis petenti denegare, nec potuimus nec voluimus. Datum Groningæ Friſiorum XXVIII. Octobris ſtylo veteri, 1646.

SAMUEL MARESIUS S. Th. D. & Prof. Ord. ac p. t. Fac. Decanus.

ABDIAS WIDMARIUS, S. Theol. D. & Prof. Ord.

MATTHIAS PASOR, S. Theol. D. ac Prof. Ord.

Iudicium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

Iudicium facultatis Theologicæ in Academia Vltrajectinâ.

EXercitationes de Gratia univerſali Rev. ac Clariſſ. Theologi D. Frederici Spanhemii perlegimus, iiſque orthodoxam ſecundum ſacras literas & conſenſum reformatarum Eccleſiarum ſententiam dextrè ac fideliter propoſitam atque explicatam, eandemque contra impugnationes diſſentientium ſolidè & plenè vindicatam deprehendimus, non dubitantes quin moderatis & veritatis pacisque Eccleſiaſticæ amantibus huic abundè ſatisfactura ſint. Gratulamur ergo & ipſi & nobis, & Eccleſiis noſtris hunc utiliſſimum laborem & pulcherrimum conſenſum. Inſuper fratres & ſymmyſtas hîc diſſentientes cætera Orthodoxos ſeriò ac fraternè obteſtamur, miſſos faciant omnes illos novos cothurnos qui infelicius aliquem veritatis cum Semi-pelagianiſmo ſyncretiſmum ſapere videntur: ne per ἀμετρίαν τῆς ἀνθολκῆς in periculoſas factiones & ſchiſmata tandem erumpant, & animis diviſis arctiſſimam Eccleſiarum unionem in hâc doctrinæ parte poſt ſchiſma Remonſtrantium tam clementer à Deo ſtabilitam aliquo modo labefactent. Certum etiam καινωφονίας illas & novæ methodi excogitata commenta, nec ad Eccleſiæ in receptâ veritate confirmandos, nec ad adverſarios Pelagianos facilius convincendos, & in caſtra Eccleſiæ pertrahendos quidquam facere: cùm contrà obſervatum ſit, ex Orthodoxis ſemper hâc occaſione aliquos dimotos, aut etiam in caſtra Remonſtrantium delapſos eſſe idque ex peculiari quodam hujus methodi genio. Fieri enim non poteſt quin terminis, hypotheſibus & præmiſſis quibusdam Pelagiano-formibus ſemel admiſſis theſes & concluſiones ipſis conformes & congruentes inde educantur & hæretica diſcipulorum ingenia inventis illis ſuâ novitate nimiùm arridentibus alia atque alia inſuper addant, quæ præceptores, ſed ſerò, addita nollent. Vltrajecti in conventu facultatis Theologicæ xxv. Aprilis Anno cIɔ Iɔc xlvi.

Gisbertus Voetius Theologiæ in Acad. Vltraj. Profeſſor.

Carolus de Maets. Theol. Profeſſor ibidem.

Iohannes Hornbeek. Theol. ibidem Profeſſor.

Reverendo & Clariſſimo Viro,

D. FRIDERICO SPANHEMIO

SS. Theol. Doct. & Prof.

S. P.

EXercitationes tuas de Gratia univerſali quod attinet, non illæ mihi gratæ modò, ſed & gratiſſimæ fuêre. Debuiſti eas, non tantùm importunitati novaturientis, & ad famam per iſta graſſantis, ingenii; ſed & cum primis Orthodoxæ veritati, quæ neſcio quibus technis paſſim, aut diſſimulatur, aut involvitur, aut impugnatur. Tibi illa contrà, in hac controverſia, lauream debet, ob navatam egregiè operam. Quòd ſi enim bene ſentire, rectéque facere, ut ait ille, ſatis eſt ad bene beatéque vivendum, quidni tibi merita debeatur laus, qui bonam cauſam ſic aſſeruiſti, ut à rectè agendi ratione ne minimùm quidem receſſeris, adverſariumque tuum tam humaniter ac leniter tractaveris. Mirabuntur, quotquot legent, boni, hinc gravitatem ſtyli, ἀκρίβειαν judicii, eloquentiæ decus, ac denique piam vehementiam in aſſerenda veritate; illinc patientiam atque æquanimitatem in tolerando adverſario, invidiâ potiùs, uti videtur, quàm φιλαληθείᾳ, ſtimulato. Meretur iſte tuus eruditiſſimus labor, pro gloria Dei, pro cauſa Eccleſiæ reformatæ ſuſceptus, ab omnibus, quotquot Orthodoxum nomen cum Orthodoxia amant, ſummum favorem, ac maximas gratias. Me quod attinet, ſummas tibi, cùm meo, tùm illuſtris Gymnaſii noſtri Daventrienſis nomine, ago gratias, pro veritate acerrimè & graviſſimè defenſa: ac profiteor me tibi in omnibus iſtis ὁμόψηφον, eandemque, quam tu tueris, ſententiam eſſe, quæ in Gymnaſio noſtro, ut & in Eccleſiis noſtris, docetur, quæque ſonat in cathedra noſtra Theologica. Nimirùm, elegiſſe Deum certos homines, pro his ſolis Chriſtum eſſe mortuum, hos ſolos internè ac ſalutariter vocari, fideque ſalvificâ donari, hos ſolos juſtificari ac glorificari: vocationem externam, (illam ſcilicet ſupernaturalem, per verbum & Sacramenta,) communem quidem piis cum multis impiis, at non univerſalem omnium eſſe; quum nec in V. nec in N. T. omnes ſic vocentur, ſitque Euangelium quaſi ambulatorium, modò huic modò illi genti, annunciatum.

Qui verò Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum, ac præterea vocationem externam, (illam naturæ cum ſupernaturali miſcentes,) omnium omnino hominum eſſe docent, etiamſi particularem eſſe

credant electionem, particularem gratiam internam & efficacem ; næ illi magno conatu magnas nugas agunt, datum Chriſtum illis,quibus non omnia cum ipſo dentur, atque ſub prætextu pacis conciliandæ, & abſurditatis effugiendæ,novam litis materiam cudunt,& in manifeſtiſſima abſurda incidunt: ſicut tu perſpicuè,eleganter,& nervoſè,in illis exercitationibus tuis demonſtrâſti.Deus Opt.Max.qui Spiritu ſuo S.te in aſſertionem veritatis ſuæ excitavit, & omnibus modis inſtruxit, diu te nobis ſalvum & incolumem præſtet, vireſque continuet, ut in ſancta hac veritate ſtantes magis magiſque confirmes, adverſarios confundas, nutantes ſtabilias, errantes reducas; ad nominis ſui gloriam, & Eccleſiæ ædificationem, Amen!

Dabam Daventriæ, Anno Chriſti cIↃ IↃc XLVI. XI. Septemb.

V. R. C. *Obſervantiſſimus*,

HENRICUS à DIEST, SS. Th. D. & in Gymnaſio Daventrienſi, Profeſſor, p. t. Rector.

ERRA-

ERRATA

Quum poſthumus hic fœtus abſente Auctore ſit excuſus, mirari non debes, Amice Lector, ſi gravia nonnunquam menda in ipſum textum irrepſerint, quæ ut benignè velis emendare, nec eo nomine in ipſum Auctorem malignè incurrere. Quæ obiter à nobis obſervata ſunt, placuit hîc ſubjicere.

Pag. 13. l. 19. addend. *τῶν ἐν ἀρχῇ*. p. 22. l. 21. *ex patre Diab.* pro *eos ex patre Diab.* pag. 23. l. 17. *quia revera iſta* pro *ita.* Ibidem : l. 28. *Itidem* pro *Iridem.* p. 30. l. 15. *Deo attingere* pro *affingere.* p. 35. l. 23. *vi Spiritus* pro *vim.* p. 36. l. 16. *id ſupponendum* pro *an ſupponendum.* Ibidem : *non ad illos* pro *id ad illos.* Et l. 24. *alieni* pro *alicui.* Ibidem : *ſuavitudinis* pro *ſuaviludius.* p. 38. l. 34. *voce* pro *vocatione.* p. 40. l. 11. *conveniunt iſta quoad* pro *conveniunt quoad.* p. 43. l. 2. *& habeant* pro *& ut habeant.* Ibidem : l. 8. *placabilitati, divinâ* pro *placabilitatis divinæ.* & l. 11. *beneficia pro beneficio.* & l. 12. *proditus* pro *præditus.* p. 45. l. 32. *natione* pro *ratione.* p. 46. l. 13. *incitantur* pro *invitantur.* & l. 35. *neceſſaria* pro *neceſſariò.* & l. 36. *ea rere* pro *carere.* pag. 47. l. antepenult. *Qui generale.* pro *Quî.* p. 49. l. 22. *admodum parvus* pro *admodum parcus.* Ibidem : p. ult. *veritati* pro *vexati.* p. 52. l. 4. *& ipſe* pro *ut ipſe.* p. 62. l. 22. *æquuleo* pro *equuleo.* p. 63. l. 29. *argumentatiunculis* pro *argutatiunculis.* p. 65. l. 1. *an demonſtratum* pro *at demonſtratum.* & l. 19. *vel & prædicatum* pro *vel prædicatum.* & l. 23. ἡλιαμβύνες pro ἡλιασμβύες. l. 34. ἀντανάκλησις pro ἀντανάκλασις. p. 67. l. 6. 7. *inter omnes ex priſcos* pro *inter omnes priſcos.* p. 68. l. 11. *mediam* pro *medium.* Ibidem : l. 32. *illi tribuitur* pro *illis tribuitur.* & l. penult. *nationibus.* pro *notionibus.* p. 70. l. 26. *à priori* pro *à pejori.* p. 71. l. 22. *rationem* pro *rationum.* p. 72 l. 9. *commendationem* pro *commentationem.* p. 91. l. 22. *eadem* pro *eandem.* Ibidem : l. 31. *æternæ nimirum* pro *æternæ cæleſtis nimirum.* p. 101. *alteratio* pro *alterutra.* Ibidem : l. 31. & 32. *nullum ſalutis diſcrimen* pro *nullum diſcrimen.* p. 109. l. 15. τρυπῷ pro τρυπᾷ. p. 114. l. pen. *per omnibus* pro *pro omnibus.* p. 127. l. 26. πασελτομῆς pro περιτομῆς. p. 131. l. 23. *ac exceptionibus* pro *ex exceptionibus.* p. 132. l. 20. *obſervaretur* pro *obverſaretur.* p. 136. l. 24. dele : *apertè falſum.* p. 145. l. 1. *genere* pro *genera.* p. 159. l. 28. *Anteromatibus* pro *Anterotematibus.* p. 161. l. 8. *citra* pro *circa.* p. 172. l. 14. *illius.* pro *illis* p. 186. l. 14. addend. *nec habere.* p. 188. l. 3. *affingit* pro *affingunt.* p. 190. l. 27. *Dicet* pro *Diſcet.* p. 191. l. 13. *diviſio* pro *diviſo.* p. 206. l. 5. *ipſius vel* pro *ipſiusmet.* p. 111. l. 13. *pertinet* pro *pertinent.* p. 213. l. 31. *partim* pro *parum.* p. 233. l. 4. *regereret* pro *regerere.* & l. 30. *particeps* pro *participes.* p. 236. l. 30. *oppoſito* pro *appoſito.* p. 237. l. 6. *in bonam* adde *terram.* p. 240. l. 17. addendum: *& eos idem ſibi.* p. 257. l. 1. *loquantur* pro *loquatur.* Ibid. l. 2. ? pro . & l. 4. *obſervatus* pro *obſervat.* In Breviario l. 11. *ſperanda* pro *ſpectanda.* p. 258. l. 22. *pertineat* pro *pertinet.* p. 261. l. 4. *œconomiæ* pro *œconomia.* Ibidem : l. 27. *iſtum ex illo* pro *illum ex iſto.* p. 263. l. 22. *ſuſpenditur* pro *ſuſpendatur.* p. 267. l. antepenult. *ablutio* pro *oblatio.* p. 269. l. 22. delend. *Erotematum nomine.* p. 271. l. 13. *conſtituenda* pro *conſtituendæ.* p. 273. l. 32. *hortationem* pro *hortationum.* p. 274. l. 10. *quas* pro *quàm.* p. 277. l. 26. *propoſuiſſe* pro *propoſitum.* Ibidem : l. 33. *habet* pro *habuit.* p. 282. l. 20. delend. *non.* p. 286. l. 24. *eruti* pro *eniti.*

ERRATA IN SPECIMINE

Pag. 3. l. 7. *ut* l. 17 Στερχόμβρος. l. ult. *quas.* p. 4. l. 1. *coacervatas.* l. 6. ῥητορείαις. p. 6. l. 16. *poterat.* p. 9. l. 36. τεχνικοῖς. p. 13. l. 1. *Diſſertationis.* p. 14. l. 30. addend. *ac.* p. 15. l. 25. ſcribend. *vindicat.* l. 30. *illorum.* p. 16. l. 24. *mira.* p. 17. l. 32. *ſuas.* p. 19. l. 20. *Pici.* p. 24. l. 22. *libello.* p. 29. l. 17. *quas.* p. 33. l. 19. *totus.* p. 34. l. 34. *fœtores.* p. 35. l. 8. *eum.* p. 40. l. 18. *ruo.* p. 45. l. 17. *eum.* p. 56. l. 11. *Quin.* l. 31. *accuratiſſimis.* p. 57. l. 1. *eſt.* l. 13. addend. *in omne.* p. 60. l. 7. *Vero.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

EZECHIELIS SPANHEMII.
FRID. FIL.

SPECIMEN

CRITICES ANIMADVERSIONVM SCRIPTORIS,

In quo Parenti meo objecta hac in parte vindicantur, & Animadverſionum Conditoris ſtylus paucis expenditur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

EXCELLENTI VIRTVTE,
AC RARA ERVDITIONE,

IOANNI BAILHACHÆO BEAVMONTIO.

D. C. Q.

EZECHIEL SPANHEMIVS.

QVam juſta mihi qualemcunque opellam indignatio expreſſit, pietas injunxit, exemplum denique tuum abſolvit, oculis etiam tuis hauriendam mitto, eruditiſſime BEAVMONTI. Nec enim ſine piaculo aliud nomen illi præſcribendum fuit, quàm ejus, cui utut immaturi partus publicæ fœturæ gratiam debet. Nam etiamſi non diffitear cauſſas varias animum ſponte jam pronum, & magnorum (quod præfiſcine dixerim) virorum hortatibus ulterius accenſum ad tumultuariam hanc ſcriptionem impuliſſe, tuo nihilominus exemplo eò me non tam impulſum quàm adactum ſenſi. Excitavit illud quidquid in me ingenui ſanguinis ſupererat, nec mihi tam audendi fiduciam quàm neceſſitatem injecit. Enimverò indignum videbatur non abjecti planè aut degeneris animi filio, ejus pietatem tot nominibus longè deſideratiſſimo Capiti obæratam ab extéris nullo vel neceſſitudinis, vel privati alicujus beneficii vinculo conjunctis, non ferendâ æmulatione ſuperari. Non ab ipſâ, quæ me apud alios fortè abſolvere poterat, quartum ætatis luſtrum nondum ingreſſi infantiâ, vel ſilentio obtentum, vel deſidiæ patrocinium petendum cenſui.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

Occurſabat animo gratiſſima illa, ac in omnem poſteritatem diffuſa Regii Principis memoria, in quo victrix omnium pietas de illis ipſis naturæ obſtaculis, quæ nullâ hominum induſtriâ amoveri poſſunt, pulcherrimum ſed ad exemplum egit triumphum. Oblatum quoque videbatur comparatum utcunque ad captum adoleſcentis primum ingenii argumentum, dum *Animadverſionum* ſcriptori placuit, ſe è Theologico illo, ad quod tot jam annos nequidquam tamen adſpirat, faſtigio ad Criticorum ſepta demittere, & Heroicum illum animum ſeculi genium longè ſupergreſſum Grammaticorum filiis mancipare. Verùm accidit, ut ex quo vel potiſſima ſcribendi occaſio profluxerat, ex eo diſſimili fato mihi tempeſtivi ſilentii leges præſcriptas viderem. Tranſmiſſæ enim ad nos *Obſervationes* tuæ omnem inſtituti mei rationem diſturbârunt, & me à ſuperfluâ non ſolùm, ſed temerariâ etiam propemodum ſcriptione revocârunt. Videbam iis debellatas, quas aggredi erat animus, imbelles copias, & totam Criticæ ſupellectilis gazam feliciter excuſſam, nihilque reliquum mihi præter effuſa in victoris laudes gratulationum vota. Ita ut confecto prælio novum athletam in aciem procedere, & cum proſtrato jam hoſte de novo congredi, tam parum à ludibrio, quam à neceſſitate plurimum abeſſe judicarem. Quia tamen nonnulla etiamnum ſupererant, quæ, ut nimis levia & indigna, quæ manu tuâ confoderes, prius datâ opera neglexeras, in ea qualiacunque tandem ſint, quum aliò non liceret, calamum ſtrinxi & experiri placuit quàm *durum ſit*, cum hoc viro ut diſertè alicubi de ſe loquitur, *congredi*. Et quandoquidem ex conſenſu Optimi, ſed dura fatorum lege, & acerbo bonis omnibus caſu noviſſimè nobis erepti, Parentis in hanc arenam deſcenderam,

ita

ita ut exiguæ hujus opellæ in editis jam *Vindiciarum* paternarum foliis mentionem obiter injectam viderem, veritus ſum, ne in deſerti officii ſuſpicionem ſpecioſo obtentu apud omnes incurrerem, ſi meam hîc quoque Symbolam non conferrem. Adde ſerius, & exeunte demum ſuperiori menſe delatam ad nos eam *Obſervationum* tuarum partem, in qua pleraque illa, quorum examini ſequentes paginas indulſeram, magna ingenii & eruditionis ubertate vindicata animadverti. Præterea vel unum hoc me ab omni livoris morſu ſecurum facit; quod ſummorum Virorum imperia præcocem hunc fœtum in publicam lucem protaxerint, quorum judicio, cui omnes cordati jampridem aſſurgunt, mihi quoque acquieſcendum cenſui. Ita ut levem cujuſcunque exiſtimationis meæ jacturam duxerim, ubi unam pietatis & obſequii gloriam mihi puram illibatamque relictam intellexi. Indigna illa quidem erant fateor, in quæ ſtyli mucronem verterem, ſecurius contemtu quàm rationum conflictu vindicanda, ni aliquam admirandi nominis Theologi in iis ſeriò triumphantis rationem habuiſſem. Hanc ergo longè imparem pulcherrimis *Obſervationibus* tuis doctrina & elegantia uberrimis Appendicem ſubjicere auſus ſum, ut quam ſuo precio gratiam ſibi conciliare non poterat; eam ab exemplo tuo mutuaretur. Non verò hîc à me exſpectas, Præſtantiſſime BEAUMONTI, ut quæſitis laudibus modeſtiam tuam magnæ & excelſæ mentis nuntiam oneratum eam, & me in prolixam virtutum tuarum, quæ omnes eximiæ ſunt nec paſſim obviæ, commemorationem inſidioſa oratione diffundam. Nec ibo hic per ſingula tua decora, quum ad laudationem tui nihil ab infantiæ noſtræ conatibus poſſit accedere, quod non infra meritorum in me tuorum magnitudinem, ſed

& votum meum poſitum ſit. Erectus animus, & ſeculo propemodum major, probitate incoctum pectus, ſubactum rara ac multiplici eruditione ingenium, candidiſſimæ denique virtutis & niveæ indolis exemplar captum hujus ætatis excedunt. Fidem Orbi facient præclara cœleſtis ingenii monumenta, queis brevi te magnorum hominum æternitati inſertum, & victuræ famæ ſuperſtitem, ſingulari eruditorum omnium plauſu intueberis. Faxit ille inprimis, qui in te tot pulcherrimas dotes effudit, ut compoſitis aliquando, queis per internas diſcordiarum faces ſcinditur hodie illa Regina & florentiſſima quondam Inſularum Britannia, diſſidiis, te honorificæ illi ſtationi impoſitum intueamur, cui te pridem ſuis, ſed irritis hactenus, votis deſtinavit. Vale Iuventutis decus, cum Venerando & bonis omnibus commendatiſſimo Parente tuo, qui infracto in aſſerenda veritate Zelo Eccleſiam Chriſti raro exemplo demereri indies pergit. Iterum vale χαριέστατον κάρα, ac me ama. Dabam *Lugduni in Batavis* Nonis Auguſtis Anno æræ Dionyſianæ cIↃ IↃ CXLIX.

L E C T O R I.

ET hîc quidem, quod futurum prævideràt nemo, factum dolebunt omnes veritatis, quam hîc ſolidè aſſertam legis, amantes, in ipſo quaſi limine pedem figere cogimur, mi Lector, & te jam in ſequentium expectationem erectum hiantem dimittere. Sed altius aſſurgendum tibi; & in ſupremi rerum Arbitri voluntate ſine murmure acquieſcendum, cujus decreta profundâ veneratione, non ſcrupuloſâ indagine excipienda ſunt ac adoranda. Ita enim placuit illi, eum, qui tanto omnium plauſu & expectatione utiliſſimæ huic ſcriptioni calamum admoverat, maturè rebus humanis exemtum cælo transſcribere, & Gratiæ illius, quam in terris ab omnibus adverſariorum cavillis maſculo & intrepido animo vindicârat, fructus impertire. Præmaturus hic & inopinus caſus ſpes tuas & noſtras ivit interverſum, quum ante obitum eam, quam exorſus fuerat, telam propter occupationes innumeras & adverſam, cum quâ per annum integrum licet per intervalla conflictatus eſt, valetudinem, pertexere non potuerit, & extremam illi manum imponere. Vindicias *ſuas ad finem propè produxerat, & Erotemata propemodùm omnia cum Duabus illis, quæ agmen* ſpeciminis *claudunt, Diſſertationibus accuratè excuſſerat, quæ tamen omnia proh dolor! æterno premenda erunt ſilentio. Adeo exili enim & fugiente calamo hanc Reſponſionis ſuæ partem exaravit, ut ex eâ nullus Oedipus ſe extricare queat, aut ullâ induſtriâ integram illius lectionem aſſequi, quod nequidquam etiam ab iis tentatum, qui defuncti manum præ cæteris callere ſeſe exiſtimabant, & in eâ aliquo modo exercitati ſibi videbantur. Vt vel hinc cuivis conſtare poterit, quàm facili brachio omnia adverſarii tela retunderet, & ſophiſmata omnia ſibi magno apparatu oppoſita dilueret. Sic reconditus erit & inutilis, qui in publicos uſus exponi debuit, theſaurus, & omnium vota accendet, qui nullius deſiderium explere poterit. Dolebis ſat ſcio, qui veritati ſacramentum dixiſti, jacturam, ut ita dicam, irreparabilem, quum nihil in toto utut vaſto* Animadverſionum *opere reperiatur, quod non cum curâ examinandum, & accuratè refellendum ſibi propoſuerat* Vindiciarum *Auctor. Habebis hîc tamen, quò ſitim tuam aliquâ ratione*

com-

comprimas, nec ſine voluptate & fructu utut lacerum & mutilum hoc Opus manibus attrectabis tuis. Conſtitutum etiam à principio τῷ μακαρίτῃ fuerat, exhibere hîc tibi in Vindiciarum calce eruditiſſimi Beaumontii Obſervationes, in quibus non totam ſolùm Animadverſoris Criticam eruditè excuſſam, ſed quas inſuper è Doctorum noſtrorum primipilis quavis occaſione ſpargit allegationes habes ſolidè vindicatas. Quia tamen non videbatur conſultum ulterius differri illorum expectationem, qui impensè, & quotidianis propemodum convitiis, hoc quidquid eſt Vindiciarum efflagitabant, & præterea Typographus molem operis cauſſaretur, ac elegantiſſimarum illarum Obſervationum prolixitatem obtenderet, earum editionem in aliud tempus premendam duximus, ne ulterius tuis deſideriis & votis intercedere neceſſe haberemus. Ne tamen Animadverſor Criticam ſuam, in quâ mirè ſibi ludos facit, & Heroicum aliquid ſeſe præſtitiſſe exiſtimat, abſque ullo examine relictam queri poſſet, vel id potius in compendium ſuum vertere, hoc etiam Specimen ex magnorum Virorum conſilio ſubjicere viſum eſt, donec ipſas doctiſſimi Beaumontii Obſervationes nactus fueris. Interim vel ex eo abundè colligere poteris, melius procul dubio famæ & exiſtimationi ſuæ conſulturum fuiſſe Animadverſorem, ſi ſe intra Theologiæ ſuæ ſpatia continuiſſet, nec præ nimio cavillandi ſtudio ſe in ignotos calles abripi paſſus eſſet. Vale quiſquis es bene & feliciter, & memineris ſemper veritati ſtrenuè patrocinari.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

EZECHIELIS SPANHEMII
SPECIMEN
CRITICES ANIMADVERSIONVM SCRIPTORIS.

CAPVT I.

In quo agitur in genere de Grammaticis tricis Animadverſionum *Conditoris, & ex inſtituti ipſius ac Parentis mei collatione illius iniquitas oſtenditur.*

ANnicerem quendam Cyrenenſem, ob ſingularem equum in gyrum flectendi peritiam, paullò ferocius ſeſe efferentem à Platone ſapienter coërcitum, autor eſt in ſecundo Hiſtoriarum libro Ælianus. Quum enim præſente Philoſopho, & magnâ ſpectatorum coronâ, Academiam eâ dexteritate circumequitaret, ut currum ab orbitis ſemel impreſſis ne vel latum unquem diſcedentem anxiè dirigeret, cæteris quidem ingentem admirationem ſui, magno verò illi ſapientiæ Magiſtro contemtum ac indignationem expreſſit, quod fieri non poſſe judicaret, ut quam in levia hæc & inutilia conferebat accurationem, eandem in gravioribus ſtudiis pari felicitate exhiberet. Quod veriſſimum Sapientis effatum ab Animadverſionum in Parentis mei Exercitationes ſcriptore non uſquequaque videtur expenſum, qui poſtquàm ſponte illum publico adegit ſcripto, ut ſtylum in hornotina ejus dogmata ſtringeret, rationes non ſolùm illius magno ubique Orthodoxorum applauſu exceptas continuis dicteriis & cavillis eludendas, verùm etiam è Grammaticis potiſſimum feſtucis ac tigillis ſplendidum ſibi tropæum erigendum cenſuit. Nec enim fermè ita anxius eſt in adſtruendo Gratiæ univerſalis dogmate, & à Parentis mei objectionibus vindicando, ac de ſtyli puritate ſibi aſſerendâ, quam laudem, utpote inter ſua decora non ultimam, ab eo ſolicitatam ſibi aliiſque, ſed ſine cauſâ, perſuaſum voluit. Comparatæ in hunc finem priores duæ lacinioſi Operis partes, & ipſum SPECIMINIS veſtibulum præclaris id genus obſervationibus tanquam auro & gemmis decoratum, quas ſe ex

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

Lexicorum ſuorum penu, & Dictionariorum triobolarium conditoribus agnoſcit compilâſſe. Et dum Grammatici perſonam induit, depoſitis ad tempus Theologicis infulis, laudem, quam unam toto opere affectat paſſim, omni ſtudio videtur ambiviſſe, quam Ariſtophani aſſcribunt veteres Critici, τὸ ἄθικτον nimirum. Qua in re ut à charitate plurimum & ſanctiſſimi Ordinis gravitate, ſic à Chriſti humilitate & patientiâ, quam ſe unam æmulari ſolenni precatione profeſſus fuerat, quæ an ſeria vel hiſtrionica dici poſſit, Theologis dijudicandum relinquimus, immane quantum diſcedit. Eo certè ſupercilio, vel ut Madaurenſis Philoſophus loquitur, adeo ſtriatâ fronte pædagogicas illas Obſervationes exequitur, quaſi in eo verterentur fortunæ Græciæ, vel ſalus publica, Heroicum ſcilicet facinus, & *dignum*, ut alicubi loquitur, *quod omnium in ſe oculos convertat*. Quia verò non ſolùm ſub initium præclari operis, ſed plurimis aliis in locis in Parentem meum acerbè admodum invehitur Animadverſionum ſcriptor, ac eum ſatyrico ſale defricat, quaſi ille ex profeſſo & datâ operâ ejus ſtylum ſibi seriò ſuſceperit caſtigandum, aut *aliorum in eloquio atque Latinitate Cenſoris munus uſurpare voluerit*, breviter nobis eſt utriuſque hac in parte inſtitutum expendendum, quo ex illius collatione quivis judicium ferat, quis hic ludibrium non Grammaticis tantùm, ſed eruditis etiam omnibus debeat. Nemo cæteroquin qui in hoc SPECIMEN ſine præviâ Exercitationum Parentis mei lectione incidet, pro certo non exiſtimaturus eſſet, Grammaticas id genus tricas, & anxiam de ſingulis propemodum verbis, pugnam, utramque in iis paginam facere, & potiſſimam ſcripti illius molem occupare.

Quum ab aliquot retrò annis Animadverſionum ſcriptor ad accuratum Diſſertationis ſuæ examen Parentem meum publicè & quidem acriter provocâſſet, ille verò ut Adverſarii ſui votis & exſpectationi reſponderet, in ſcripti illius confutatione κατὰ πόδα verſaretur, ubi in aliquid fortè ἀκυρολόγως, aut incommodè, vel contumelioſè dictum incidiſſet, & verbi gratiâ, ipſum Deum *præfractum*, *præfractam* Eccleſiarum noſtrarum Confeſſionem, ac celeberrimos Theologos orthodoxos *præfractos* ab Animadverſionum Parente vocari vidiſſet, modeſtè id notavit in tranſcurſu, quò hominem, ut molliſſimè dicam, ſui plenum ad ſaniorem & accuratiorem ſcribendi rationem revocaret. Non eo tamen nomine ipſi inſultavit, non grandem ei dicam impegit, non eum magno faſtu traduxit, vel invidioſè perſtrinxit, quaſi in apinis iſtis cardo controverſiæ verſaretur, quidquid hîc obtendat Animadverſionum ſcriptor. Nec iis obſervationibus frontem operis inſignivit, vel eas in unum magno conatu collectas ambitioſè propoſuit, vel laureolam ex hoc muſtaceo quæſi-

vit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

vit, quum paucæ iſtius generis notæ per totum Exercitationum opus eſſent diſperſæ, & quidem ſtrictim, ac planè velut ὁδοῦ πάρεργον indicatæ, ut à maximâ Lectorum parte vix obſervari poſſent. Noverat enim quid eum, quo tot jam annos conſtitutus fuerat, locum, quid argumentum deceret, de quo inſtituta inter eos erat controverſia. Immo quod conſideratione digniſſimum eſt, ne de maximâ quidem illarum loquutionum parte & minus Latinâ vellicandâ vel per ſomnium cogitavit Parens meus, quarum tamen patrocinium totis viribus ſuſcepit Animadverſionum ſcriptor. Quod ne temerè à nobis dictum, vel falſò confictum quiſquam cenſeat, adeat Parentis mei Exercitationes, & judicet an hoc ipſi tantâ cum inſultatione affingere debuerit hic Ariſtarchus. Quum enim verba ex Diſſertatione ſibi oppoſitâ allegaret, uſus eſt non ſemel hac phraſi, ut *loquitur vir doctus*, quo Autoris voces agnoſceret Lector, ut frequenter ab iis fieri aſſolet, qui aliorum verba referunt, non eo tamen animo ut illa tanquam minus Latina vexaret. Quod graviſſimam tamen injuriam duxit Animadverſionum conditor,

Στεργόμενος μέγα δή τι καὶ οὐ φατόν,

Et ex quo ſplendidam ſibi triumphandi materiam διοπετῶς oblatam credidit, quò dolorem ſuum liberius & amoto omni repagulo exoneraret. Quum enim ſolidis undique rationibus velut denſo agmine ſe premi, ac rimas omneis ad fugam obſtructas videret, noluit niſi prius edito inſigni aliquo facinore glorioſè ſaltem cadere. Hanc in rem conquiſita ab eo undique magno ſtudio, quæcunque ad lacerandam Parentis mei exiſtimationem ulla ratione profutura videbantur. Hinc & vocum illarum & phraſium Nomenclator, quas ab illo obelo confixas credi voluit Animadverſionum ſcriptor, Scapula, Calepinus, & quicquid eſt triobolarium Dictionariorum, conſulti, & ex eorum pro ſe militantium, ut gloriatur, authoritate imaginaria ovatio quæſita, idque genus obſervatiunculis, velut teſſellato aut vermiculato opere exornatum eſt περιπύλαιον. Nec contentus rebus his præclariſſimè geſtis, nondum probè ſibi viſus eſt τοῦ ξύοντα ἀντιξύειν, ni Parentis etiam mei ſtylum confoderet, ratus quocunque tandem pacto, quam illatam ſibi cenſuit injuriam ſtrenuè vindicandam, & cum ſcenico Philiſopho, ut Euripidem vocat eruditiſſimus Deipnoſophiſtarum ſcriptor debere

Δεινὰ πάσχειν δεινὰ τοὺς εἰργασμένους.

Vnde totum Exercitationum opus ſedulo ac diligenter evolvit, in priora etiam Parentis mei ſcripta ante complures annos edita anquirit, voces omnes & phraſes quas à puræ Latinitatis genio abhorrere credidit, vel quæ ſuâ repetitione moleſtiam ſibi & faſtidium creâſſe fingit, ſcrupuloſè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

excerpit, atque in unum coarcervatis, & ſecundæ Animadverſionum Parti præfixas virulenter exagitat, præmiſſis ſcilicet illis velitationibus, quibus tanquam rorarius miles Parentem meum exerceret. Nec enim ſatis illi fuit eas aliquotiens ſparſim in ipſo Opere annotâſſe, quâ in re minus irarum fortè oſtendiſſet, ſi ſingulis locis ubi exſtabant obiter indicâſſet, nî in ipſo limine magno ſpiritu congeſtæ, & miris ῥετορείαις Lectori objectæ fuiſſent. Videat jam & judicet cordatus quiſque, quis ex Grammaticorum quisquiliis laudem captaverit, ac de utriuſque candore & modeſtiâ pronuntiet,

Εἰς μέζον ἀμφοτέροισι δικάζων μὴ δ' ἐπ' ἀρωγῇ.

Nemo ſaltem non fatebitur nobiſcum magnum intercedere diſcrimen inter utriuſque inſtitutum hac in parte, & nemo cum Cyrenæo vate non dicet,

Τὰ δὲ τόσον ὅσσον διὰ πλεῖστον ἔχουσι.

Quin mirari vel potiſſimum ſubit Animadverſionum ſcriptorem crepundiis illis immoratum, qui totiens & tam diſertis verbis in hoc ipſo Opere profiteri voluit, ſe non ſolum *pridem deſiiſſe Grammaticari*, ſed à minutiis etiam illis alieniſſimum eſſe, & ejuſmodi vitilitigationes tantùm non faſtidire, immò nolle ſe hac in parte Parentis mei veſtigia premere. At ego auſim ad ſingulorum judicia provocare, in quorum manus incidit poſtremus hic Cenſoris noſtri fœtus, an ullus unquam Theologus putidius *Grammaticatus* ſit, aut tantùm *febriculoſis*, id genus, ut ipſe vero nomine illas vocat, *Obſervationibus* indulſit. Annon hoc eſt ſplendidè in ſe ipſum arietare, & candorem omnem in ipſo limine proſcribere? Mirum quoque illum in hac palæſtrâ Criticâ infra mediocritatem exercitatum, majora etiam omnia ſpirantem, ut ipſe agnoſcit, hîc tamem σαλακωνίζειν, & opulentiam ſuam in mediâ paupertate jactare. Satisfeciſſet potius cauſſæ & multorum exſpectationi, & qui à Parente meo accuratam ſatis pro imperio reſponſionem flagitaverat, talem ipſe præſtitiſſet, ac plurima in Exercitationibus intacta præter Quæſita ſibi objecta ſolviſſet potius quàm ut infelix acumen in verborum apices, & ad quæſtionem ne hilum quidem facientes exereret, atque ita exprimeret verbum vetus,

Ἀφεὶς τὴν ὑπέρθεν τὸν πόδα διώκει

ἐπὶ τῶν nempe τὰ ἀναγκαῖα παραλιμπανόντων, τὰ περιττὰ δὲ περιλιμωμένων. Immo qui ſcitum hoc Agathonis dictum verè ſibi poteſt vindicare,

Τὸ μὲν πάρεργον ἔργον ὡς ποιούμεθα,
Τὸ δὲ ἔργον ὡς πάρεργον ἐκπονούμεθα.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

CAPVT II.

In quo nonnulla ſecundæ Animadverſionum Generalium *Parti præfixa expenduntur.*

HIs in anteceſſum delibatis, videndum nobis, quo ſucceſſu ſuſceptam tanto ambitu Grammatici perſonam ſuſtineat Animadverſionum ſcriptor. Ac primò illi arti non poſſum non ex animo gratulari, cujus magnus aliàs eſt apud multos contemtus, quæ opportunè adeò præclarum vindicem nacta eſt, à cujus nominis celebritate non exiguum decus in poſterum fœnerabitur. Quum verò tres Grammaticæ partes in veterum monumentis potiſſimùm reperiantur, τεχνικὴ alio nomine μεθοδικὴ dicta, ἱστορικὴ, aliis ἐξηγητικὴ (quamvis hujus pomœria latius extendantur ex nonnullorum ſententiâ) & κριτικὴ, ſeu ἰδιαίτερον μέρος τῆς γραμματικῆς, ut Sextus Philoſophus loquitur, videat Animadverſionum conditor quam ex iis profiteatur, & in quâ ulterius excolenda vir κριτικώτατος operam ac induſtriam ſuam deinceps collocatam velit. Quod verò ad priorem Animadverſionum Generalium partem ſpectat, in quâ Latinitatis ſuæ immeritò, ut exiſtimavit, à Parente meo caſtigatæ defenſionem aggreditur, ut ab illius examine ſuperſederemus, in cauſſâ fuêre exquiſiti judicii & raræ ac diffuſæ eruditionis *Ioannis Beaumontii Obſervationes*, in queis Parentem meum ab iniquis Animadverſionum ſcriptoris cavillis, & jejunis obſervatiunculis ſolidè ac eruditè vindicavit, & oſtendit illum à Parente meo in multis jure optimo reprehenſum, in aliis Cenſorem nodum reverà in ſcirpo quærere, & cum umbris luctari, dum in iis tutandis adeò æſtuat, quorum nomine nemo ipſi litem intentavit. Quia verò nonnulla adhuc reſtant, & vel imprimis in ſecundâ Animadverſionum Generalium parte, quæ ut levia nimis & indigna refutatu prætermiſit eruditiſſimus & candidiſſimi pectoris Amicus noſter, ego non tam quod operoſam mererentur curam, quàm ut aliquid Scriptoris Animadverſionum genio indulgerem, qui in iis non leve cauſſæ ſuæ momentum videtur poſuiſſe, eorum examen non illibenter ſuſcepi, unâ temporis jacturâ exceptâ, quod in pædagogicis his tricis collocandum fuit. Non diffiteor etiam me eò alacrius huic ſcriptioni calamum admoviſſe, partim ut quale quale illud exſtaret in Parentem de me optimè meritum pietatis monumentum, partim etiam ut illum melioribus & aliquantò gravioribus negotiis quotidie diſtractum qualicunque hoc onere ſublevarem, ut qui & indignam Theologis pugnam iſtam cenſeret, & magnorum virorum votis vellet

ſatisfactum, qui ne in Grammaticis illis nugis ruſpandis hæreret, ſummo ab eo ſtudio flagitârunt. Et certè adeò jejuna illa ſunt, immò adeò iniqua, quæ in Parentis mei ſtylum Cenſoriâ tamen gravitate animadvertere voluit Animadverſionum ſcriptor, ut ſine minimo vel cauſſæ vel famæ etiam ejus diſpendio ſecurè admodum præteriri potuiſſent.

Quia verò antequàm illum nobis reconditarum obſervationum theſaurum reſeraret, præfari nonnulla Cenſori placuit, quo totam illarum invidiam in Parentem meum rejiceret, operæ pretium erit audire ipſum more ſolito declamantem. Et primò inquit, ideo quia Parens meus, *ſi quid ab adverſario in ſtylo peccatum eſt, id obſervatione atque adeò caſtigatione ſuâ dignum judicavit, ſe proinde ſperâſſe eum æqui bonique conſulturum ſi pauca hic illum in eo genere moneret.* Quo verò jure id Parenti meo ita vel crudè vel liberaliter impingat Animadverſionum conditor, & quâ coloris ſpecie putidas ſuas Grammaticationes ejus exemplo tueri poſſit, abundè eſt ſuperiori capite oſtenſum, & nequicquam ab eo ærugini ſuæ inde obtentum quæri. Poterit verò facilè eo labore ſuperſedere ut admodum ſupervacaneo, tum quod levia illa nimis eſſent & indigna in quibus gravis adeò Theologus bonas horas collocaret, qui ingens præſertim erga talia faſtidium præ ſe ferre videbatur, tum quod plurima alia ſupereſſent altioris indaginis, in quibus enucleandis majori cum fructu, & nominis etiam ſui exiſtimatione verſari poterat. Vel ergo alia erant conquirenda quæ tantum decerent *Monitorem*, & in quibus latè poterat ingenii ſui vires explicare, vel illi ab his conchis legendis erat abſtinendum. Obſervet etiam Lector Animadverſoris candorem, qui pro ætatis fortè privilegio Parentem meum ſuorum παροραμάτων admonendum amico ſcilicet conſilio exiſtimavit: Egregium utique & cordatum *Monitorem*, qui ipſum καὶ δίκαια κἄδικα acerbè ſuggillandum ſibi ubique propoſuit. Id nempe hominis benevoli, & de aliorum exiſtimatione magnoperè ſoliciti officium! Si modeſtè enim talia ab eo ἐν παρόδῳ fuiſſent obſervata, nec ex hoc vocabulorum ſpicilegio quæſita triumphi materia, meliori aliquanto titulo *Monitoris* nomen ſuſtinuiſſet, verùm

Ἄμαχον κρύψαι τὸ συγγενὲς ἦθος.

Quid opus erat denique illorum hîc iterum Parentem meum admonere, quo officio variis jam in locis abundè fuerat defunctus Animadverſionum conditor. Pleraque enim occupata ab eo fuerant vel in primâ *Speciminis* parte, vel in *Animadverſionibus ſpecialibus*, antequàm ad ſecundam *Animadverſionum Generalium* partem ſe accingeret. Neceſſe erat nimirum ut raræ illæ nec vulgo Grammaticorum obviæ obſervationes in unum faſcem congeſtæ in Lectoris oculos primâ fronte incurrerent, quò re-

conditam

conditam iſtam Animadverſionum Patris Criticen, quæ in ſingulis penè verbis eluceret, cum admiratione obſervaret, & illi ἐπινίκια etiam cantaret.

Dignum verò eſt obſervatione quod ſubjungit, *Etenim ſi quis ſermonis elegantiam, dummodo id quod res eſt, apertè dicat, haud magni facere ſe profitetur, & inutile eſt illum eâ de cauſâ vel monere vel increpare qui correctionem & emendationem reſpuit, & fortaſſe iniquum id in eo reprehendere, in quo datâ operâ neglexit diligenter elaborare.* Obſervare in his verbis poterit Lector ſolita Animadverſionum ſcriptoris κρησφύγετα. Quum enim vidit nonnullas loquutiones ſuas incommodas à Parente meo obiter perſtrictas, & juſtam Nemeſin metueret, ut qui ita virulenter agere inſtituiſſet, quò paratam nævis hac in parte admiſſis excuſationem haberet in poſterum, ultrò & ex induſtriâ neglectum ſtyli profitetur. Quod ipſum pluribus etiam Lectori in primâ Animadverſionum Generalium Parte perſuadere conatur. En callidum hominis ingenium! Acumen tamen ſuum vehementer illum fefellit, ſi eo pacto ſe à ſcuticâ Orbiliorum immunem credidit. Cui enim mortalium quæſo fidem faciet, ſe *ſermonis elegantiam non magni facere*, vel delectum ſtyli, aut in eo elaborando *negligenter verſari?* Si hoc ita revera eſt, ut id ipſum totiens profitetur, cur ob unam vel alteram phraſin ſtrictim admodum à Parente meo caſtigatam tantas turbas excitat velut in Ægæo? Cur atrocem id injuriam interpretatur? & cur maluit in quaſvis potius contumelias erumpere, quàm ſuam in ſcribendo elegantiam vel minimum periclitari? An hoc eſt hominis *ſtylum negligentis* pro Palladio iſto, tanquam pro aris & focis dimicare, & copias undique emendicare, quibus aciem iſtam & impetum ſuſtineret? An perſuadebit cuiquam ſe datâ operâ in eo negligenter laborare, in quo tantum ſibi plaudit, & unde gloriam captat ac triumphum?

Ἡ γλῶσσα ὀμώμοχ' ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος.

Annon contrarium potius diſertè ſignificare nobis voluit in ſatyricâ illâ Præfatione, quum gloriatur, ſe ſtylum in hujus Operis ſcriptione adhibuiſſe non quidem elaboratum, *purum illum tamen atque Latinum.* Nonne paſſim ſe infert multo faſtu tanquam unius Ciceronis æmulatorem, & quem in ſuccum & ſanguinem vult videri convertiſſe, & ex eo ſingula verba & phraſes mutuari, immò ad cujus ſeriam in ſcribendo imitationem ſerus nimis pædagogus Parentem meum non ſemel hortari voluit? ſi adeo etiam negligentem ſe in ſtylo formando præbuit Animadverſionum conditor, an debuit id ipſum aliis vitio vertere & aliorum Latinitatis ſeverum adeò & verè cenſorium examen inſtituere? vel an exiſtimat fortè id juris ſibi uni conceſſum, & ſe unum eâ pollere in ſcribendo facilitate

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

litate, ob quam plurimùm illum non in hoc tantùm opere, ſed alibi etiam ſibi gratulatum novimus, quaſi quamvis ἐξ ὑπογύου & ἀμελῶς admodum ſua fundat potius quàm ſcribat, accuratiſſimas tamen aliorum lucubrationes ſtyli puritate longo poſt ſe relinquat intervallo. An poſtquàm etiam acrem adeò cenſuram in Parentis mei phraſeologiam exercuit, ſecurum ſe ab eâ parte exiſtimavit, ſi profiteretur aliquotiens datâ operâ ſeſe ſtylum neglexiſſe? Annon ſignum eſt potius hominis ſuæ imbecillitatis conſcii, & propriis viribus diffiſi, qui ſibi à talione metuebat, quam juſta Parenti meo indignatio exprimere poterat, ſi tanti viſum illi fuiſſet Animadverſionum Patris inſtitutum æmulari. Non debuit itaque ſuperciliosi adeò in aliorum ſcripta Cenſoris munus captare, ne quod ſibi jus in illos vindicârat, experiretur ipſe.

Declamare pergit Animadverſionum ſcriptor. *At quum vir doctus hominis eloquentis laudem affectare, & aliorum in eloquio atque Latinitate cenſoris munus uſurpâſſe voluiſſe videatur, laudem illam puriorem obtinebit, & munus iſtud ſuum rectius exercebit, poſtquàm ipſe peccata ſua cognoverit.* Præclarum ſanè inſtitutum, & ex amico pectore profectum, quod minerval mereatur luculentum! Barbarè hactenus & incongruè ſcripſerat ac loquutus fuerat Parens meus, ac ita etiam in poſterum continuâſſet fortè, ni ſingulari quodam fato opportunè in hunc Ariſtarchum incidiſſet, qui rectam illum & genuinam ſcribendi ac loquendi normam edoceret, & ad cujus caſtigationes ſuas deinceps formaret lucubrationes. Infelices verò illi partus, quos ante natum Animadverſionum opus enixus eſt, ad quorum perfectionem ultima deerat tanti Critici manus! *Eloquentis hominis laudem affectat* ſcilicet Parens meus, & *aliorum in eloquio atque Latinitate Cenſoris munus uſurpat.* Vnde quæſo id colligis Animadverſionum conditor? an ex eo quod ἀκυρόλογα nonnulla in Diſſertatione tuâ notavit & obiter quidem, & modeſtè, ut ſæpius dictum. Bona verba nimirum, quaſi in eo magna requireretur eloquentiæ affectatio, aut eo nomine traduci invidioſè deberet, utque *aliorum in eloquio atque Latinitate Cenſoris munus uſurparet.* At quos *alios* præter Patrem Animadverſionum eo nomine umquam perſtrinxit? Et quâ etiam ratione id ab eo factum? An illuſtrem illum Cenſoris titulum majori jure ſibi vendicare non debet, qui ſeſe ad Parentis mei Latinitatem vellicandam tanto apparatu accinxit? Quod tamen quàm feliciter illi ſuccedat, judicium feret ex ſequentibus Lector. Quî verò probare vult ex ipſis Exercitationibus Parentem meum eloquentiæ laudem affectare? In Præfatione diſertè inquit, *ipſum in iis multum ſtudii & curæ poſuiſſe*, & alibi etiam, *illas quantùm potuit ad pompam & oſtentationem ornâſſe.* ſcilicet quum ad unum illum ſco-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

ſcopum videatur in toto opere collimâſſe Animadverſionum ſcriptor, ut Parentem meum ejuſque lucubrationes in extremum adduceret contemtum, & eâ ratione oſtenderet fungos eſſe in re Theologicâ & tyrones, nec *in his diſputationibus*, ut ipſe loquitur, *ſubactos*, non præcipuos tantùm orbis Reformati Theologos, ſed Academias etiam celeberrimas, immò Synodos integras quæ Parentis mei *Exercitationes* legerant, & ſuum illis calculum magno conſenſu adjecerant: demonſtrare ipſe voluit continuâ dicteriorum & cavillorum ſerie, nihil illis Parentis ſcriptis putidius aut commiſeratione dignius, eſſe. Immò non ſolùm perſuadere voluit, illum in rei ipſius, de quâ agebatur, examine perpetuò hallucinatum fuiſſe, & turpiter cæſpitâſſe, nî Parentis etiam mei infelicitatem doleret Lector, qui etiamſi eloquutionis & elegantiæ potiſſimam videatur rationem habuiſſe, immò ſcrinia omnia Rhetorum in exornandis exercitationibus ſuis compilâſſe, ejus tamen conatui non reſponderit ſucceſſus, adeò ut Cenſoris noſtri *diligentiam hac in parte exſtimulare nonpotuerit.* Ita parùm egiſſe Parentem meum, quod maximè agere videbatur, & ſtylum ſuum quamvis ex omnibus myrotheciis ornatum fœdis paſſim nævis commaculâſſe. Iudicio hîc ſuo fruatur Lector, & cogitet Parentem meum diſertè non uno in loco in ipſis *Exercitationibus* profeſſum eſſe, ſe eloquentiæ laudem quam illi in ſuâ Diſſertatione pro ſuâ tunc humanitate Diſſertator liberaliter aſſerebat, ipſi libenter integram relinquere, neque ſe eam ambiviſſe, *idque facilè animadvertere potuiſſe virum doctum ex barbaris etiam quibuſdam ſcholaſticorum vocabulis quibus uſus fuit, paſſurum facilè ſe illum* ὑπερδραμεῖν πολλοῖς παρασάγγαις *in hoc circo, modò veritatis ſibi conſtet ratio*, ut ab eruditiſſimo BEAVMONTIO etiam obſervatum eſt, ſi tamen Animadverſionum Parenti credimus, non eâ animi contentione in evertendo Gratiæ univerſalis dogmate, ac refellendis illius in eam rem argutationibus laboravit, ac in orationis & verborum delectu, cui curæ vult illum unicè & diligenter quidem incubuiſſe. Quo nihil tamen falſius, nihil iniquius, vel à Parentis mei inſtituto magis alienum proferre potuit. Annon enim præter ingenuam ejus confeſſionem res ipſa accuſationem Cenſoris hic convellit? Nonne Parens meus, quod in illo tantopere culpat, vocibus ex mediâ ſcholarum barbarie petitis frequenter uti ſe profeſſus eſt, quibus illi in totum abſtinere proclive fuiſſet, ſi eloquentiæ laudem in hoc Opere affectâſſet? Nec enim elegantiarum proci τεχνικαῖς illis ſcholarum vocibus eloquutionem ſuam inquinari patiuntur, aut è Peripato ſchemata orationis mutuantur. Quum verò Parens meus loquutiones id genus in ſcholis uſitatas datâ occaſione liberè & frequenter inſperſerit, vel ex eo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

manifeſtum cuivis eſſe poteſt, illum in ſcribendis *Exercitationibus* nihil minus cogitâſſe, quàm de eloquentiæ laureâ ſibi comparandâ. Adde ipſum, quum ad illarum ſcriptionem animum appulit, non potuiſſe iis exornandis tantùm temporis inſumere, qui per occupationes varias, & ipſam etiam temporis anguſtiam vix ſcribendis iis ſufficere potuit, quum vel inprimis Animadverſionum conditor eum non ſemel nimiæ arguat in ſcribendo celeritatis. Quod utique impingi jure illis non poteſt, qui ſcripto alicui ornando & perpoliendo demorſos impendunt ungues & pexendæ Orationi, quod de mulieribus ait Comicus annum integrum indulgent. Conciliet ergo iſta hic cenſor & tunc illi herbam porrigemus. Certè in Operis illius ſcriptione uſus eſt Parens meus ſtylo planè extemporaneo, ut hoc de ſuo mihi largiatur Animadverſionum ſcriptor, & qualis in polemicis id genus operibus adhiberi ſolet ἀνδρὸς πολλοῦ καλλωπίσματος. Conferat etiam Lector inter ſe, ſi tantum illi otii ſuperſit, *Exercitationes* & alia Parentis ſcripta publici juris facta, ac pro ſuo candore judicet,

Quid ſolidum crepet, & pictæ tectoria linguæ,

& an illas Critico pumice lævigare voluerit. Quidquid hîc obtendat SPECIMINIS Auctor numquam probare poterit, eum eloquentiæ laudem in hoc Opere *affectâſſe*. Numquam ſanè lenocinia verborum, vel phraſes ſeſamo & papavere ſparſas, ut elegantiſſimus Arbiter loquitur, captavit, quibus Auditorum vel Lectorum etiam animos ſuaviter demulceret quam tamen mercem hodie magno apparatu obtrudunt nonnulli, & ipſe Animadverſionum Pater de verborum delectu, Ciceroniano ſcilicet, admodum ſolicitus. Hoc tamen eſt priſcam Patrum noſtrorum ſimplicitatem æmulari, & per illorum graſſari veſtigia, immò *Calvinum*, Virum præter incomparabiles alias dotes, ab omni fuco & ceruſſâ mirum quàm alienum, luxuriantis ingenii & ſtyli commentationibus exprimere. His dotibus ad meram pompam & oſtentationem comparatis faſtidienti ad ſolidiores ſeculo commendant ſeſe plurimi, qui majoribus inclareſcere non poſſunt. Alia verò fuit ſemper Parenti meo de ſacris diſſerendi ratio, ut bene etiam doctiſſimus BEAVMONTIVS judicavit, & ab omni illo fermento aliena indoles. Exiſtimavit in primis nihil minus decere Theologum, quàm hinc inde quæſitis orationis pigmentis & inani verborum farragine ut indigeſta mole, delectari. Mirum autem Animadverſionum ſcriptorem eloquentiæ ſtudium in Parente meo non obſcurè traducere qui illam in purpuræ ſuæ limbo primam oſtentat, quod neminem latet, cui vel ex fama vel ex viſu etiam innotuit. Certè parum prudentis hominis videtur, id in alio quocunque

modo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

modo ſuggillare, quo ſe ipſum efferre alias ſolet. Verùm cum Lyrico vate concludamus,

> Αἱ γὰρ φρενῶν ταραχαὶ
> Παρέπλαξαν καὶ σοφόν.

CAPVT III.

De primâ obſervatione Grammaticâ Animadverſionum *ſcriptoris,* Hic eſt Rhodus noſter, *& illius iniquitate.*

PEriclem refert auctor graviſſimus in publicâ Athenienſium concione verba facturum, id unicè in votis habuiſſe, ne in tales umquam voces erumperet, ex quibus populus vel minimam juſtæ offenſionis anſam poſſet prætexere. Quod laudabile & imitandum omnibus exemplum, atque vel iis maximè quibus animarum ſalus credita eſt, tantùm abeſt ut exprimere voluerit Animadverſionum Parens, ut oppoſitam planè agendi rationem, tanquam genio & moribus ſuis magis conſonam, amplexus fuerit. Id enim ſedulò operam dedit in vaſto hoc Animadverſionum Opere, non ſolùm ut aculeata eſſent ſingula propemodùm verba, ſed mordaci etiam, ut ille loquitur, aceto & atrâ bile diluta. Quod eſt hominum duntaxat nigræ loliginis ſucco tinctorum, & graſſantium ferarum inſtar, haudquaquam verò illorum qui humanitatis, minùs qui pietatis praxin profitentur. Cujus rei documenta, quæ paſſim obvia ſunt, & ſingulis occurrunt paginis, ne longius arceſſam, illuſtre habemus inprimis, & quod erit inſtar omnium in primâ obſervatione Grammatica Animadverſionum Parentis. Poſtquàm enim in genere acerbè nonnulla præfatus fuiſſet, quæ in ſuperioribus ſunt à nobis excuſſa, ita rem ipſam aggreditur, pulcherrimum Critices ſuæ ſpecimen daturus. *Ac primùm quidem*, inquit, *effluxit ex ejus memoriâ, quod puer didicit olim quo genere ſint nomina urbium & inſularum.* Deus bonè! πῶς τὰς φρένας ἐκπεπόζασαι, ὦ θαυμάσιε; Patieris enim nos hîc te compellare, quamvis non ignoremus illud Tragici

> Οἱ γὰρ πνέοντες μεγάλα τοὺς κρείσσους λόγους
> Πικρῶς φέρουσι τῶν ἐλασσόνων ὕπο.

An illius, quam ſuſtines tot jam annos, perſonæ, non ſanctiſſimi ordinis, non famæ denique tuæ conſideratio intercedere potuit, quominus ab immani iſta Parentem meum inſectandi, & contumelioſè lacerandi impetigine te cohiberes? Non *tacita hominum judicia*, ut alicubi exclamas, non propriæ conſcientiæ teſtimonium reformidâſti, modò, ut cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

Pindaro tuo iterum loquar, ἐν δίκᾳ τε καὶ παρὰ δίκαν, illatam tuo nomini & tuæ, ut etiam judicas, exiſtimationi injuriam ſtrenuè ulciſcereris? An tantùm apud te potuit ἕλκος ὑποκάρδιον, quod infixum ſcilicet geris ſub pectore, ob ſpes tuas tam infeliciter & inauſpicatò in herbâ præciſas? An illuſtriori exemplo demonſtrare poteras, quo actus ſpiritu calamum huic ſcriptioni admoveris, quam putidis id genus cavillis in ipſo limine decorare voluiſti? *Effluxit* ſcilicet *ex Parentis mei memoriâ quo ſint genere nomina urbium & inſularum.* Infelicis utique & obtuſæ virum memoriæ, cui res pueris nota *qui nondum ære lavantur*, & qui alienæ adhuc ferulæ ſunt obnoxii ex eâ effluxit ſi Animadverſionum ſcriptori credimus. Stupendam verò memoriæ felicitatem Cenſori noſtro gratularemur, cui rara adeò regula in primâ ætate hauſta ad hoc uſque tempus pertinaciter hæſiſſet; niſi conſtaret nobis unde tam acuta obſervatio ei ſuggeſta fuiſſet, cujus aliàs fortè abſque monitore haudquaquam meminiſſet. Mirum verò inauditam hîc memoriæ imbecillitatem Parenti meo liberaliter adeò affingere Animadverſionum conditorem, cujus incredibilem facultatem in ipſo non ſemel, quamvis ne id quidem ſine morſu, in hoc opere extollit. Diſertè enim ſcribit alicubi *memoriæ vitio illum peccare non potuiſſe, quam audiat in eo valere excellenter.* Et alibi inquit p. 295 Animadverſ. ſpecial. quod obſervatione inprimis digniſſimum eſt, *memoriæ imbecillitatem quis accuſet in homine, in quo tantam ejus facultatis vim eſſe manifeſtum eſt, ut nonnunquam copia rerum judicii limen obruat.* Quod convitium tanquam luculentum animi ſaucii documentum ſecurè prætermittimus,

Πόλλ' ἂν σὺ λέξαις, οὐδὲν ἂν πλέον λάβοις.

Conciliet verò illa inter ſe lector cum ſuperioribus Animadverſionum ſcriptoris verbis, & videat in quæ abſurda illum calumniandi libido præcipitem agat. Certè an memoriâ ipſe Cenſor *valeat excellenter*, vehementer dubitare me fateor, quippe cui propria verba excidêre, quum ad Grammaticas iſtas, Obſervationes ſe accingeret. An ob id judicio plus valeat affirmare non auſim, & ex Parentis mei *vindiciis* conſtare cuivis poterit? Mirabitur etiam Lector eum, qui *memoria* Parentem meum *vult valere excellenter*, immò qui *memoriæ imbecillitatem jure accuſari in illo non* poſſe diſertè profitetur, rem tamen ex ea effluxiſſe velle non pueris tantùm, ſed nemini primis linguæ Latinæ elementis ſemel imbuto utut infelicis memoriæ, incompertam. Mallet tamen Parens meus Grammaticæ regulas potius quàm veræ & puræ Theologiæ canones ex memoria ſua effluxiſſe. Mirùm verò hominem ne primorum quidem artis iſtius rudimentorum amplius memorem ab Animadverſionum ſcriptore perpe-

tuo *viri docti* elogio cohoneſtari, immò illi in Diſſertationes Præfatione *perreconditam eruditionem* aſcribi. Non ſufficienter hactenus editis lucubrationibus oſtendit Parens meus, ſibi primas Grammaticæ regulas *è memoriâ non effluxiſſe*, nec nominibus urbium aut inſularum alibi paſſim & in his etiam *Exercitationibus* debitum genus aſſignavit? Benè actum verò cum ipſo, quod contra Animadverſionum conditorem calamum ſtrinxerit, quo ille regulam adeò neceſſariam & minus etiam obviam ipſi tempeſtivè adeò in memoriam revocaret.

Quî verò probare vult *effluxiſſe ex Parentis mei memoriâ, nomina urbium ac inſularum eſſe fœminini generis.* digna enim res eſt, quam intelligas Lector, ſcilicet *quum ad vulgare illud Græcorum Proverbium non alludere*, ſed id exprimere *vellet* ἰδοὺ Ῥόδος ἰδοὺ πήδημα, hîc Rhodus noſter *dixit*, *quaſi Rhodus diceretur genere Maſculino. Rhodi nimirum terminationem illi Grammaticæ jam paulò obſoletiori impoſuiſſe. Omnino verò certum eſſe vocem illam eſſe fœminini generis, nec aliter ab auctoribus uſurpari, idque patere ex loco Pindari* quem adfert in hunc finem Animadverſionum ſcriptor. Certè θάμβος μ' ἔχει εἰσορῶντα, immò potius

αἰδὼς μ' ἔχει
Εἰς ὄμματ' ἐλθεῖν τοῖσιν ἐξειργασμένοις.

Præclara utique & digna Theologi gravitate obſervatio! Voluit nimirum eo pacto teſtatum facere Auctor *ſpeciminis* non parùm aberrâſſe Parentem meum, qui aliquid in ipſius ſtylo caſtigare auſus eſt, cui tamen primæ etiam Grammaticorum regulæ è memoriâ effluxêre. ſcripſit ſcilicet *Rhodus noſter* in Præfatione *Exercitationibus* præmiſſâ Parens meus, & terminatio illi Grammaticæ jam paulò obſoletiori impoſuit. At *certum eſt omnino illam eſſe fœminini generis*, inquit. Ne ſcilicet de eo dubitaremus in poſterum, & ut rei etiam incredibili aliàs futuræ fidem faceret, exemplis ſtudioſè conquiſitis confirmari debuit. Næ labore admodum ſupervacaneo defunctus eſt, qui Lexica ſua eo nomine conſulere voluit! Eximium equidem & reconditæ eruditionis monumentum! Annon hîc acclamabimus Thaumaturgo noſtro φθάς σοι λελάληκε quod in more poſitum erat apud Ægyptios, autore Suida, accinere omnibus iis, qui occulta & vulgo non obvia eruebant, aut incerta etiam quandoque illuſtrabant? Quibus laureis univerſa Grammaticorum natio ejus frontem decorabit, quam præclara hac obſervatione ſibi in æternum obſtrinxit? ſi quis id genus artibus egregiis demereatur in futurum poſteritatem, illum Pædagogorum choro magnis acclamationibus admixtum in ſublimi conſtituet gradu. Mira utique converſio, quâ factum ut ex tanto & πρεσβεύοντι Theologo, immò novæ etiam Theologiæ

architecto, evaſerit Grammaticæ tribus præſtes. Quàm laxaret hic ſplenem Animadverſionum ſcriptor in exagitandâ ridiculâ hac annotatione, ſi tale quid à Parente meo tot tragicis verbis fuiſſet deſignatum. Et illa tamen ſub initium operis Lectoris oculis objici debuit, ut ex eâ de exquiſitâ ejus Criticâ judicium ferret. ſanè ſi ex eo ſpecimine de reliquis obſervationibus judicium fieri voluit, næ putidæ illæ ſunt omnes ac ineptæ. *Terminatio* ſcilicet adeò inſolens, & parùm obvia Parenti meo *Grammaticæ jam paulò obſoletiori impoſuit*. At quæſo cur idem non fecit in plurimis aliis vocibus ejuſdem cum *Rhodus* terminationis, ut *Synodus*, *Methodus*, & id genus aliis, quibus in Exercitationibus ſuis ſæpe obviis fœmininum genus conſtanter appoſuit. Cur in iis non æquè lapſus eſt, & cur *teriminatio* hîc illi non æquè *impoſuit?* Et cur illum Animadverſionum Parens tanquam Grammaticæ paulò obſoletiorem traducit, quem tanquam Grammatici laudem magnâ prenſatione ambientem non uno in loco acerbè perſtringit? Egregium verò Grammaticum, qui illi arti non ſolùm paulò obſoletior eſt, ſed, ſi credimus Cenſori, in prima ejus rudimenta turpiter adeò impingit. Felicem autem ipſum Animadverſionum ſcriptorem, qui re ipſâ oſtendere voluit, quidquid alibi in contrarium dicat, ſe Grammaticam adhuc, quam puer edoctus eſt, non exactè tantùm callere, ſed ſe armatum ferulâ aliis etiam ad hanc artem viam præire poſſe. Quia verò non puduit Virum faſtidioſi ad nugas iſtas ſtomachi bonam hujus paginæ partem in futili hac & ineptâ obſervatione, ſed integram etiam in ipſâ Præfatione paginam impendere, operæ pretium eſt ut ejus iniquitatem agnoſcas Lector, ni illa jam tibi ex operis ipſius lectione ſatis ſuperque explorata eſt & comperta. Quum Parens meus exprimere vellet tritum illud Græcorum Proverbium, ἰδοὺ Ῥόδος ἰδοὺ πήδημα & ſcripſiſſet *hîc Rhodus hîc ſaltus noſter* accidit Typothetæ incuriâ, ut ultima verba *hic ſaltus*, quæ tamen ſola vim proverbii denotant, omiſſa fuerint, & vox *noſter* cum *Rhodo* conjuncta. Quia verò Parenti meo properè typographica folia legenti accidit, aliis quippe multis diſtracto occupationibus, ut obſervatum ab eo non fuerit, nec in erratorum ſyllabum relatum, id ſtatim in compendium ſuum vertendum ſibi cenſuit Animadverſionem conditor, nec prætermittendam oblatam illam tantùm non ἀπὸ μηχανῆς occaſionem Parentem meum tanquam primarum Grammaticæ regularum oblitum ſalsè traducendi. En Theologicam animi moderationem, ac hominis patientiam & lenitatem Chriſti æmulantis exemplum? An ſi tale quid omnino, quod falſiſſimum tamen eſt, à Parente meo, *quadam animi*, ut ipſe alibi loquitur, *incogitantiâ* factum eſſet, debuit eo nomine ita protervè ipſi inſultare,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

tare, & ex memoriæ imbecillitate, ac merâ ignorantiâ id ab eo profe-ctum pertinaciter adeò contendere? Næ de Lectorum ſuorum credulitate ſecurus fuit admodum Animadverſionum ſcriptor, quibus ſe hoc perſuaſurum credidit? Deſiderârunt hîc certè in eo candorem & modeſtiam amiciſſima ipſi aliàs capita, quæ plurimum ejus exiſtimationi iniqua id genus cenſura detrahi non parum doluêre. Quaſi ſcilicet ii, quibus vel leve cum Typothetarum gente commercium intercedit, ignorent, quàm ſæpe quorundam illorum negligentia & incuriâ non multa ſolùm verba, ſed lineæ etiam integræ quandoque prætermittantur. Nihil verò Auctoribus familiarius eſt, quàm plurimos id genus nævos in ſcriptis ſuis non obſervare, dum illa relegunt, qui vel aliis nonnunquam cogitationibus diſtrahuntur, vel etiam qui id, quod animo concepêre, typis expreſſum cenſent. Quid iniquius verò quàm eo nomine in Auctores ipſos incurrere, immò tanta procacitate culpam in illos derivare? Et ut mireris Lector Critici noſtri ingenium, & qua fronte hoc potuerit Parenti meo affingere, audi illum ſe ipſum ſtrenuè jugulantem in prima Animadverſionum Generalium parte. Quùm enim ἀσύνδετα nonnulla in ejus Diſſertatione notâſſet Parens meus, ita ſe purgat ab hac accuſatione p. 32. *Nam non nego ſanè poſſe reperiri locum aliquem in Diſſertatione meâ in quâ ſit aliquid* ἀσύνδετον. *At nihil eſt tamen ejuſmodi, quod rejicere non poſſim ad errores Typographorum & operarum, haud minus quàm accentus in dictionibus Græcis perperam collocatos, quos Vir doctus mihi exprobravit.* Fidem tuam Lector! Licebit animadverſionum ſcriptori voces aliquot præteritas in operarum culpam rejicere, & id Parenti meo non licebit! Quo jure, aut quo privilegio id ſibi confidenter dicat, quod aliis tamen non vult indultum? An ſedet pro tribunali ſuperciliosus Cenſor, & leges imponit, ipſe interim iis ſolutus, & exlex, ut Venuſinus vates loquitur; Non poterit Parens meus particulas *hîc Saltus* omiſſas ad typothetarum errores referre, Animadverſionum tamen Parenti fas erit varia id genus σφάλματα illarum incuriæ in ſolidum aſſcribere? Habebit ἐκτὸς πημάτων πόδα hac in parte, & erit ab omni reprehenſione ſecurus, Parens meus autem cenſuræ obnoxius in gravem & tantum non capitalem culpam incurret. Quid iniquius aut injuſtius, quàm id in Adverſario virulenter perſtringere, quum nôſti idem tibi jure impingi poſſe?

Τεύχων ὡς ἑτέρῳ τις ἑῷ κακὸν ἥπατι τεύχει.

Sed pergit Animadverſionum Auctor ſplendidè Parentis mei cauſam contra ſe-ipſum agere. *Dici enim*, inquit, *certè non poteſt quantum incuria & imperitia & nonnunquam etiam temeritas iſtorum hominum nobis negotii in eo genere faceſſant, & quàm multa* σφάλματα *oculos noſtros ſubterfugiant, cum*

aliis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

aliis occupationibus diſtinemur. An melius Parentem meum aut luculentius ab omnibus ſuis cavillis abſolvere poterat, ſi magno etiam ære conductus ab eo fuiſſet, ut ipſi patrocinaretur? Cur ille quum diſertè adeò fateatur dici non poſſe, *quantùm incuria & imperitia, immò etiam temeritas illorum hominum negotii nobis faceſſat, & quàm multa σφάλματα oculos noſtros ſubterfugiant,* cur ille, inquam grandem litem eo nomine Parenti meo intentavit? vel an ſolos Typothetas Salmurienſes huic negligentiæ & αὐθαδείᾳ quandoque obnoxios exiſtimavit? At loquitur in genere de Typographorum & operarum gente. Et quæ hìc ſubdit, præcipuè expendi merentur. *Vt enim iſta me in aliorum operibus nunquam offenderunt, ſic ſpero alios in lectione mearum lucubrationum ferè pariter animatos. Exigui enim ſemper animi eſſe exiſtimavi in leviculis illis obſervationibus hærere.* His gemina ſunt, quæ in illâ ad Lectorem προσφωνήσει Erratorum ſyllabo in calce Operis præfixa totidem verbis leguntur. *Tu reliqua benigne Lector ex æquo & bono facilè condonabis. Nihil enim eſt ſeveritate in eo genere iniquius, nihil indignius viris gravibus, quàm ut alii aliorum labores in iſtis operarum peccatis carpant.* Hæccine ſcribere auſum Animadverſionum ſcriptorem! vel qui hæc ſcripta leget, quî perſuadere ſibi poterit, eum non dubitâſſe alibi ſeipſum atro carbone notare, nec mirum tamen

οὐ γὰρ ἴσον νοέει καὶ φθέγγεται.

Quid verò in illo mirabimur, primò ne defectum judicii, an memoriæ, quem utrumque Parenti meo objecit indignationis & doloris plenus, ob imminutam, ut non falsò opinatur, nominis ſui latè ante hac radios ſuos diffundentis exiſtimationem. Opus equidem mirum de Lectoris ſtupore confidentiâ. An nebulam ſe poſſe illius oculis offundere credidit, ut non videret illum manifeſtè adeo ſibi ipſi dicam ſcribere? An verò Periclis exemplum hìc imitari voluit, qui, ut in ejus vitâ Auctor graviſſimus docet, luctâ à Themiſtocle devictus, contrarium tamen præſenti Athenienſium populo inuſitatâ eloquentiæ ſuæ fiduciâ perſuadere modis omnibus voluit? Ne ægrè itaque ferat Animadverſionum conditor, ſi poſtquàm talia repetitis vicibus ſcripto publico mandare auſus eſt, candorem in eo & æquitatem deſideremus. Videat tamen ipſe & judicet, an *Viri gravis* perſonam propriâ confeſſione non decoxerit, qui tantâ non dicam *ſeveritate*, ſed iniquitate potius, immò tanto faſtu Typographicum mendum Parenti meo unicè imputatum voluit. Pronunciet etiam, an illa verba ſibi ſoli non debeat vindicare, & meliori quidem jure quàm dum ea Parenti meo imputare voluit, quæ in aureâ ejus Præfatione leguntur, *non perſpicit vir doctus dum accurati Grammatici gloriam affectat, ſe & gravis Theologi & hominis prudentis exiſtimationem neglexiſſe.* Quis

enim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

enim hac in parte ſeverum ſe ex iis, ne quid pejus dicam, præbuerit demonſtrare velle, eſſet revera, λύχνον ἐν μεσημβρίᾳ ἀνάπτειν. Atque vel ex iſtis patet, concidere illa omnia, quæ magno apparatu ſub Præfationis finem adjecit Animadverſionum conditor, quo Parentem meum ulterius traduceret. Quum enim aliquanto poſt evulgatum *Exercitationum* opus Parens meus fortè in præliminarium lectione verſaretur, animadvertit ſtatim voces *hic ſaltus* & operarum injuriâ prætermiſſas, & ſuo, ut ita dicam, παροράματι in Erratorum ſyllabum relatas non eſſe. Quamvis verò numquam exiſtimaret fore, ut eò uſque hominum protervia erumperet, ut σφάλμα in re adeò tritâ ſibi tantâ iniquitate imputaretur, & ipſe Typothetæ negligentiam prolixè adeò lueret, atque eò magis ſecurum ſe ab eâ parte crederet, quod in vocibus illis *hîc Rhodus noſter* & particula *hîc* diſertè virgulâ ſupernè notata eſſet, ut à pronomine diſtingueretur, & quod in verbis illis nullus planè ſubeſſet ſenſus, illa verò eſſent omiſſa, quæ ſola ejus intentum deſignare poterant, & Proverbii vim exprimere, nihilominus tamen ut calumniandi pruritum maturè retunderet, mendum illud in plurimis Exemplaribus, quæ adhuc erant penes Typographum, ad calamum emendari curavit. Elapſo verò multo tempore, quum ejus exſpectationem Animadverſionum Auctor ſuâ Reſponſione in longius protraheret, miratus non parùm fuit, quod ipſi tunc primùm conſtitit ex litteris candidiſſimi & integerrimi Viri, & cum quo ipſi arta à plurimis annis amicitia intercedit, graviſſimum illud mendum non operis ſed ſibi in ſolidum impingi. Quum verò vel ex eo ſolo ſpecimine abundè colligeret, quid ſibi in cæteris ab hominis iſtius candore polliceri deberet, continuò ad amiciſſimum illum virum fide ac eruditione eximium, ob labores verò pro Eccleſiâ Dei exhauſtos bonis omnibus merito ſuo chariſſimum, reſcripſit, & rem fideliter illi expoſuit, voces nimirum *hic ſaltus* inter *Rhodus* & *noſter* interjectas operarum incuriâ prætermiſſas, mirari verò ſe quâ fronte aut conſcientiâ id ſibi affingeretur, quaſi prima Grammaticæ elementa oblivioni mandâſſet. Quod ubi Animadverſionum conditori quorundam delationibus innotuit, non parùm ægre tulit, ſpes ſuos de Parente meo eo nomine acriter defricando interverſas, & præclaram illam obſervationem, in quâ ſeriò ipſi triumphare conſtitutum erat, & cujus gratiâ criſtas erexerat, irritam cadere. Hinc omnes ingenii ſui vires explicare aggreditur in ipſâ Præfatione, ut quo jure, quâve injuria σόλοικον illum à Parente meo profectum pertinaciſſimè, ne dicam malitiosè aſſerat. Nolebat ſcilicet hunc bolum ſibi è faucibus eripi, unde mirum quàm in eo æſtuet, & quibus ratiocinationibus evincere ſe poſſe ſperavit, typothetarum vitio mendum illud admitti

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

non potuiſſe, de Lectorum cæteroquin judicio οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ. Ac primò quidem obſervandum, dicere ibi Animadverſionum ſcriptorem *incogitantiâ quadam animi* ita fortè à Parente meo ſcriptum. Si verò id verum cenſuit, an ergo debuit eâ de cauſâ virulenter adeò ipſum perſtringere, & tanquam Grammaticarum regularum oblitum adunco naſo ſuſpendere? Et ſi id Parenti meo accidiſſet, dicteriolum illud tantùm Cenſori meliori jure potuiſſet regerere, quod in ſecundâ Animadverſionum ſpecialium parte legitur, *Vir doctus de iſtâ ἀκυρολογίᾳ triumphet. Magnificum illud erit procul dubio, & dignum quod hominum in ſe oculos convertat!* ſecundò inquit, *nullam eſſe ſimilitudinem inter voces* Rhodus *&* ſaltus *quæ occaſionem errori Typothetæ præbere potuerit.* Quaſi ſcilicet illorum hominum incuria non longius evaderet, & integræ ſæpe lineæ non omitterentur, duæ verò voculæ facilè præteriri non potuerint. An ignorat id Animadverſionum ſcriptor, vel non meminit amplius illorum verborum, quæ in primâ Animadverſionum Generalium parte ſcripſerat in ſuperioribus à nobis adducta? *dici enim certè non poteſt quantùm incuria, & imperitia, & nonnunquam etiam temeritas iſtorum hominum nobis negotii in eo genere faceſſant.* Ita ipſe Parenti meo fert ſuppetias, & pulchrè ſe ipſum refutat, unde alio illorum verborum examine opus inpræſens non habemus. Pergit verò in acerba illâ Præfatione, & rogat, *quî mendum illud à Typographo admiſſum non Correctoris ſolùm, ſed Parentis mei oculos præterfugere potuerit, qui præliminaria illa quantâ potuit accuratione ſcripſit, & ab omnibus mendis diligenter emaculavit.* En inauditam hominis pertinaciam! Quaſi verò, ut ſuperius etiam diximus, accuratiſſimis quoque ſcriptoribus ſæpe non uſuveniat, rebus præſertim aliis intentis ac diſtractis, ut multa id genus σφάλματα aciem oculorum ſubterfugiant, ac vel inprimis dum ea typis exſcripta exiſtimant, quemadmodum illa animo concepêre. An ipſe etiam Animadverſionum Auctor Parentem meum, ut vidimus antea, non abſolvit hac in parte & diſertè cauſam illius agit, dum inquit *dici non poſſe quàm multa σφάλματα oculos noſtros ſubterfugiant, præſertim cum aliis occupationibus diſtinemur.* Sic feſtivè in ſe ipſum incurrit. Quod verò audacter adeò contendit, Parentem meum *præliminaria illa quantâ potuit accuratione ſcripſiſſe,* eo ipſo ſuo ſe jugulat gladio. Si enim verum illud ſit, quod veriſſimum credit Animadverſionum ſcriptor, quî ille in re adeò obviâ & ipſis infantibus notâ turpiter potuit labi. Quod ſi nimiæ in ſcribendo celeritatis hîc illum accuſaret, aliquâ ſaltem coloris ſpecie mendum illud ipſi objicere poterat, quaſi *incogitanti* & nimium feſtinanti excidiſſet. Sed quum pertendat Parentem meum omnes ingenii nervos intendiſſe, & ab omnibus aliis cogitationibus liberum quantâ potuit ἀκριβείᾳ in Præfationibus illis

illis ſcribendis verſatum eſſe, quî potuit credere Animadverſionum Pater illum aliis rebus intentum hæc ita ſcripto conſignâſſe? An illud præclarum eſt magnæ *accurationis* indicium? At *Grammaticæ regulæ ex memoria ejus effluxêre, & id rotundo ore fateri debuit* Parens meus, *ni mallet gravis Theologi & hominis prudentis exiſtimationem negligere*. Hæc verò in ſuperioribus abundè ſunt excuſſa, & nemini non conſtat, quis amborum majorem gravitatis Theologicæ rationem habuerit, & quis eam in ſcribendo neglexerit. Certè nec dicteriis vel cavillis, minus contumeliis aut convitiis gravitas Theologica commendatur. Et quamvis Parentem meum non ſolùm in ordinem redigere conetur Animadverſionum Auctor, ſed ipſum etiam ut novitium aliquem, & tyronem in re Theologicâ explodat, nemini tamen ne ſuis quidem φοιτηταῖς & intimæ admiſſionis diſcipulis perſuadebit opinor, Grammaticæ regulas ex ejus memoriâ effluxiſſe. Ne quidem ipſum Cenſorem id credere exiſtimo, quod aliis tamen & repetitis vicibus, & magno conatu, ut candorem ejus agnoſcas Lector, nequicquam inculcare nititur. Addit tandem, ut nihil contumeliæ reliqui faceret, *optare ſe ut viri docti autographum ſibi fideliter à Typographo repræſentaretur*. Feſtivum utique æquè ac iniquum votum! Feſtivum quidem, quaſi Parens meus, cui ſchedas ſuas, poſtquàm typis fuerunt expreſſæ, Typographus, ut mos eſt, commiſit, tanquam Diti aurum ſtudioſè in arcâ nulli unquam uſui futuras & diſperſas planè aſſervaret. Si Animadverſionum conditori tanti ſua conſtent, ut poſtquàm ſcriptum aliquod prælo commiſit, & publicè prodiit, elapſis aliquod annis illius autographum poſſit exhibere, hac in parte Parenti meo *accurationis* laudem præripit, qui aliis abundè onuſtus inutilem ejuſmodi ſarcinam non ſolet anxiè cuſtodire. Si tamen iniquam illam hujus Critici reprehenſionem animo prævidiſſet, fortè præter morem Præfationis ſuæ autographum penes ſe retinuiſſet, quo fideli ejus repræſentatione ruborem acri huic Cenſori extorqueret. Iniquum verò etiam illud votum diximus, qui Parentis mei verbis parùm credens, illius fidem in dubium probroſè adeò revocat. Næ ille cæteros ex ingenio ſuo metitur, qui tot lubricæ fidei veſtigia in hac ipſâ virulentâ Præfatione paſſim reliquit! Quod præter Parentis mei Vindicias edita magnorum virorum *Molinæi*, *Riveti* utriuſque, *Vincentii*, ac *Iuræi* ſcripta luculentis & ἀναντιῤῥήτοις exemplis demonſtrant. Parens meus, Dei beneficio, vixit hactenus integerrimâ fide, & nemo illam in eo deſideravit, qui non improbus eſſet aut malignus. Hanc laudem incorruptam illibatamque ad extremum uſque conſtanter tuebitur, nec de eâ quidquam vel malevolentia vel iniquitas hominum detrahere poterunt. Nôrunt omnes, queis propius innotuit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

quàm apertum & dolis omnibus impervium pectus gerat, quâ dote ſe commendavit iis omnibus, qui ſuum ei pretium ponunt, illa ingenia ſemper exoſus, queis per artes quasvis & fraudes ſuæ ambitioni velificari leve eſt ac joculare. Sed pudet me non mediocriter ridiculæ adeò & putidæ obſervationi diutius immorari, & in eâ exagitandâ tempus & otium terere. Eò tamen vel invitum adegit Animadverſionum conditoris importunitas, & obtrectandi libido. Deprecarer hîc multis Lectoris veniam, nî gravis adeò Theologi premens veſtigia, erubeſcerem culpam profiteri.

CAPVT IV.

De ſcholaſticorum verbis à Parente meo uſurpatis.

NOn inſolens hujus ævi morbus eſt audacter ea contemnere, quæ ignores.

Ἀμαθία μὲν θράσος, λογισμὸς δὲ ὄκνον φέρει.

Vnde cum aliquo periculo conjunctum eſt, in iis ingenium ſubigere, quæ captum & admirationem vulgi excedunt. Hujus rei exemplum, nec enim aliunde vacat nunc arceſſere, luculentum ſuppeditat nobis Animadverſionum ſcriptor. Qui quum in ſcholaſticorum ſcriptis hoſpitem ſe profiteatur, cæteros etiam mortales hanç eruditionis partem ut inutilem planè & perniciosſam nollet attingere. Hinc nunquam ſibi melius placet quàm ubi in illorum hominum gregem acerbè invehitur. Conjuratus eorum hoſtis ἄσπονδον cum iis bellum gerit. Bonum verò factum, ſi ea tantùm in ſcholaſticis damnaret quæ damnanda ſunt, qualium ſanè prolixam ſegetem eſſe non diffitemur. At quod eos omnino tanquam præſentiſſimam ſtudiorum perniciem, & puritatis Ciceronianæ corruptores proſcribit, in eo extra juſtæ reprehenſionis limites abripi videtur. Sic in virulentâ illâ Præfatione ſuâ *ſordium* illarum meminit, *quibus ſcholaſtici Latini ſermonis elegantiam contaminârunt*, additque, *ſe velle ex animo Theologiam noſtram ab illâ cum eloquii barbarie, tum importunitate cogitationum eſſe purgatam ac liberatam, quibus eam ſcholaſtici dehoneſtârunt.* Hinc Parenti etiam meo dicam capitalem ſcribit, quod phraſibus nonnunquam & vocibus ex mediâ Philoſophorum ſchola petitis in *Exercitationibus* ſuis uſus ſit. Concoquere id non potuit ſupra modum faſtidioſus ad talia Auctor *ſpeciminis*, unde hîc etiam dolorem ſuum multis exonerat. *Ad illam ſermonis*, inquit, *ſtribliginem proximè accedunt barbariſmi frequentes, partim ex inquinatiſſimo ſcholaſticorum idiomate deſumpti,*

partim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

partim &c. ac paulò poſt: *A ſcholaſticis mutuatus eſt verbum* cauſari *pro* generare *vel* creare, *vel* eſſe cauſam, *quo ſenſu nunquam ſumitur ab iis qui Latinè loquuntur, & fortaſſe* approximationem objecti & obnoxietatem ad aliquid, *quæ vocabula, ut puto, lingua Latina non agnoſcit. Nam ad* illuſorium *quod ſpectat, vix ſcio unde illud ipſum hauſerit, niſi ex iiſdem fontibus qui penè ſemper fluunt admodum lutulenti.* ſpero Animadverſionum ſcriptorem ſcholaſticis aliquantò æquiorem fore in poſterum poſtquàm bilem ſuam in ipſos tantâ vehementiâ evomuit. Non ignorabat ſanè Parens meus ſcholaſticos malos caſtigatæ Latinitatis Magiſtros eſſe, & ſi elegantias ambitioſè captâſſet, quod ipſi non ſemel aſſcribit Animadverſionum Parens, haudquaquàm commiſiſſet, ut quicquam ex iſtâ ſcholarum barbarie *Exercitationibus* ſuis miſceret. Noverat etiam antequàm ſe ad illas ſcribendas accingeret, ita hodie cum pleriſque ingeniis comparatum eſſe, ut ad omnium palatum ſcribere velle, ſit reverà ὕδατι νίζειν θολερὸν ἰοειδεῖ πλίνθον. Haudquaquam itaque crucem ſibi fixit, ut ſtylum ſuum ad genium Ciceronianum in diſputatione ſcholaſticâ componeret, ſed ut rem exequeretur, quam exequendam ſuſceperat, conſuetis ſcholarum, ut vulgò loquuntur, *terminis*, ſatis ipſi fuit ita ſcribere, ut intelligi ab omnibus poſſet, elegantiarum æquè ac laureolæ ex iis contemtor. De Oratorum itaque legibus unicè ſecurus recepto ſcholarum more cum Animadverſionum ſcriptore, quem in hac palæſtrâ exercitatum magis ſperaverat, congredi voluit, & illam diſputandi methodum adoptare, quæ ipſi convenientiſſima ſemper viſa eſt & veritati in apertâ luce conſtituendæ, & detegendis refellendiſque omnibus Adverſarii ſophiſmatibus. Nec enim ad Diſſertationes rhetoricas, ut mos eſt Animadverſionum conditori, & ſolenne illis qui ex ejus diſciplinâ prodierunt, ſcribendas animum appulerat Parens meus, ſed ad diſputationem ex arte cum ipſo inſtituendam. Hinc illi, quos ita appellat, *barbariſmi frequentes ex inquinatiſſimo ſcholaſticorum idiomate deſumpti* ultrò ab ipſo adhibiti, quibus magno cum fructu, & felici ſucceſſu, maximorum Theologorum & Academiarum integrarum judicio, omnia Animadverſionum ſcriptoris tela retudit, & argutationes omnes ſolidè confutavit. Confitentem ergò hîc habet reum, & *barbariſmos* ſuos agnoſcentem. Quod ſi illos in Hiſtoriæ aut Panegyrici alicujus ſcriptione uſurpâſſet Parens meus, aliquo ſaltem colore id in ipſo ſugillare potuiſſet Animadverſionum ſcriptor, illos verò in Polemicâ diſputatione ab eo ex arte adhibitos nemo jure culpare poteſt, qui non vel iniquitatem, vel ignorantiam ſuam hac in parte profiteatur. Non mirum verò illos Cenſori diſplicuiſſe, magis quia nodos necterent, quibus ſolvendis imparem ſe agnoſcebat, quàm quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

ſoni duritie, ac, ut ipſe loquitur, peregrinitate delicatas ejus aures Ciceronianis tantùm pigmentis aſſuetas offenderent. Fatemur tamen eò magis ſecurum ſe hac in parte exiſtimâſſe Parentem meum, quod ſcholaſticis id genus vocibus in ipſa de Gratiâ univerſali Diſputatione, quam oppugnare infelici eventu voluit Diſſertationis Auctor, uſus non ſemel fuerat, neque tamen illos nigro thetâ notâſſet adverſarius. Immò id ulterius audendi fiduciam ſuo exemplo injecerat, qui in ſuâ Diſſertatione, ut de aliis ejus ſcriptis nihil dicam, voces etiam aliquas ex mediâ ſcholarum barbarie Latinitate donatas nonnunquàm uſurpâſſet. Et quod miraberis inprimis Lector, Animadverſionum Auctorem non puduit in hoc ipſo opere, in quo tantum & plus quàm Vatinianum erga ſcholaſticos odium profitetur, verba ex lutulentis illorum fontibus ab aliis hauſta non ſemel adhibere. Noluit nos id ipſum latere, quando de ſtylo ſuo ita ipſe gloriabundus in Præfatione loquitur: *Puto tamen eum eſſe purum atque Latinum, niſi ſi fortè ei aliquid adhæſit ex illis ſordibus quibus ſcholæ elegantiam Latini ſermonis commaculârunt.* Tales ſunt voces *identitas*, *ſimultaneitas*, *Mediatorius*, *futuritio*, *ſanctificator eventualiter* & plurimæ id genus aliæ, quas etiam lingua Latina, ut puto, non agnoſcit, quibus dolendum virum terſum adeò in ſcribendo, & Longolio magis Ciceronianum ſtyli ſui puritatem inquinâſſe. Egregium verò Cenſorem qui in aliis adeò acerbè perſtringit, quod ipſe tamen admittit. Vel ergo iis vocibus, quas horret tantopere, ſe abſtinere in totum debuit, vel à Parente meo eo nomine traducendo ſuperſedere. Verùm quærenda undique fuit materia inſectationis, & ubi ſpecioſum deſiit argumentum, optima quæque magnâ ſui æquè ac Lectoris confidentiâ ſolicitanda fuêre. Non refugit ergo voces illas Parens meus, quas notat Animadverſionum conditor, non quaſi ex Ciceronis aut veterum id genus ſcriptorum libris eſſent depromptæ, ſed quod ſcholarum more cum ipſo diſputaret, non verò rhetoricaretur. Ita *cauſari* dixit cum ſcholaſticis, & ſi quæ ſunt alia id genus ſine ullo Criticæ cenſuræ metu. Nec poteſt Animadverſionum ſcriptor eam hîc in Parentem meum exercere, quin ipſe in eandem pariter incurrat.

CAPUT V.

De vocibus illuſorius *&* concernit.

QVum imperante Tiberio quidam ob verbum peregrinum & Romanis illius temporis auribus inſolens à nonnemine caſtigaretur, ille verò Tiberii auctoritatem opponeret, ſcitè alter reſpondit, Cæſarem Gallos Romanâ civitate donare poſſe, Gallorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

lorum verba non poſſe, ſcilicet novis & peregrinis vocibus temerè uti non debet accuratus ſcriptor, ne in κακοζηλίαν incidat, quo morbo ii quoque dicuntur laborare, qui flagrantiſſimi novitatis proci nova ſubinde vocabula audacter fingunt. Hoc vitium Parenti meo impactum voluit Animadverſionum ſcriptor, quum tanquam *barbariſmos, à ſe*, ut loquitur, *genitos*, & crebrò uſurpantem caſtigare non dubitavit. Quarum integrum loquutionum Syllabum quum ab ipſo præſtolaremur, unam producit vocem *illuſorius*, quo atroci illi accuſationi fidem faceret. Quin ignorare ſe adhuc profitetur, an vocabulum illud ex lutulentis ſcholaſticorum fontibus hauſerit necne Parens meus. Quod ſi verum eſt, præclara hæc obſervatio concidit, & in fumos it ac favillas. Quæ enim in ſequentibus carpit vocabula, agnoſcit ipſe & fatetur illa primùm à Parente meo procuſa non eſſe, ſed frequenter hodiè in eruditorùm ſcriptis occurrere. Dici autem non poteſt, quantum bilis ad naſum Cenſori noſtro conciverit illa vox *illuſorius*, quam in Parentem meum eo nomine non ſemel effundit. Nunquam alacrior fermè eſt, quàm ubi illam & nullâ auctoritate ſuffultam, & crebrâ etiam repetitione faſtidium parientem multis admodum perſtringit. Hinc quamvis occaſionem ambabus arripit manibus illam expungendi, & ut Romuli Nepotibus ignotam ὀβελίζειν. Vnde in primâ Animadverſionum Generalium parte, ita jam in eam invehitur, *Quid*, inquit, *quod puto in illis ipſis Exercitationibus quas vir doctus quantùm potuit ad pompam & oſtentationem ornavit, ſexcentis in locis occurrit adjectivum* illuſorius;*quod nullum tale verbum eſt apud idoneos ſcriptores*. Sic alibi paſſim in hoc opere peculiari illam inurit ſtigmate, & hoc ipſo loco multis lineis illam exagitat. *Nam ad* illuſorium, inquit, *quod attinet, vix ſcio unde illud hauſerit, niſi ex iisdem fontibus, qui pene ſemper fluunt admodum lutulenti. Attamen ſi frequens uſus vocabulis auctoritatem conciliat (ſcilicet penes eum loquendi jus & normam eſſe cecinit Horatius)* utique *nunc iſtud cenſeri debet Romanâ civitate donatum. Ita enim paſſim in hiſce Exercitationibus occurrit, ut nihil ſit in eis frequentius repetitum. Neque de nihilo eſt quod tantopere placuit Cenſori hodiernæ Latinitatis*. Eat nunc, & Parentem meum tanquam ſedulum Grammaticationum ſectatorem traducat Animadverſionum conditor, quem non pudet obſervationem nihili tanto molimine & tot locis inculcare, quaſi illâ Gratiæ univerſalis negotium confectum foret! Neque verò de nihilo planè eſt, ut non malè opinatur, quod vox iſta Parenti meo placuerit. Non parùm enim idonea illi viſa eſt, immò ἐνεργητικὴ inprimis Adverſarii ſui dogmatum abſurditati ſignificandæ. Nec à vero abluſerim, ſi dixerim etiam *de nihilo non* eſſe quod adeò *Cenſori hodiernæ Latinitatis diſplicuerit*, ut illam totiens voluerit velli-

vellicare. Quàm vereor ne in poſterum adhuc à Parente meo adhibita faſtidium illi ac moleſtiam creare ulterius pergat. Adde eam non primùm à Parente meo confictam, & ut ſcholaſticos omittam, quibus adeò infenſus eſt Animadverſionum Auctor, à graviſſimis ſcriptoribus non ſemel uſurpatam. Et quamvis etiam ab eo primùm introducta fuiſſet, quum conſtet Analogiæ ratio, & ad aliarum vocum normam formata ſit, annon præſenti nota ſignata eſſet. *Vt* enim à verbo *ludere* fit *luſorius*, quod apud probatiſſimos ſcriptores frequens eſt, ſic an ab *illudere illuſorius* deduci non potuit? Annon licitum ſemper fuit, & omnium ſeculorum experientia comprobatum, voces id genus procudere, quæ cum Analogiâ & exemplis non pugnant, ut præter Venuſinum illi qui familiam in his litteris ducunt diſertè affirmant? Inveniet Animadverſor ab omni ſeculo, ut poëtas omittam, conceſſum fuiſſe perpetuò eruditis ὀνοματοποιεῖν, & nova nonnunquàm verba fingere. Ita ne in exemplis longè petitis multùm laboremus, annon frequens hodiè apud caſtigatiſſimos alios Scriptores occurrit *deriſionis* vocabulum quale verbum tamen vix apud veteres invenias. Attamen quum *irriſio* Tullii auctoritatem merito ſuo Animadverſori noſtro ſacram præ ſe ferat, an alteram etiam vellet expungere ſeverus hîc Cenſor. At intercedet illi hac in parte vir in his litteris aliquantò magis ſubactus, immò qui totam propemodum ætatem in hoc ſtudio conſumſit *Gaſpar Scioppius* magni nominis & famæ Criticus, qui in exiguo *Animadverſionum* bello non ita pridem edito inquit; Deriſio *pro* illuſione *nullo auctore dicitur, ait Voſſius. Cicero tamen* irriſionem *dixit. Cum ergò* deridere *non minus quàm* irridere, *& æque* irriſor *atque* deriſor *Latinè dicantur, nimiæ ſuperſtitionis videtur* deriſionem *parùm Latinè dictam arbitrari.* Hoc ſibi reſponſum habeat Ariſtarchus, qui illam vocem *illuſorius* nullo ſuo merito tam acriter flagellat. Quidni eadem ratione hîc dicam, quod quemadmodum *ludere*, ita etiam *illudere* dicatur, & ſicut à *ludere* fit *luſorius*, ſic ab *illudere* etiam deduci poſſit *illuſorius*. Ita Patrum memoriâ doctiſſimus ſcriptor, & qui ab eruditis *acerrimi judicii & cultiſſimæ dictionis* nomine cohoneſtatur, *Matthias Corradus* poſtquàm lib. 2. de copiâ Latini ſermonis p. 54, 55, & 57. prolixâ veterum auctorum citatione, & allatis exemplis variis docuiſſet ab omni ævo licitum fuiſſe voces ejuſmodi cum analogiâ & exemplis conſonas formare, ſubdit: *Quæ (malum) ſuperſtitio ignavos invaſit, qui metuant, ut* amatricem *cum Plauto, ſic* Expiatricem, Eſuritricem *& hujuſmodi innumerabilia, dicere? quando lex nulla eſt quæ id vetet, & nos auctoritate, præceptis, exemploque ſuo auctores omnes ad ſerviendum neceſſitati, & commodis adhortantur.* Et paulò pòſt: *Hoc eò pertinet ut ſtultos doceam, in voluntate hominum, aut potius neceſſitate*

eſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

eſſe poſitum, etiam ſi ſit opus quotidie novis de verbis conſtituere. Non verba omnia ſuos habent auctores? Non docti ad omnes unum novârunt infinita. Non vulgus, ruſtici multitudoque infima principium dedit quamplurimis? & poſtquàm exempla nonnulla attuliſſet, quæ prolixum nimis foret hîc recenſere, addit, *quod ſi à multis nomen ductum non eſt, ſciamus tamen ſi commodum ſit, fieri licere: immò etiam inſanire eos qui repugnant.* Denique poſtquàm ſalsè illos irriſiſſet, qui cum Cenſore noſtro faciunt, concludit, *ea ne tu non probes, nec Latina eſſe diſputes, quia in Grammaticorum non ſint Commentariis, ſive Lexicis, aut vocabulorum Indicibus.* En Animadverſor, annon in his nomen profiteris tuum, qui continuò eo quod vocem illam *illuſorius* in triobolariis tuis Dictionariis non deprehendiſti, ſtatim eam atroci ſtylo confodiendam cenſuiſti? At debuiſti prius illius vocis vim expendere, & an analogiâ & exemplis propemodùm infinitis ſatis ſe à ſeverâ tuâ reprehenſione vindicare non poſſet, diſpicere, quo infelicem Criticam tuam ab eruditorum vel riſu vel contemtu ſaltem immunem præſtares. *lib. 5. ep. 16.*

Succedat his auctoribus majoris adhuc in hac litteraturâ & judicii & auctoritatis *Gerhardus Voſſius*, qui in elaboratiſſimo de *Vitiis ſermonis* Opere, argumentum illud ab exemplis & analogiâ deſumtum frequenter inculcat. Sic quò de reliquis fidem faciamus, quum *fideliter* & *hoſpitaliter* apud Ciceronem occurrant, voces *infideliter* & *inhoſpitaliter* non veretur admittere, Animadverſore aliquanto minus ſcrupuloſus Vir in omni litterarum genere ſummus. Sic de voce *inverecundiâ* inquit, *quamvis auctorem non habeat, eadem tamen Analogiâ dicitur, quâ à* verecundus verecundia. Quin *Schoppius* eo nomine *Voſſium* tanquam parum legis ſibi præſcriptæ memorem traducit quod *puritatem* in dubium revocet, quum *impuritas* tamen apud Ciceronem legatur, & plurima hanc in rem adducit, quæ proclive foret nobis hîc deducere, ni Animadverſoris pudori vellemus conſultum. Audiat hîc unum adhuc illuſtrem *Salmaſium*, qui multis etiam contra auctorem noſtrum militat in Commentario de linguâ Helleniſtica, & inter cætera inquit; *Nova vocabula quæ eloquutionem non vitiare diximus, nec in aliam dialectum convertere, ea ſunt quæ ab idoneo & magnæ auctoritatis ſcriptore reperta, uſu poſtea convaleſcunt, aut ab ipſo qui opus aliquod compoſuit ficta, & in illo opere primùm poſita ſunt, quamvis in uſum populi non tranſeant. Hoc ſemper licuiſſe optimus auctor Horatius ſcribit, nempe voces procudere novas, dummodo præſenti nota ſignatæ ſint, id eſt formatæ ad exemplum & normam verborum quæ in uſu habentur.* Quod ipſum etiam in ſequentibus pluribus confirmat, & exemplis variis it illuſtratum, quæ in eruditiſſimo illo ſcripto videre poterit Animadverſionum Parens. Quod ſi tantorum virorum auctoritati refragari etiamnum velit, nec te-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

merè & paullò præcipitantius prolata revocare, commiſeratione potius dignus erit, quàm ullo accurato examine. Quia tamen nihil ad ejus guſtum facit, niſi quod à canâ antiquitate venerationem meretur, quò omnem illi in poſterum querelæ anſam præcidamus, audiat ipſiſſima primi inter veteres Criticos nominis Fabii verba; *Non*, inquit, *accedo Celſo, qui ab Oratore verba fingi vetat. Nam cum alia eorum (ut dicit Cicero) ſint Nativa id eſt quæ ſignificata ſunt primo ſenſu; alia Reperta quæ ex his facta ſunt, etſi jam nobis ponere alia, quàm quæ illi rudes homines primi fecerunt, fas non ſit, at derivare, flectere, conjungere, quod natis poſtea conceſſum eſt, quando deſiit licere*? Sive jam ergo Veteres, ſive Recentiores conſulat Animadverſionum conditor, videbit nihil præclarâ ſuâ obſervatione falſius, nec cauſſam ullam fuiſſe, cur ob vocem illam *illuſorius* tantos fluctus excitaret. Sed quid longius exempla congerimus, an quæſo luculentiora illis ullibi ſe offerent nobis, quæ in hoc ipſo opere plenâ manu concedit Animadverſionum ſcriptor. Poſtquam enim ſponte ſe excuſaturus acceſſit in verboſâ illâ Præfatione, à nemine tamen adhuc eo nomine poſtulatus, quod vocem *efformare* in Animadverſionibus alicubi adhibuiſſet, atque ſe illam non ex Tullio ſuo quidem, aut Terentio, ſed Theologorum lectione hauſiſſe profeſſus eſſet, addit; *ab eo enim* (nempe *efformare*) *certè non refugi, partim quia uſitatum eſt à Martyre, & aliis non ineptis Scriptoribus, partim quia à quocunque procuſum fuerit, & ex analogiâ formatum, idem enim quod effingere, & idcirco non indignum quod Latinâ civitate donetur*. En Cenſoris noſtri ſupercilium? An privilegium illud ipſi ſoli indultum, & quo jure, quâ tandem auctoritate id ſibi vindicat, quod in aliis protervè adeò perſtringit. An *illuſorium* Analogiæ magis repugnat, quàm ſuum illud *efformare*, aut minus dignum, quod Romanâ civitate donaretur, videri poſſit, niſi eo jam dudum gauderet privilegio. Quis hîc mecum in tanto Critico inſignem vel judicii, vel memoriæ imbecillitatem non agnoſcet, & cum adeò ſplendidè in leges à ſe præſcriptas impingere, non mirabitur! Sic vocem *impetratorius* non ſemel in hoc *Specimine* uſurpavit Animadverſionum Parens, qualis nuſquam tamen apud Veteres aut *idoneos linguæ Latinæ auctores* occurrit. Cur verò licitum illi fuerit à verbo *impetrare* confidenter admodum formare vocem *impetratorius*, & Parenti meo non liceret ab *illudere* derivare *illuſorius*? Vllumne quæſo diſcrimen intereſt, & an hoc verbum ab eo tot locis & eà ſtyli acrimonia exagitandum fuit, qui tantum ſibi indulſerat? Quod illuſtrius inauditæ cujuſdem ſecuritatis argumentum! Scilicet non ſatis eſt Animadverſionum Parenti regnum in Theologia affectare, & horna ac cruda ſua placita pro vero & ſolo Euangelio prurientibus ad novitates ingeniis obtrudere,

lib. 8. *cap.* 3. *Inſtit. Orat.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

trudere, ni etiam, ſi Deo placet, ſe tanquam Criticorum Principem ingenti τύφῳ inferat, penes quem unum ſit arbitrium vocibus Romanæ jus civitatis transſcribendi. Sed quàm vereor, ne ut alterum infelici hactenus ſucceſſu, ac infauſtis planè avibus aggreſſus eſt, ita hac etiam in parte, ſpe ſuâ excidat, & præclaras deſtinationes ſuas videat interverſas.

Pergit verò Auctor *Speciminis* & alteram illam vocem *concernit*, non obiter, ſed multis etiam περιγράφει, ita enim verbum hoc tanquam Criticorum proprium obelo aliquid configentium ad Athenæum exponit magnus Caſaubonus. Ac primò quidem obſervat Cenſor, *undecunque vocem illam* concernit *pro* ſpectat *habuerit Parens meus, ſcire ſe illam ei non eſſe peculiarem. Eam enim ſi bene meminit à viro illo præſtanti, cui lucubrationes ſuas cum Parente meo inſcripſerat, aliisque ante ipſum uſurpatam, vitare tamen illam debuiſſe Parentem meum ſingularem Elegantiarum amatorem, ut pote non Latinam. Quod enim ſemel in Cicerone occurrat in Petitione Conſulatus, in melioribus codicibus eſſe confido, & eam alibi nuſquam legi.* Hæc ſunt Heroica Animadverſionum Parentis ἀνδραγαθήματα, in quibus magnificè triumphat. Illæ reconditæ ſcilicet gravis adeò Theologi, & à Pædagogicis quiſqui iis abhorentis obſervationes, quibus, ut proſternendo Adverſario admodum opportunis, exornandum fuit τηλαυγὲς προπύλαιον. Obſerves verò, mi Lector, primò diſertè fateri Animadverſionum Scriptorem, vocem illam multis ex Recentioribus tritam, & inter alios quidem Celeberrimo *Riveto* (quem non obſcurè etiam ſuggillare hic obiter voluit, diſſimulato ſcilicet nomine, quod protervè aliàs lacerandum ſed ſuo damno ſuſcepit) illam proinde Parenti meo *peculiarem non eſſe*, nec proinde ab *eo genitam*. Atque ita illum maximorum hominum auctoritate ſeſe tueri hîc poſſe, qui ipſi hac in parte præluxêre, nec ideò turpe illum ducere aut inglorium calcantem eorum veſtigia cæſpitare. Mirum quoque ipſum à Cenſore eo nomine caſtigari, qui, plurimas voces veteribus ignotas, & nuperis primùm ſcriptoribus traditas in hoc ipſo *ſpecimine* non refugit, immò illorum auctoritatem obtendit. Sic enim in Præfatione loquitur; *Præterea forſan inter legendum occurret verbum aliquod veteribus auctoribus incognitum, at uſu tritum à nuperis ſcriptoribus, & ex lectione noſtrorum Theologorum hauſtum, ut eſt* efformare, *& ſi quod eſt aliud ſimile. Ab eo enim certè non refugi, partim quia uſitatum eſt à Martyre, &c.* Quæ in ſuperioribus jam exſcripſimus. An hæc non apertè pro Parente meo faciunt, quum agnoſcat ipſe Animadverſionum ſcriptor, & res doceat, nihil hac voce *concernit* frequentius hodie apud graviſſimos etiam Scriptores occurrere, ut doctiſſimus Martinius in Etymologico etiam ſuo agnoſcit. Ita ut vocem tam magnis Auctoribus tritam, & uſu jam paſſim rece-

lib. IV. *cap.* 27.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

ptam, ut cum Animadverſore loquar, *non refugerit* Parens meus, nec eo nomine dicam ſibi adeò ſolennem ab eo ſcribendam autumare potuerit, qui plurimùm ſibi hac in parte permiſerat. An verò in Grammatico hoc foro, ut de Tullio jam non dicam, unius Martyris auctoritas majoris erit ponderis, quàm aliorum magno numero qui non inter Theologos duntaxat, ſed litteratores etiam magnum nomen habent. Vt verò Animadverſionum ſcriptor ſingulari quodam fato in argumentum Andriæ à Mureto præfixum incidit, in quo phraſin, quam à Parente meo caſtigatam credi voluit, auſpicatò admodum invenit, ita elapſis etiam diebus (ut hoc quoque Cenſoris exemplo notemus) duo hujus vocis exempla ſponte ſe mihi nihil tunc minus cogitanti ingeſſerunt. Primum largietur nobis immortale hujus Academiæ lumen *Petrus Cunæus* magni non ſolùm inter Iuriſconſultos ſed Philologos etiam nominis & famæ, & quod pluris hic faciendum, omnium judicio cultiſſimæ & puriſſimæ dictionis ſcriptor. Atqui quum fortè ad manus eſſent elegantiſſimæ ejus Orationes ante annos aliquot publici juris factæ, in quibus verè Latinam & terſiſſimam dictionem, ut jam dixi nemo non exoſculatur, vocem *concernit* non ſemel adhibitam obſervavimus. Ita inter cætera inquit p. 179 *Semper aliquid moliebatur; quod privata negotia concerneret. Petrum Cunæum* excipiat Iuriſconſultus itidem & Philologus *Iacobus Gothofredus*, in cujus Diſſertatione de *velandis mulieribus* illuſtri *Salmaſio* oppoſitâ vocem *concernit* pro ſpectat reperiet quoque Animadverſionum ſcriptor. Si verò illos Latinè non ſcribere contendat, nec tanti illorum ac Mureti ſui auctoritatem ducat, *noſtra*, ut cum ipſo loqui nobis liceat, *non multùm refert*. Videbit ſaltem vocem illam non ſummo tantùm *Riveto*, aut Parenti meo, ſed alterius etiam fori ſcriptoribus, & iis quidem qui nollent inter principes litteratorum non cenſeri, uſurpatam. Sed non opus eſt ut à Recentioribus tantùm hîc pendeamus, quum habeat etiam vox iſta inter veteres magni nominis Auctores. Ita Latinam hanc eſſe, & in Columellâ probatiſſimo ſcriptore reperiri mihi coràm ſignificavit incomparabilis *Salmaſius*, atque ita etiam in eo, quem ex Calepino ſuo exſcripſit Animadverſor, Ciceronis loco reſtituendam. Et quamvis non diffiteamur aliquem eſſe in codicibus diſſenſum, Roberti tamen Stephani editio conſtanter quoque retinet *concerno*, ut inter cæteros etiam legit magnus aliâs Ciceronianæ Latinitatis vindex Nizolius. Videat jam Animadverſionum conditor, an ſibi melius non conſuluiſſet, ſi vocem & veterum codicum auctoritate ſuffultam, & tot ac tantis ſcriptoribus probatam, & jam ubique receptam in Parente meo non ſuggillaſſet, quum & ipſe illi hac in parte exemplo ſuo in multis id genus vocibus præiverit?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

rit? Quin ſi vel maximè *concerno* Latinum non eſſe eviciſſet, quod ab eo tamen præſtitum non eſt, annon liceret nobis illi verba ſua regerere, quæ in aureâ ejus Præfatione leguntur, *utut eſt Latinum ſit nec ne, ad Quæſtionem de Gratiâ univerſali nihil attinet?* καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα.

CAPVT VI.

De Phraſibus ſibi imaginari, nobis repræſentare, *&* capacem eſſe objecto dignoſcendo.

NIhil iniquius homine, quem flagrans vindictæ cupido ſemel inceſſit. Inſtar navis immanibus procellis agitatæ huc illuc fluctuabundus impellitur, & id unum intendit, ut effervefcenti morbo longè lateque ſeſe diffundendi campum indulgeat. Hujus rei veritatem confirmare ſuo exemplo voluit Animadverſionum ſcriptor, qui quum indignâ Theologo μικροφιλοτιμίᾳ, & ſcrupuloſâ ac pluſquàm pædagogicâ ἀκριβείᾳ ſingula Parentis mei verba Calepino in conſilium adſcito examinaret, neque ſatis inveniret, quò ſuam carpendi libidinem expleret, maluit quidvis potius vellicare, quàm inultus cadere. In hunc cenſum veniunt loquutiones nonnullæ, quibus uſum Parentem meum ſcribit, diſſimulatis tamen ubi reperiuntur locis, quos non ut barbaras, ſed ut minus elegantes viſum perſtringere *ſingulari Elegantiarum amatori.* Aſſcribamus hîc ipſiſſima ejus verba, ne luxatum quicquam quiritetur. *Latinumne ſit*, inquit, *an verò Gallicum, quod aliquoties uſurpavit* ſibi imaginari, *pro eo quod elegantius dicitur fingere aliquid in animo, nolim affirmatè pronuntiare. Video enim viros doctos inter recentiores ita loquutos. Quia tamen phraſim illam nuſquam legere memini in ullo eorum ſcriptorum, ex quibus norma loquendi petenda eſt, crebrum autem eſt in idiomate noſtro* s'imaginer, *ſuſpicor id inde profluxiſſe, ut alterum illud* repræſentemus nobis. &c. Iudicet vel ex hoc ſpecimine Lector ſuæ ſpontis, in quas anguſtias redactum oportuit Animadverſionum conditorem, qui illa ipſa quæ Latina diſertè negare non ſuſtinuit, nihilominus tanquam minus elegantia explodere voluit. An per fidem tuam hic de majori minorive verborum elegantiâ inſtitutum erat inter utrumque certamen, & de oratorio apparatu dimicaturi in arenam deſcenderant? Adverſâ ſcilicet fronte concurrebant, ut non de Gratiâ Vniverſali, ſed de ſolâ eloquentiæ laureâ digladiaturi in publicum Orbis theatrum protraherentur. Si elegantiæ laudem interceptum Parenti meo eat Animadverſionum ſcriptor, quod ab eo tamen hactenus non factum auſim dicere, non ille

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

proinde animo concidet, aut *latè*, ut alicubi Cenſor loquitur, *ſtrages dabit*. Abundè erit ipſi argumentum ſanctum ſanctè & gravitati Theologicæ convenienter tractâſſe, & decenter magis aliquantò quàm Animadverſionum conditor. Conferat hîc Lector ſcripta utriuſque, & videat an Parens meus ſingula, quæ in Adverſarii Diſſertatione minus elegantia offendit, caſtigare voluerit. Aliud enim, phraſes nonnullas ambiguas, incommodas vel contumelioſas etiam notare, aliud illas tanquam minus elegantes cenſoriâ virgulâ expungere. Et quamvis eloquentium Auctorum, ac vel inprimis Tullii diſertiſſimi Oratorum ſcripta nocturnâ diurnâque manu Cenſoris noſtri terantur, quot ſunt Deus bone! in hoc ipſo *Specimine* loquutiones, quæ & melius, & elegantius multò potuiſſent exprimi, quarum nomine ſi Parens meus in ipſum incurreret, in quot ille querelas, quaſi iniquiſſimè ſecum ageretur, non ſtatim erumperet, & nihil gravitate Theologica indignius admitti potuiſſe, tragicis verbis vociferaretur. Vel ergo phraſes id genus Latinas non eſſe *affirmatè pronuntiare* debuit, vel ab iis vexandis in totum ſe cohibere, ni præſentiſſimum exulcerati animi argumentum vellet propalare. An verò quia aliquam cum Gallica dictione affinitatem habent, ex ea *profluxiſſe ſuſpicari* ſtatim debuit? Quot loquutiones quæſo & voces, ſi id ubique locum obtineret, ſuſpectæ eſſe mererentur! Quum enim in confeſſo ſit linguam Gallicam veteris Romanæ traducem eſſe, an mirum plurima adhuc hujus veſtigia ſupereſſe in ordinario Gallorum idiomate? An etiam Cenſori effluxerant verba illa, quæ occurrunt in prima Animadverſionum Generalium parte, *quod ad idioma Gallicum accedere videtur, non eſt continuò Gallicismus exiſtimandum*? Quin annon ipſe agnoſcit phraſin illam multis ex Recentioribus & eruditis quidem tritam, quorum auctoritatem Parens meus eodem jure hîc poſſit prætexere, quo licitum eſt Animadverſionum ſcriptori vocem *efformare* Martyris exemplo tueri? Et vel Baudium inprimis amores ejus ac delitias poſſemus illi obtrudere, apud quem vox illa eodem ſenſu, quo à Parente meo adhibita fuit, ſæpius occurrit. Nec illum minus eleganter loqui dicet *Cenſor hodiernæ Latinitatis*, quem *eloquentiſſimi* ſcriptoris elogio cohoneſtare voluit, & ex quo orationis ſuæ floſculos non veretur nonnunquam decerpere, cujus denique auctoritatem tanquam ἀσπίδα ἀδιάβατον Parenti meo primus oppoſuit. Denique ſciendum etiam vocem illam *imaginari* eadem ſignificatione veteribus familiarem eſſe. *Imaginari* enim iis dicitur rem quamvis per imaginem animo factam concipere. Ita Plinius Iunior caſtigatiſſimæ Latinitatis auctor vocem hanc in terſiſſimis Epiſtolis ſuis non ſemel uſurpavit. Et nihil obſtat quin commodè cum Dativo *ſibi hoc vel*

illud

illud imaginari dici poſſit, pro rei alicujus ſimilitudinem animo infigere, vel quidvis etiam mente apud ſe fingere. Gloſſarium exponit *imagino* εἰκάζω, *imaginor* φαντάζομαι. Notum autem Græcis φαντάζεσθαι inter alia dici de re cujus imaginem mente concipimus. Ab *imaginor* verò fit vox *imaginabundus*, quæ apud Madaurenſem Philoſophum legitur, & quam exponit ad eum locum vir magnus *ſimilis imaginanti, & qui ſibi imaginatur.* Non ergo ea phraſis ex Gallico profluxit, ſed Gallica ex Latino potius hanc ut innumeras alias derivavit. *Apul. lib. 2. Metamorph.*

Ejuſdem commatis eſt alterum illud *repræſentemus nobis*, quod tanquam minus eleganter dictum pluribus etiam perſequitur. *Repræſentare enim fatetur quidem verbum Latinum eſſe, & ſignificare vel rem præſentem ſiſtere, ut in repræſentatâ pecuniâ, quæ eſt propria atque primigenia hujus verbi vis, vel ſimilitudine aliquâ effingere ac referre aliquid oculis vel animo, in quo ſit alicujus rei imago, quo ſenſu eſſe apud bonos auctores aliquantò rarius. At nunquam poni niſi junctum cum illâ re, cujus in ſe habet vel refert imaginem, ut apud Columellam* faciem maris repræſentare, & repræſentare ſaporem olivarum. *Elegantius itaque Parentem meum dicturum fuiſſe, & minus Gallicè loquutum, ſi dixiſſet cum Curtio* repræſentemus animo noſtro, *quanquam id Curtius dixerit paulò diverſo ſignificatu.* En ſubtilem Animadverſionum ſcriptoris καρφολογίαν an λεπτολογίαν. Tanto ſcilicet conatu probandum ipſi fuit Parentem meum minus eleganter fuiſſe nonnunquam loquutum, quaſi in eo controverſiæ cardo verſaretur, & hoc admodum faceret ad Gratiam Vniverſalem. Voluit nimirum infelicitatem illius Lectorum oculis objicere, qui quamvis *Elegantiarum ſit ſingularis amator*, & in ornandis hac in parte *Exercitationibus* totus fuerit; integram tamen & illibatam eloquentiæ laudem reportare non potuerit. Neque id mirum, *quum illi per alias occupationes Ciceronem uſu terere non licuerit*, ſi credimus Cenſori noſtro. Sed de his jam actum in ſuperioribus, rem ipſam verò breviter excutiamus. *Repræſentare* præter ſignificationes nonnullas aliquantò magis remotas tria potiſſimum denotat, *rurſus præſentem ſiſtere*, ita Tranquillus, in vitâ deterrimi Principis Caligulæ, *ac niſi Princeps gregis algere ſe diceret, redire ac repræſentare ſpectaculum voluit*, hoc eſt rurſus exhibere. 2 *loco præſentem ſiſtere*, quam propriam & primigeniam hujus verbi ſignificationem contendit Animadverſionum ſcriptor. 3 notat rem quamvis *ſimilitudine vel commemoratione præſentem ſiſtere* ſeu rem oculis aut animo offerre, quâ nomenclatione non *rarò* ſed frequenter *apud bonos auctores legitur. Repræſentare* ergo, ut rem paucis complectar, eſt rem quamlibet ſibi præſentem ſiſtere repræſentatione verâ vel imaginariâ. Ita vir harum litterarum callentiſſimus, Budæus tritavus noſter, *eſt* inquit, *re-*

præſen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

præſentatio quædam, vera, quædam imaginaria. Sic Cicero, Curtius, Columella, Plinius, Quintilianus, aliique *boni* (ni vehementer fallor) *auctores* repræſentare dixerunt pro rem aliquam oculis vel animo præſentem ſiſtere. Videat hîc Cenſor, annon huc faciat Tullii locus qui alicubi inquit;
lib. v. Epiſt. 16. *Certò nos quod eſt dies allatura, id conſilio anteferre debemus; exſpectare temporis medicinam, quam repræſentare nobis ratione poſſimus* Nequicquam verò obſervat Cenſor rem, cujus præ ſe fert imaginem, ſemper addendam eſſe. Quidni enim commodè ſubaudiri nonnunquam poteſt, & quid ejuſmodi ἔλλειψις in hoc genere frequentius? Immò annon ſequentibus lineis egregiè ſibi contradicit acutiſſimus Criticus, quum ſcribit Parentem meum *elegantius & minus Gallicè loquutum, ſi cum Curtio dixiſſet* repræſentemus animo noſtro? Nonne rei mentio, cujus imago intellectui repræſentatur, hîc pariter etiam omittitur, & æque Latinè dicere potuit Parens meus *repræſentemus nobis*, cujus eadem planè eſt cum alterâ illa phraſi ἔμφασις? Annon hîc propria cædit vineta Animadverſionum conditor, & manifeſtè ſibi ipſe vim infert? En feſtivum Grammatici acumen Parenti meo ſuccenſentis, quod dixerit *repræſentemus nobis* cum Tullio, potius quàm cum Curtio *repræſentemus animo noſtro!* Præſtaret certè meo judicio Criticam numquam profiteri, quàm illam ita imperitè attrectare? Nec quærimus hîc, quo ſenſu Curtius dixerit *repræſentemus animo noſtro*, quum nobis abundè ſufficiat diſertè affirmare Cenſorem, Parentem meum eleganter hoc loco fuiſſe loquutum, ſi quam uſurpavit Curtius phraſin adhibuiſſet, videat jam Lector, annon à loquutionibus id genus vellicandis ſe abſtinere debuerit, quas Vir frontis adeò verecundæ tanquam barbaras è Latio proſcribere auſus non eſt. Immò ut de veteribus nihil dicam, quas plurimis iiſque non infimæ inter Recentiores caveæ ſcriptoribus familiares novit, quum ipſe, ut ſuperius oſtenſum, voces à nuperis demum Theologis procuſas, illorum tanquam ſacrâ in his quoque litteris auctoritate ab omni cenſurâ intactas velit.

Supereſt nunc phraſis illa *capacem eſſe objecto dignoſcendo,* quam titubanter iterum, & Lexicis ſuis diffiſus perſtringit Animadverſionum conditor, cujus loco *capacem ad objectum dignoſcendum* dici debuiſſe contendit, *quamvis*, ſubdit, *ita diverſimodè loquuti ſint Romani, ut nihil certi pronuntiare auſit. Idem verò alibi etiam à ſe obſervatum dicit*, in ſecundâ nimirum
p. 297. Animadverſionum ſpecialium Parte, ubi plurimis etiam lineis hanc phraſin exagitat. Digna equidem tanti Critici genio obſervatio, in quâ licet trepidè admodum proponendâ tantum temporis & chartæ inſumeret! Decebat hoc inprimis Virum repetitionum adeò faſtidioſum, & quas in Parente meo tam procaciter carpit, rem nihili & quavis algâ viliorem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

liorem multis hîc iterum in veſtibulo repetere. ſcilicet hoc talo ſtat caditve Gratia Vniverſalis! Quivis vel ex eo judicare poterit, quis amborum in pædagogico pulvere libentius volutetur, & quis adoream ex hoc circo reportare geſtiat! Et ſi propius rem inſpiciamus, quàm jejuna quæſo grammaticatio! Annon eo ipſo quod *nihil certi pronuntiare auſus ſit*, ab eâ phraſi æquè ac ſuperioribus ſollicitandis ſuperſedere in totum debuit? Notum enim multa id genus Adjectiva promiſcuè cum Dativo, aut Accuſativo additâ præpoſitione *ad* uſurpari. Ita *aptum* vel *idoneum* eſſe *alicui rei*, phraſis eſt apud Ciceronem, Plinium, alioſque frequentiſſima, & modò cum Dativo, modò cum Accuſativo conjunctæ illæ voces ejuſdem cum *capacis* ſignificationis reperiuntur.

Cur non eâdem ratione, ſi vel nulla exempla ſupereſſent, *capacem objecto dignoſcendo* pro *ad objectum dignoſcendum*, vel *objecti dignoſcendi* dicere potuit Parens meus? Nequidquam verò petit exempla ſibi ex Livio, Cicerone, aut Terentio afferri, quaſi multæ loquutiones uſu hodie receptæ non ſint, quarum exempla vix in Veteribus illis invenias. Quàm ſæpe indulget ſibi hac in parte ſeverus hîc Cenſor, & quot ipſe phraſibus hoc in Opere, ut de aliis ejus ſcriptis nihil dicam, uſus eſt, quas toties licet Ciceronianus diſertis veterum id genus ſcriptorum teſtimoniis nunquam confirmabit in æternum? Cur verò id ab aliis ſæpius exigit, quod ipſe tamen non præſtat? Ingens ſcilicet crimen Cai Cæſar, & quâvis verborum atrocitate vindicandum, quod dixerit alicubi Parens meus *capacem objecto dignoſcendo* pro *capacem ad objectum dignoſcendum*, aut *objecti dignoſcendi*, ut contendit Animadverſionum Parens. Oſtendat hîc nobis tantus Grammaticus, contra quam ſyntaxeos regulam hîc ab eo peccatum ſit, & quem σόλοικον vel βαρβαρισμὸν in illâ phraſi agnoſcat, & licebit tunc illi magnificè ob inſignem hanc ἀκυρολογίαν triumphare. Quin ſi ſtatuam eo nomine ſibi à Criticorum gente ampliſſimis decoratam elogiis erigendam exiſtimet, per nos non ſtabit, quin eam vel Cypſeli palmâ ſolidiorem conſequatur.

CAPVT VII.

De vocibus nonnullis quas ut raras & antiquas in Parentis mei ſcriptis perſtringit Animadverſionum *Scriptor.*

DVo ſunt Orationis vitia ab omni accurato ſcriptore tanquam ſyrtes & ſcopuli omni ſtudio declinanda, ἀρχαϊσμὸς & κακοζηλία, quorum illud in antiquarum & exoletarum vocum congerie, iſtud alteri oppoſitum præter ſignificationes alias in pra-

va novorum vocabulorum & loquutionum affectatione locum habet. Vtrique illum non minus orbis triumphati quàm litterarum gloriâ Auguſtum vehementer inſenſum fuiſſe, auctor eſt in ejus vita Suetonius, quem *cacozelos & antiquarios ut diverſo genere vitioſos pari faſtidio ſpreviſſe* memorat. Hinc ſcilicet ab una parte Tiberium animi ſenſa obſcuris & reconditis vocibus explicare callidum, hinc ab altera Mecœnatis ſui, amœniſſimi aliàs ingenii, & quem ut tutelarem litterarum Deum erudita olim Roma venerabatur, *cincinnos* & *μυροβρεχεῖς* (cujus etiam *Oratio* cordato illi ſtoicæ Philoſophiæ aſſertori *diffluere* viſa eſt) liberalibus jocis exagitare ſolitus fuit. *Verbis* enim *uti*, inquit Agellius, *aut nimis obſoletis exculcatiſque, aut inſolentibus novitatiſque duræ, & illepidæ par eſſe delictum videtur.* Huic verò utrique, licet diverſiſſimi generis, vitio pro ſuâ liberalitate obnoxium (ſi Deo placet) Parentem meum contendit Animadverſionum ſcriptor. De ultimo quidem actum jam in ſuperioribus, & quo jure illud ipſi impegerit, paucis expenſum: Reſtat nunc ut quâ fronte etiam Cenſor ipſum tanquam obſoletas voces & caſca verba anxiè aucupantem traducere auſus ſit, breviter intelligamus. *Video*, inquit, *Virum doctum voces raras & antiquas ſtudioſè conquirere, quibus tanquam luminibus orationem ſuam illuſtret*, & paulò poſt: *Vellem tamen ut potius Ciceronem imitaretur, cujus tanta cura fuit in delectu verborum, ut antiquas illas & deſuetudine jam emortuas, aut rarò uſitatas voces exiſtimaret eſſe inſtar quorundam ſcopulorum, quos omnis accuratus ſcriptor ſtudioſiſſimè devitat. Vel enim id eruditionis ineptam atque febriculoſam oſtentationem arguit, quo nihil indignius eſt viro gravi ac præſertim Theologo, vel Lectorum atque audientium intelligentiam præterfugit, quod haud ferè minus cavendum atque providendum eſt.* At quæſo quæ calumniæ propior obſervatio? Quis non crederet, qui tragicas has voces & provocatis ſalibus ſub querelarum ſpecie vibrantes apud hunc ſcriptorem leget, Parentem meum cum Carmentâ Evandri matre loquutum eſſe, aut ſi aliquantò recentiora magis placent, ſtylum ſaltem ſuum formâſſe ex Annalibus Pontificum, vel XII Tabularum legibus, aut libris fœderum, aut columnâ Druilli, vel inſcriptione etiam Scipionis Aſiatici. Quo tamen nihil unquam fuit à Parentis mei inſtituto, nihil ab ejus calamo magis alienum. Nunquam arriſerunt illi, quos ſcitè vocabat Auguſtus, *reconditorum verborum fartores*, nec M. Antonii exemplum æmulari voluit, qui orationem ſuam datâ operâ obſcuris & exoletis vocibus fertur involviſſe, ne intelligi ab omnibus poſſet.

Immò inter primas ſcriptoris virtutes conſtanter duxit θύειν τῇ σαφηνείᾳ καὶ ἁπλότητι, & cum Cæſare *ſenſum animi quàm apertiſſimè exprimere;*

re;

re. Quod per Dei gratiam hactenus & ubique in aliis ſcriptis & in ſuis etiam *Exercitationibus* aſſequutum illum fuiſſe, & plurimis eruditorum elogiis, & ipſiſſimâ illorum confeſſione poſſemus hîc evincere, qui, quamvis acerrimi aliàs Gratiæ univerſalis propugnatores, illarum tamen *eloquentiam, ſubtilitatem* & *perſpicuitatem* extollere non dubitârunt. Mirum itaque Animadverſionum ſcriptorem hîc Parentem meum tanquam antiquatas & inſolentes etiam voces curioſè conſectantem, quibus Lectori crucem in legendo figeret, & cum ad alia anhelantem intempeſtivè ſufflaminaret, pipulo, ut ait Comicus, differre voluiſſe. Quî verò id probare aggreditur Cenſor, juvabit enim propria hic ejus verba intueri! *Tale*, inquit, *eſt* confibula *quod vocabulum apud unum Catonem occurrit, ſcriptorem, ut erant tum tempora, eloquentem, atqui melioribus ſeculis paulò horridior viſus eſt, ac nonnihil obſoletus. Tale item* dememiniſſe *pro oblitum eſſe, quod verbum apud unum Martialem exſtat.* Scilicet ob duas illas voces tantùm erat paratragœdiandum, & atroci accuſatione Parentis mei ſcripta laceranda! Ingens nec tolerandum facinus quod cum Catone ſemel dixerit *confibula*, & cum Martiali *dememiniſſe*. His enim abſolvitur ille reconditarum & ab extremâ uſque antiquitate anxiè petitarum vocum ſyllabus. Eo nempe nomine ipſum indignanti ſtimulo perfodere debuit Animadverſionum Parens, quod in *ponderoſis* illis, & *immenſæ*, ut feſtivè loquitur, *molis* voluminibus unum vel alterum verbum, plura enim producere non potuit, non vulgò fateor obvia, magnis tamen ſcriptoribus tradita & quidem ex veteribus uſurpare ſuſtinuerit! Eâ de cauſâ illi tanquam *raras & antiquas voces ſtudioſè conquirenti* lis tantùm non capitalis intentari debuit, quaſi paria faceret cum celebri illo juſtiſſimis, ni ambitioni datæ ſint, lacrymis humanæ ſortis calamitatem ulciſcente Heraclito, quem à ſingulari ſtyli ne acutiſſimis quidem Philoſophis intellecti obſcuritate σκοτεινὸν appellatum graviſſimi ſcriptores tradidêre. Sic plana erunt in poſterum & aperta præ Parentis mei ſcriptis, quæcunque vel apud Græcos, ut Caſſandra Lycophronis, Æſchyli Agamemnon, Ara Doſiadæ & gemina illi αἰνιγματώδη opuſcula, vel apud Latinos ut tenebricoſi illius Satyrici Poëma, aut Afri ſcriptoris de Pallio tractatus, & id genus alia, obſcuritatis hactenus laudem ceteris prærripuerant. Immò paria illum facere cum celebri illo ſcriptore, qui multis eruditis riſum movit, quem joculariter potius quàm ſeriò ſcripſiſſe exiſtimo, quum inquit: *Pegaſus quì me tollutim ſuccuſſit, apud Campanæ pelvis copam erit, inde petito, phoretrumque ex eo tempore præcidito.* Legentium hæc certè fidem ſuperant, & Cenſoris hujus loliginem non obſcuris illis quidem ſed evidentiſſimis indiciis omnium oculis exponunt. Scilicet quia illi fortè ex

uno inter veteres ſapienti Cicerone, & in aliorum ſcriptis hoſpiti peregrina erant illa vocabula à Parente meo adducta, ad quorum intellectum, ut non videtur diffiteri, ſua debuit Lexica conſulere, ideò hic acerbè cum Parente meo expoſtulat. At ſi illa ignoravit, non perinde oportuit illum de aliorum Lectorum profectu confidenter adeò judicium ferre, & illos eidem ſecum ignorantiæ involvere. Certè nemo hactenus præter unum Animadverſionum ſcriptorem repertus eſt, qui illud orationis σκότος, & ἀνακεχωρηκότων, ut ille loquitur ῥημάτων περιεργίαν Parenti meo exprobrârit. Quod Catonem ſpectat apud quem cap. XII. de re ruſticâ vox *confibula* legitur, non ita *melioribus ſeculis horridus eſt viſus aut obſoletus*, quin eum acutiſſimæ brevitatis auctor Salluſtius, qui *melioribus* illis *ſeculis* floruit, compilare, & plurima ab illo verba antiqua, ut à Veteribus obſervatum eſt, mutuari voluerit. Magni etiam ſcriptorem illum feciſſe Tullium, Cenſorem noſtrum latere non poterat, qui inter alia præclaros illius Originum libros ita in Bruto extollit; *jam verò Origines ejus quem florem, aut quod lumen eloquentiæ non habent?* Non veniam ergo deprecabitur Parens meus, quod vocem illam *confibula* paullò quidem antiquioris, ſed probatiſſimorum Auctorum judicio eloquentis & magni etiam inter veteres nominis Scriptoris auctoritate munitam uſurpaverit. Vocem etiam *dememiniſſe* nequicquam vexat Animadverſionum conditor, pro quâ in melioribus Martialis codicibus *te meminiſſe* legi ex Calepino ſuo obſervat. Quod non uſquequaque verum eſt, quum plurimæ, quas inſpeximus, eæque caſtigatiſſimæ illius Poëtæ editiones verbum illud *dememiniſſe* conſtanter retineant. Et illud etiam non refugit Princeps hujus ſeculi Poëtarum *Gaſpar Barlæus*, in cujus Poëmatibus non ita pridem publici juris factis verbum illud aliquotiens me legiſſe memini. Et hæc ſunt præclara illa *Orationis lumina* quibus Parens meus Exercitationes ſuas *illuſtrari* voluit, ſi credimus Animadverſionum Scriptori, atque illæ voces ſunt propter quas non ſolùm Parentem meum ad ſeriam Ciceronis imitationem hortari illi viſum, ſed *febriculoſam etiam & ineptam eruditionis oſtentationem* in eo ſuggillare. Faxo verò ut illi morem gerat Parens meus, & meris impoſterum Ciceronis verbis ſcribat ac loquatur, quò ſibi ejus gratiam poſt tot irarum fluctus tandem demereatur, ſed optaret primò ut illi exemplo ſuo præiret Animadverſionum conditor, & quem totum ambitioſè devorâſſe vult videri, aliquantò felicius exprimeret. Tot voces certè, ex quibus nonnullarum ſyllabum infra exhibituri ſumus, illi Romanæ Suadæ ignotas tantus Ciceronani delectus amator primus *ſtudioſiſſimè devitare* debuiſſet. Mirum verò illum ad Mureti etiam & Baudii lectionem Parentem meum non invitâſſe, nî fortè illos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

illos floſculos, aut ut ipſe loquitur, *orationis lumina* ſibi ſoli velit aſſerere. Quis verò *febriculoſam & ineptam eruditionis oſtentationem* ambiverit, aut majorem *gravitatis Theologicæ* rationem habuerit Animadverſionum ſcriptor an Parens meus, quivis ſuæ ſpontis nec alterius odio mancipatus judicabit. Ingentis ſcilicet & reconditæ eruditionis laudem ex vocibus *confibula* & *dememiniſſe* ſemel in prolixo ſic ſatis opere adhibitis captavit Parens meus? Et hoc auſum ſcribere *ſpeciminis* Auctorem! Quod ſi cum nonnullis *amtruare* pro circumcurrere ſeu movere, *nenum* pro non, *uls* pro ultra, *gnarures* pro gnari, *bovinator* pro tergiverſatore, *grandiri* pro augeri, *caſner* pro ſene, *redenduare* pro reddere, *pavire* pro παίειν aut percutere, & quæ ſunt alia id genus uſurpâſſet, in quas querelas non eſſet delapſus hic Cenſor? Annon meliori jure illud cavillum in ipſum retorquere poſſumus, quo nullus hactenus Theologus febriculoſam *magis & ineptam eruditionem* oſtentavit aut gravitatem Theologicam infelicius decoxit? Quis unquam ſplendidiori apparatu Scholaſticum pulverem calcavit, aut ex pædagogicis obſervatiunculis laureolam ac triumphum reportare voluit? Immò quod admirationem tibi procul dubio exprimet mi Lector, Cenſorem noſtrum antiquariis adeò infenſum non puduit tamen vocabula ἀρχαϊσμὸν redolentia, undecunque illa hauſerit, nonnunquam uſurpare, certè quæ nec apud Ciceronem, Livium, Lucretium, Terentium, Cæſarem, alioſque purioris & verioris Latinitatis auctores leguntur, ex quorum tamen ſcriptis ſingulas voces petendas hac ipſâ paginâ contendit. Talia ſunt inter cætera *ſtribligo* & *diſpaleſcere*, quorum illud politiſſimus Noctium Atticarum ſcriptor vetuſtioribus tantùm Latinis uſurpatum docet pro illo orationis vitio, quod Græci σόλοικον, priſci autem Romani *imparilitatem* dixerunt, alterum apud unum Plautum inter veteres invenias, quem innumeris vocibus obſoletis refertum tantus Criticus ignorare non potuit, & quem etiam in illorum Auctorum ſyllabum non retulit, ex quibus ſcribendi normam hauriendam docet. Annon tantus oſor ἀρχαϊσμοῦ, & ſeverus in aliis corrector omni ſtudio vitare illas voces debuit, quas ſi frequenter adeò Ciceronem uſu triviſſet, apud illum non exſtare dubio procul ſciviſſet? Vel ſi quamvis id non ignoraret, adhibere illas tamen voluit, cur Parentem meum ad Ciceronis imitationem procaciter adeò provocat, & ob unam vel alteram vocem aliunde hauſtam gravem illi accuſationem intentat? Quis fuit unquam ſanæ mentis ſcriptor, qui ob pauciſſima ejuſmodi verba in majori præſertim opere minus uſitata, Latina illa tamen, quemquam eo nomine traduxerit? Nonne ludibrium deberet eruditis, quum nemo ſit ex univerſo litteratorum choro, & iis qui-

Agellius lib. v. cap. xx

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

dem qui principem locum tenent,& puriſſimè etiam ſcribunt,apud quem plurimæ ejusmodi voces vulgò non obviæ nonnunquam occurrent. Ita exempli gratiâ quot ſunt verba vel in unâ illa Comicorum Venere Plauto, quæ nuſquam alibi leguntur, & quæ priſcam & exoletam antiquitatem ſapiunt, quæ frequenter eruditi, & ipſe Cenſoris corculum Baudius ſuis inſerunt commentationibus ſine Criticæ ferulæ metu. Non quod hîc ſit animus mihi antiquariis frigidam ſuffundere,qui abſque judicio, abſque ullo delectu voces intermortuas planè, & neſcio ex quo antro inficetæ vetuſtatis erutas, magno conatu in lucem protrahunt, quos magnus ille litterarum ſtator *Caſaubonus* non ſemel exagitat. Abſit etiam ut inſanum ridiculi illius Pædagogi exemplum imitandum cenſeamus, qui, ut Livius & Quintilianus tradunt, σκότισον identidem diſcipulis ſuis ingerebat, quo illis orationis ſpiris variis circumductæ, & peregrinis oppletæ vocibus, obſcuritatem ſedulò commendaret. Frequens & affectatus ejuſmodi antiquarum vocum uſus cum fatali illo victoris gentium populi libertatis triumphatore omni modo declinandus, parciſſimus tamen datâ occaſione non omnino interdicendus, ubi tale quid præſertim ex ultimæ planè antiquitatis cineribus erutum non eſt, ſed idonei ſcriptoris auctoritati innixum, & ad rem de quâ agitur inprimis accommodatum, ni maximorum hominum exemplis, & omnium ſeculorum experientiæ obniti velimus. Ipſum audiat Ciceronem, cujus auctoritatem non refugiet Animadverſionum Parens, cujus hæc ſunt verba; *Non utendum verbis iis, quibus jam conſuetudo noſtra non utitur; niſi quando ornandi causâ, parcè.* Videt jam Cenſor, ſe in ipſum Tullium Magiſtrum ſuum invehi, quum ob unam vel alteram vocem paullò antiquiorem Parentem meum παραδειγματίζει, quum tamen id *parcè* ab eo ex Tulli præſcripto occupatum negare non poſſit. Sic optimus dicendi Auctor Quintilianus ita hanc in rem diſputat; *Verba* inquit, *à vetuſtate repetita non ſolùm magnos aſſertores habent, ſed etiam afferunt orationi majeſtatem aliquam non ſine delectatione. Nam & auctoritatem antiquitatis habent, & quia intermiſſa ſunt, gratiam novitati ſimilem parant. Sed opus eſt modò ut neque crebra ſint hæc, nec manifeſta; quia nihil eſt odioſius affectatione, nec utique ab ultimis & jam obliteratis repetita temporibus.* Nec antiquarii ſemper in ſiniſtram partem pro ſedulis obſoletarum vocum affectatoribus ſumuntur, ut apud Satyricum,

lib. 1. Inſt. Orator. cap. x

Ignotoſque mihi tenet antiquaria verſus,

Sed in bonam quandoque, pro non exoletæ planè antiquitatis ſectatoribus, ut Vir ſuæ ætatis doctiſſimus Budæus obſervat, qualis etiam audit inter Veteres ille non incelebris vatis judicio Princeps Hiſtoricorum Salluſtius. Quàm juſtius verò dolorem ſuum ob expreſſum parùm dili-

gent

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

genter Ciceronem in alios potius quàm in Parentem meum exoneraret Animadverſor, & *febriculoſam* revera *ac ineptam eruditionis oſtentationem* in exortis non ita pridem fucatæ cujuſdam eloquentiæ propolis majori veritatis obtentu perſtringeret! Quam juſtius, inquam, ejus ſcuticâ defricarentur Pædagogi illi verè ſcholaſtici, qui gentilitio more neſcio quæ ſubreptitia orationis lumina indigna, quàm in aliis inverecundi oris homines auſint caſtigare, μικροφιλοτιμίᾳ unde unde corradunt. Qui ut conſummatum in his litteris judicium prodant, ligatum paſſim in ſolutâ oratione ſermonem, immò ferreas etiam voces & Afris tantùm ſcriptoribus proprias, ut indubitatum ſcilicet magnæ ac diffuſæ lectionis documentum ambitioſè aucupantur. Quam verius ſciolos hoſce ad ſeriam Ciceronis lectionem poſſemus cum Animadverſionum conditore amandare, quibus ille præ Ovidio fortè aut Horatio parum tritus, ni ferocula illa ingenia & inaniarum plena, quod extremæ inſcitiæ argumentum, ſi non aliis, ſibi ſaltem ſatis facerent.

Quia verò duæ illæ voces *conſibula* & *dememiniſſe* non videbantur Animadverſionum ſcriptori juſtam tragicæ adeò cum Parente meo tanquam *voces raras & antiquas ſtudioſè conquirente* expoſtulationi materiam præbere, priora ejus ſcripta conſulenda ſibi cenſuit, quo videret an ex iis ulterius aſſertioni ſuæ poſſet fidem facere. Nullam tamen, quæ priſcam illam antiquitatem ſaperet, præter unam vocem *rutubam* obſervat, quam producit hoc loco ex *Genevâ Reſtitutâ. Tale fuit*, inquit *olim ſi benè memini in Genevâ Reſtitutâ* rutuba, *quod ex uno Varrone citat Nonius*. Benè verò actum cum Parentis mei ſcriptis, quod plura ſagaciſſimus Ariſtarchus, & qui ne Typographica quidem σφάλματα condonat, ex iis afferre non potuerit, quæ ut exoletæ vetuſtatis reliquias proſcriberet; ut verò infelicitatem ſuam, ſic inuſitatam etiam animi æruginem illuſtriori documento propalare non potuit, qui non contentus Criticâ ſtrigili Exercitationes Parentis mei egregiè depexas dediſſe, eadem priora etiam ejus opera ſed inſuſpicatò admodum detergere voluit. Atqui ſecurus erat admodum quum illa publici juris faceret ab immitis hujus Orbilii flagello, & apertus patebat vulneribus hac in parte, qui nihil tunc minus metuebat, quàm ut ſtylum ejus caſtigaret Animadverſionum ſcriptor. An tale quid à Parente meo occupatum fuit; & ſi occupatum etiam eſſet, an ille qui tantum harum Grammaticationum odium profitetur, ejus veſtigiis inſiſtere debuiſſet? Quid facilius tamen fuiſſet Parenti meo, quàm non unam vocem eamque Latinam, ſed loquutiones integras in puræ Latinitatis genium impingentes annotare, quæ in editis Animadverſionum conditoris Tractatibus magno numero occurrunt,

& ut ille loquitur ἐπιπολάζουσι, ſi idem, qui illum ſpiritus egiſſet, quum ſcriptioni *Exercitationum* calamum admovit. Mirari verò hic ſubit Cenſoris noſtri laboris aliàs fugitantis φιλοπονίαν, qui ut aliquid in ſtylo Parentis mei vellicaret, non dubitavit etiam alia ejus ſcripta , quæ publicâ ante complures annos luce fruuntur , diligenter pervolutare. Nec minus mirum, quod vocem illam *rutuba* voluerit perſtringere, quam Varroni traditam noverat, cujus unius viri Romanorum omnium doctiſſimi, & quem tanti facit Tullius, auctoritas illam ab omni cenſurâ intactam abundè præſtare videbatur: An ille ultimæ ſcriptor antiquitatis eſt; & non potius *melioribus ſeculis vixit*, qui præter innumeros Tractatus alios injuriâ temporum nobis interverſos, eruditiſſimos de linguâ Latinâ, commentarios ſcripſit, quorum fragmenta nonnulla etiamnum hodie eruditorum manibus verſantur. ſic Nonius Marcellus non infimus Veterum Grammaticorum *rutubam* exponit (vel ut alii legunt *retuba) perturbatio. Varro* ſexageſima:

Ergo tum Romæ parcè puréque pudentes
Vivere tum in patria, nunc ſumus in rutubâ.

miror verò hanc vocem Virum quendam doctiſſimum à *ſuo* deducere, quum meo judicio Græcam originem ἀναμφισβητήτως arguat, & eadem ſit cum Græcorum θόρυβος per meram litterarum trajectionem Τ & Κ, Θ nempe aſpirato mutato in lenem Τ ut frequenter fieri aſſolet. ſic ut rem uno vel altero exemplo illuſtremus, pro Græcorum λήθω Dores λάθω Romani *lateo*, pro μίνθη *menta*, pro θεῶ θεῶμαι *tueor, intueor*, & pet metatheſin etiam litterarum ut hoc loco pro ποθῶ *opto* dixerunt, ut multa id genus alia prætermittam. ſic notum Græcos Ἀθυρίαν Aſſyriam vocâſſe, pro quâ tamen alii dixêre Ἀτουρίαν, ſic Cretenſes θέρους, τίελος auctore Heſychio. Attici verò viceversâ Τ in Θ mutârunt, ut quum κολόκυντα pro κολόκυνθα dicere ſoliti ſunt. Ita illud Θ nonnunquam aliàs in D transferunt Romani, ut quod Græci ἄθυρ veteres Latini *adur* vel *ados* far nimirum ſeu ζειὰν appellarunt, & vocem θεὸς in Deum converterunt. Atque ita etiam ex Græcorum θόρυβος Latinorum *rutuba* per ſimplex Τ factum eſt. Illâ verò litterarum μεταθέσει nihil Æolibus inprimis & Romanis familiarius. ſic pro κύκλῳ, ut pauca quæ jam memoria ſuggerit, exempla afferam, quem auctore Æſchylo Græci *clypeum* vocârunt, Aeoles merâ litterarum trajectione κλύκιον dixerunt, & cum iis Latini *clypeum* κ in π mutato, ut in vocibus σκῦλον, λύκος, σηκὸς, *ſpolium, lupus, ſepes*. Ita Aeoles δρίφον, pro δίφρον, σκένος pro κσένος, σκίφος pro κσίφος, ὄλχον pro ὄχλον unde cum digammate βολχὸν, à quo Latinum *vulgus*, ut volunt eruditi, item ἄμιθρον pro ἄριθμον, uſurpârunt, ſic ὀρχὸς & χορὸς, πέρχνος,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

τέρχνος, & τρέχνος. κάρτος & κρότος, ὀρφέω & ῥοφέω unde Latinorum *ſorbeo*, ὄλχος & λόχος teſte Heſychio, ἀλχήεις ὕπνος pro λαχήεις, & ſexcenta talia. Vt nihil etiam de Ionibus dicam, apud quos θράσος pro θάρσος, κραδίη pro καρδίη, κρατερὸν pro καρτερὸν, & alia id genus paſſim apud poëtas obvia. Sic pro Hebræorum בלור Latini tranſpoſitione R & L *beryllus*, quemadmodum Græci κλῆρος pro גורל, ut vir magnæ eruditionis *Samuel Bochartus* obſervat, dixerunt. Sic per eandem litterarum trajectionem θόρυβος, quæ vox apud probatiſſimos Auctores frequenter legitur, & Latinorum *rutuba* eadem planè ſunt, & *ſtrepitum*, *perturbationem*, ſeu *tumultum* deſignant. Nec propterea credo quod Græcanicæ ſit hoc verbum originis, ſuſpectum eſſe merebitur Animadverſionum Parenti; non magis quàm *emblema*, *clypeus*, *monopolium*, *cygnus*, *pes*, *emplaſtrum*, *paropſis*, *poëſis*, *epiſtola*, & alia ſine numero, quæ in Latium ex eodem fonte dimanârunt. Non opus ergo erat vocem ita anxiè quæſitam quaſi inſigne aliquod obſoletæ antiquitatis monumentum huc afferri, minus eo nomine Parentem meum tanquam gravis alicujus ἀδικήματος reum invidioſè poſtulari. Ioculare verò eſt vel potius γελοῖόν τι, quod ne videretur priora Parentis mei ſcripta in hunc finem conſuluiſſe, ut quæreret quid cenſuræ in iis, quam acerrimam ipſi in Parentem meum exercere decretum erat, opportunum foret, vocem illam *rutubam ſi bene meminit in Geneva Reſtitutâ exſtare* dicat. Annon prodigioſam ipſi gratulabimur memoriæ felicitatem, cui ex Orationis illius lectione anno à Reformatione Eccleſiæ Genevenſis ſeculari à Parente meo pro Rectoris munere habitæ; & ultra duodecennium, & quod excurrit, typis expreſſæ vox ea hæſit infixa? Nonne mirum hanc illi tempeſtivè adeò ſuccuriſſe, quum laboraret undique in conquirendis vocibus antiquariis, quas in Parentis mei ſcriptis ἀναισχύντως μάλα vellicaret. Vel an credibile, ipſum olim eam in adverſaria ſua retuliſſe ſuo tempore depromendam tot annis antequàm publicè ſcriptis cum Parente mèo congrederetur, & eum in litigioſum hoc theatrum reluctantem adduceret. Cui mortalium ſe hoc perſuaſurum credidit, & ſi profiteri noluit conſultam à ſe illam Parentis mei Orationem, ut quæ minus probarentur, diligenter obſervaret, ne id animum loliginis felle imbutum argueret, cur non impetum hac in parte ſuum ſufflaminavit. Sed ſolenne eſt Cenſori noſtro, quæ noviſſimè inſpexit, aut aliunde etiam fortè illi ſuggeſta ſunt, ea velut ex intimo memoriæ ſuæ penu deprompta annotare. ſic paullò antè de voce *concernit* ajebat, *nam ſi benè memini vir præſtans, cui uterque noſtrûm lucubrationes ſuas dicavit, id uſurpavit aliquoties.* Ita in primâ Animadverſionum Generalium parte ſcribit, *ſpem remiſſionis portendiſſe phraſin uſurpatam abeloquentiſſimo Baudio, ut heſternâ die*

legebam & ante eum ſi bene memini à ſcriptore vitæ Virgilii Maronis. Nonne feſtivum illud eſt, eum phraſin ex hoc Scriptore, quaſi olim à ſe lectam, & in fidos memoriæ codicillos relatam huc afferre. Nec alterum illud minus lepidum, quod eandem in Baudio à ſe heſternâ die obſervatam dicat, ut quum paucis etiam interjectis paginis ſcribit, *& nudiuſtertius hæc legebam in argumento Andriæ quod confecit Muretus.* Intererat ſcilicet noſtrûm hoc ſcire, quorum Scriptorum lectione ſingulos dies diſtingueret hic Theologorum, ut eleganter cum hodiernis Oratoribus loquar, Alpha. Vt enim minima etiam Heroum facinora, & ſingulæ illorum, quos in excelſo aliquo poſitos faſtigio intuemur, actiones cum cura obſervari ſolent, ſic ad laudem ſuam pertinere cenſuit Vir μεγαλόψυχος, ut illæ, quibus ſe oblectare conſuevit, occupationes palàm omnibus fierent. Digna utique gravi Theologo, & homine illius ætatis tot curis ac laboribus diſtracti γυμνάσματα, & quorum publicè, ne quemquam lateant, monumenta nobis & toti poſteritati conſignaret! Felicem profectò Animadverſionum conditorem! cui à gravioribus ſtudiis, & aſſiduâ Ciceronis ſui ac Præſtantiſſimorum Theologorum noſtrorum lectione tantum ocii ſupereſt, quod Recentioribus illis impertiat. Si diem verò tam ſtudioſè annotâſſet, quâ hoc vel illud in Calvini, aut Muſculi, vel aliorum id genus Heroum ſcriptis legiſſet, majoris fortè in homine Theologo operæ precium fuiſſet? Sed voluit nimirum Parentis mei imprudentiam Lectorum oculis objicere, qui aliquid auſus eſt in ſtylo Adverſarii ſui deſiderare, qui illum tamen non ex ſcholarum barbarie, ſed *eloquentiſſimorum accuratiſſimorumque* ſcriptorum Mureti ac Baudii, quorum laudibus nihil detractum volumus, operibus concinnavit. Eadem ratione etiam demonſtrare voluit, non ita ſe Parentis mei ſcriptis, in quorum examine verſabatur, exerceri, nec in eo tantum laboris ſitum, ſicut communis omnium opinio tulerat, ut eo nomine à ſolitis iiſque majoris aliquanto momenti occupationibus avocari ſeſe pateretur.

CAPVT VIII.

De voce Mantiſſa, *& an rectè vel perperam Parens meus illam centum Anterotematibus præfixerit.*

CONfert ſe tandem Animadverſionum Scriptor ad ultimam Obſervationem Grammaticam petitam ex voce *Mantiſſâ*, quam inſtar additamenti ad reliquum *Exercitationum* opus, Diſſertatoris methodum ſequutus ſuis Anterotematibus præfixerat Parens meus.

meus. Hanc intactam à Critico morſu abire noluit Ariſtarchus, nec præclaram cavillandi occaſionem, quam in illa voce nactus videbatur, è manibus eripi ſibi voluit. Quum enim illi Anterotemata ipſa ſolvere per ſevera Medicorum interdicta non liceret, nec illi etiam animus eſſet illam phalangem invadere, ipſum ſaltem titulum ſolicitandum ſibi cenſuit, ratus caſuram totam illam molem, ſi eam dicteriolo ulciſceretur. Audiamus ipſa Cenſoris verba; *De titulo,* inquit, *quem centum Anterotematibus præſcripſit Mantiſane ſcribendus ſit an potius Mantiſſa, & ſit ne vox Tuſca, ut Feſtus voluit, an potius pura puta Latina, ut Ioſepho Scaligero viſum, mea quidem certè nihil refert, & doctioribus dijudicandum relinquo.* Mirum certè celebrem adeò Criticum, & qui tantâ cum voluptate ſaxum hoc volvit, nihil hîc certi pronuntiare auſum, nec ambiguam hactenus inter eruditos, ut exiſtimat, controverſiam ſuâ auctoritate decidere. Si provinciam illam ut humeris ſuis graviorem, vel potius ut infra dignitatem poſitam in ſe ſuſcipere noluit, nec vocem illam *Mantiſſam* è Latio proſcribere, debuit ab illà vellicandâ ſibi temperare. Ego verò quamvis nondum ipſis infantiæ carceribus ſolutus, & doctrinâ huic Theologorum æquè ac πελικῶν ἀρίστῳ tam longè impar ſim, fretus tamen auctoritate maximorum hominum, & in hac eruditionis parte omnium judicio κορυφαίων, utrumque dubium cum bonâ ejus veniâ non verebor paucis expedire. Ac primùm quidem quod ſpectat *Mantiſa* an per διπλασιασμὸν litteræ σ *Mantiſſa* ſcribendum ſit, miror admodum illud ab Animadverſionum Scriptore moveri, nec res adeò levis & nullius momenti tantum Criticum ſollicitum habere debuit. Notum enim quàm promiſcuus eſſe ſoleat, in multis vocibus harum litterarum uſus, & quantùm hac in parte ſibi indulgere quivis ſoleat. Antiquiſſimis quidem temporibus litteras non geminabant Romani, ut diſertè me docuit Feſtus, ſic pro *olli* vel *illi*, *oloe* dicebant veteri Maſculinorum pluralium terminatione, qui poſtea in I antea in *oe* deſinebant. Ita enim inquit plenus bonæ frugis, & reconditæ eruditionis Auctor; ab *oloes dicebant, pro ab illis, antiqui enim litteram non geminabant*, & alibi iterum. *Anus dicta ab annorum multitudine; quoniam antiqui non geminabant conſonantes.* At ut omnia mutationi ſunt obnoxia, ita mos alius paulatim invaluit, & duplicatæ in multis vocibus litteræ, adeò ut ævo etiam Ciceronis, in quo perductam ad ultimum faſtigium linguæ Latinæ puritatem nemo ignorat, *cauſſam* & *caſſum* dicerent, pro quo tamen hodie *cauſa* & *caſus* vulgò ſcribi conſuevêre. Cur non ergo potius ſcripſerit Parens meus *mantiſſam* quàm *mantiſam*, quùm prius ſit magis ex recepto Veterum æquè ac Recentiorum more, & cur non licuit hîc illi ſuo uti arbitrio. Quanquam ut dixi in eo parùm ſitum ſit, nec ſi Animadverſor *mantiſam* ſcriberet, eum ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

Criticorum tribunal propterea vellem provocare. Quidni etiam aſſentiamur magno Scaligero, qui melius legi *mantiſam*, quàm *mantiſſam* affirmat quoque, & ita etiam in veteribus Feſti Codicibus ſcriptam hanc vocem exſtare, ut ſtatim fiet manifeſtum. Ita quoque Onomaſticum, *mantiſſa*, πρόσδομα. Nec aliter etiam ſcribunt plerique ex Recentioribus, in quorum ſcriptis paſſim videas *mantiſſam* per duplex σ & vel inprimis doctiſſimorum virorum *Schoppii*, *Meurſii*, *Chifletii*, *Paræi* junioris, *Mareſii*, *Bocharti*, & *Voſſii*, quorum exempla alia agenti ſponte ſeſe obtulerunt. Ita jam videt Animadverſionum ſcriptor vocem *mantiſſam* rectè à Parente meo expreſſam per geminum σ, nec opus etiam fuiſſe ut illud in dubium revocaret.

Alterius verò dubii deciſionem, ſitne vox illa Tuſca, ut voluit Paulus, an pura puta Latina, patiatur Animadverſionum ſcriptor nos τοῦ θαυμασίου *Scaligeri* judicio permittere, qui illam Latio vindicavit, & genuinos illi natales in eruditiſſimis ſuis ad Feſtum Caſtigationibus aſſeruit. Nec pigebit hic locum integrum exſcribere. Quum enim dixiſſet Paulus apud Feſtum, *Mantiſa additamentum dicitur linguâ Tuſcâ, quoad ponderi adjicitur, ſed deterius, & quod ſine ullo uſu eſt*, ita ad hunc locum commentatur Vir illuſtris: *Mantiſa non eſt Tuſcum, ſed purum putum Latinum: Mantiſa pro manutenſa, ut manterium. Varroni pro manuterium. Teſum antiqui pro tenſum dicebant, & peſum ſeu peſſum pro penſum, & paſſum pro panſum. Igitur Mantiſa, ſeu Mantiſſa quod* MELIUS *eſt, & exſtat in quibusdam veteribus editionibus, dictum pro manutenſâ, pro eo quod manu porrigitur, præter id quod ad pondus exigitur; ut ſit mantiſa caro vel mantiſa merx* χειρότονον κρέας. *Porrigitur enim manu, non datur pondere. Porrò Mantiſam pro manteſam dictum non mirabitur, qui ſcit veteres Pertiſum pro Perteſum, & ſimilia dixiſſe. Mantiſa* ergo non Tuſca vox, ut Paulus voluit, ſed merè Latina, & ſi originem ſpectes, propriè pro eo ſumitur quod *manu tenditur*, latiori dein complexu pro quovis additamento, quod Græci dicerent προσθήκην vel ἐπίσαγμα. Onomaſticum, ut ſuperius viſum, exponit *mantiſſam*, πρόσδομα. Hinc patet falſam etiam eſſe alteram Pauli de hac voce obſervationem, *mantiſſam nimirum ſumi pro additamento deteriori, & quod nullius ſit uſus*. Nec enim id vel vocis illius origo, vel uſus illius portendit, niſi id comparatè debeat intelligi, quatenus ejusmodi additamentum exigui valoris eſſe ſolet, ſi cum totâ re cui adjicitur conferatur. Aliàs enim omninò in genere *mantiſſa* denotat quodvis additamentum, non *quod nullius ſit uſus*, quum contrariâ planè ſignificatione in accuratiſſimorum etiam Criticorum ſcriptis frequenter occurrat. Ita plurimi etiam nobiles & magni nominis ſcriptores non dubitârunt vocem illam *mantiſſam* operum ſuorum titulo cum Parente meo nonnunquam præſcribere, ut in aliquot etiam ſcri-

ſcriptis hoc ipſo anno publici juris factis me obſervâſſe memini. Atque inter cæteros *Mareſii, Chifletii, Gattakeri, Paræi*, ut hoc ipſum ad retundendum hujus Critici cavillum ex induſtriâ factum videri poſſit. Quin erit nobis inſtar omnium ille ſeculi noſtri Varro, & acerrimi in hac litteraturâ judicii *Gerhardus Voſſius*, qui in ipſo limine illius operis quod ante annos aliquot *De Vitiis ſermonis falſóque ſuſpectis* inſcripſit, vocem illam uſurpavit; *Propterea*, inquit, *ingenti Opere, ſed hactenus inedito, egimus de vocum Origine & Proprietate: publici verò juris jamdiu fecimus libros ſeptem de arte Grammaticâ, quibus hanc velut Mantiſſam adteximus tum de Latinitate illâ quæ meritò, tum de illa quæ injuriâ eſt ſuſpecta.* Atque hic primò obſervet Animadverſionum ſcriptor magnum illum virum diſertè *mantiſſam* hîc ſcribere, non *mantiſam*, quod ſuperius obiter notavimus. Quærerem dein libenter ab eo, an exiſtimet, ut de magnis jam ſcriptoribus aliis nihil dicam, doctiſſimum *Voſſium* vocem non Latinam tam illuſtri loco adhibere voluiſſe, & in eo quidem opere, in quo voces ſpurias & barbaras frequenter etiam in ſcriptis eruditorum obvias, è Latio eliminare illi propoſitum fuit. nec cum de *deteriori additamento & quod nullius ſit uſus* loqui hîc illum voluiſſe exiſtimabit Cenſor, nec ita contemtim de eruditiſſimo & elaboratiſſimo opere judicium feret. Atque ita, ut ſpero, exemimus ſolicitudinem, quâ ſe teneri ajebat, *rectenè an ſecus* Parens meus *ita hoc Opus indigitâſſet.* Quod enim ſubdit *melius fuiſſe, ſi eâ voce in totum abſtinuiſſet, quod ſit nomen apud Lucretium, Ciceronem, Cæſarem, Livium, omneſques alios purioris & verioris Latinitatis auctores incognitum atque inſolens*, futile eſt & ineptum. Quaſi plurimæ voces hodie uſu receptæ non eſſent, & Romanâ civitate donatæ, quarum nulla tamen veſtigia in veterum illorum Auctorum ſcriptis reperias. An revocare vult noſtro ſeculo Animadverſionum Parens exploſam ſuperiori in magnis aliàs viris, & vel inprimis in ſingulari illo Purpuratorum ornamento, Petro Bembo cujuſdam δεισιδαιμονίας ſpeciem, quâ factum ut unam vocem aliunde, quàm è Tullianis fontibus hauſtam uſurpâſſe piaculum ducerent nullâ februatione expiandum? Audiat hic potius ipſum cum reliquis jugulantem doctiſſimum Voſſium: *Ex his ſatis liquet, non eſſe nos eos, qui in totum interdicamus peregrinorum uſu illorum inſtar, quos vocamus Ciceroniaſtros*, ut reliqua jam compendii cauſâ, quæ apud illum videri poſſunt in allegato jam opere. Nec enim ita anxiè aut ſcrupuloſè ad Lucretii vel Ciceronis & aliorum illius ordinis & ætatis Auctorum imitationem adſtringimur, ut non quandoque liceat, quamvis id cautè quidem & parcè, in unà vel aliquâ voculâ ab iis recedere. Vt enim liberales diſciplinas omittam, quot voces ſibi vindicavit ars militaris,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

campeſtris, equeſtris, architectonica, & id genus alias priſcis illis ſcriptoribus ignotas! Ita ſi v. g. aliquis hodie *Trinitatem*, *baptiſmum*, *ſclopetum*, *bombardam* & alia ſine numero, eò quod in Tullii aut Terentii codicibus non reperiantur, ex uſu ordinario cenſet proſcribenda, næ ille oleum & operam perdit! An plurima etiam Cenſori noſtro verba non exciderint, *apud priſcos illos purioris ac verioris Latinitatis Auctores incognita* planè ac *inſolentia*, vel ex ſequentibus fiet manifeſtum. Adde non contemnendam veterum illorum ſcriptorum partem fatali bonis litteris calamitate eſſe nobis interceptam, ac proinde pronuntiari certò non poſſe vocem hanc vel illam Latinam non eſſe, ex eo quòd in hujus aut alterius ſcriptoris, quæ hodie ſuperſunt, monumentis non reperiatur, ubi vel unius veterum teſtimonio eſt innixa. Ex quo etiam ita contra *Voſſium* diſſerit *Gaſpar Schoppius* in exiguo illo libello, cujus mihi copiam fecit Theologus & Philoſophus eximius, mihique amiciſſimus *Henricus Bornius*; *Mea ergo judicio*, inquit Schoppius, *poteſt jam Voſſius ſecuro eſſe animo*; *& quamvis in veterum autorum libris, qui ſunt reliqui (cum maximam eorum partem interiiſſe eoque innumerarum vocum Latinarum jacturam factam eſſe conſtet)* Puritatis *vocabulum non invenerit*; *quia tamen* Impuritatem *in Cicerone legimus*, *quæ Plauto eſt* Impuritia, *non habet cur ſe ipſum, unàque ſecum alios homines doctiſſimos in vulgi barbari turbam conjiciat*; Quin vocem hanc *Mantiſſam* uſurpavit inter veteres, ut notum Animadverſori, Lucillius, Auctor non ignobilis, & qui primus Romanorum cumulatiſſimam ex ſatyrarum ſcriptione laudem, teſte Horatio, reportavit. Sciendum verò illum præter Græca nonnulla, quæ licenter nimis, ut quibusdam viſum, ſcriptis ſuis inſerere ſolitus fuit, Romanæ aliàs ſtudioſiſſimum puritatis fuiſſe, immò, auctore Quintiliano, illum in Vettium acriter invectum, quod Præneſtinorum vocibus frequenter locum daret. Unde minus credibile eum vocabulis Tuſcis ſcripta ſua ornare voluiſſe, qui hanc peregrinarum vocum affectationem magnâ acerbitate in aliis caſtigabat. Verùm ut videat Animadverſionum ſcriptor quàm liberaliter cum illo agamus, demus illi etiam per meram *συγχώρησιν*, *mantiſſam*, ut Paulus voluit, vocem peregrinam eſſe, & quidem Tuſcam. Nihil emolumenti exinde Cenſori noſtro accedet, vel quidpiam Parenti meo detrahetur, quum abundè ſit nobis Latinis illam ſcriptoribus traditam ac proinde etiam eſſe Romanâ civitate donatam. Quod peregrina alia & exotica vocabula non à vicinis ſolùm gentibus Tuſcis, Præneſtinis, Sabinis, aliisque, ſed longè etiam remotioribus, ut Germanis, Gallis, Hiſpanis, Britannis, Perſis, Afris, Ægyptiis elegantiſſimos etiam & puriſſimos Romanorum ſcriptores mutuari ſæpius non puduit, qualia ſunt *rheda*, *benna*, *maſtruga*
vel

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

vel *maſturca*, *petoritum*, *covinnus*, *braccæ*, *eſſedum*, *gæſa*, *framea*; *cateja*, *lancea*, *magalia*, *zythus*, *gaza*, *ſatrapa*, & alia id genus. Vt nihil jam dicam quot innumeras voces è Græcorum idiomate in ſuum tranſtulerint, aut ex ipſa Linguarum Principe Hebræâ, quod in Diatribâ de *Linguâ Hebræorum*, exemplis aliquot illuſtravimus. Vnde inquit Voſſius ὁ πάνυ in laudato aliquotiens opere; *Nec enim omnia damnantur peregrina, tanquam barbara; ſed illa duntaxat, quæ neque donata olim fuerunt civitate Romanâ, neque donari poſtea meruerunt.* An ergo aliquid mirum vel novum foret, ſi vocem hanc *mantiſſam* Tuſcis aſſcriptam ferrent Romani, genti vicinæ, qui ex tam remotis locis & diſſitis populis voces petere non dubitârunt? Immò non unum hoc verbum à Tuſcis vel Tyrrhenis derivâſſent, qui ab iis nonnulla alia in uſum converterunt. Quis *hiſtrionem* Latinam vocem negabit, at Tuſcis tamen ſuos natales debet, ut disertè obſervant magni Auctores Livius ſub initium lib. VII, & Valerius Maximus lib. II. cap. IV. qui de Tuſcis verba faciens, inquit: *Et quia ludius apud eos hiſtrio appellatur, ſcenico nomen hiſtrionis inditum eſt.* Ita etiam Latinam vocem *ſubulo*, quæ apud Ennium occurrit, agnoſcit Feſtus Tuſcam eſſe, & *tibicinem* ſignificare; quemadmodum etiam Gloſſarium *ſubulo*, αὐλητής. Non ergo quæritur hoc loco, an *mantiſſa* Tuſcis *additamentum* notet, ſed an eâ ſignificatione à Latinis ſcriptoribus uſurpetur, undecunque tandem illud habeant. Atque ita Animadverſoris dubio abundè, ut ſpero, ſatisfecimus, pro quâ tamen operâ ſi nullam apud eum gratiam inire poſſumus, diſcat vel hinc ſaltem aliquanto cautius in poſterum dubitare, ne *adverſariis ſuis*; ut ab initio *ſpeciminis* loquitur, *adeò luculentam inſectandi inſultandique materiam ſuppeditare* pergat.

Quod ſpectat verò illud, quo Grammaticas has obſervationes claudere voluit Animadverſionum auctor, dicterium petitum ex pravâ vocis *mantiſſæ* expoſitione, dolemus illud nunc ipſi ereptum, qui ita compendio, quum aliter non poſſet, Parentis mei Quæſitis decreverat apud ſe reſpondere. ſatis enim oſtenſum, & magnorum Virorum auctoritate ac exemplis confirmatum falſum integrum illud de hac voce *mantiſſa* non ipſius quidem Feſti, ſed Pauli Diaconi gloſſema, quem plurima id genus alia intempeſtivâ ſedulitate in Feſti codicibus depravâſſe, & multa etiam ad lubitum truncâſſe vel addidiſſe, obſervatum eruditis, immò integrum Auctoris ſenſum planè nonnunquam pervertiſſe. Quod ne in dubium etiam revocet Animadverſionum ſcriptor, nec fidem ſuam iſti Diacono præcipitanter adeò in poſterum obſtringat, unum vel alterum, quod jam præ manibus eſt, exemplum non pigebit hîc in medium afferre. Ita *prætextatus ſermo* exponitur hodie in Feſti codicibus, *qui nihil obſcenitatis*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

ſcenitatis habet, quæ inſignis eſt hujus loci depravatio, Notum enim ex Suetonio, Agellio, Macrobio aliiſque phraſin hanc contrariæ planè eſſe ſignificationis, & *prætextata verba* de obſcenis ac impuris maximè uſurpari ſolita. Vel fidem faciet hîc Tranquilli in vitâ Veſpaſiani locus; *Erat enim dicacitatis plurimæ, & ſic ſcurrilis ac ſordidæ, ut ne prætextatis quidem verbis abſtineret.* Agellius quoque lib. IX. cap. X. *Tot verò ac tam non prætentatis, ſed puris honeſtiſque verbis.* Vnde corruptum hunc Feſti locum jam pridem obſervârunt eruditi; ſic inter alios vir doctiſſimus ad allatum illum Suetonii locum ita commentatur: *In excerptis Feſti Pompeji hæc ſententia legitur mendoſa, cùm in codice legitimo prætextatus ſermo ita explicetur, ſicut à nobis in præſentiâ explicatus eſt, qui ſenſus ad amuſſim quadrat cum Tranquillo. Non enim prætextata verba intelligi voluit pudica, ſed è contrario obſcena & laſcivientia.* In eundem ſenſum loquitur *Voſſius* ὁ θαυμάσιος, qui hoc mendum Paulo unicè it aſſcriptum; *Prætextatus ſermo*, inquit, *ſi audimus Paullum Diaconum in Feſti epitome, is dicitur, qui nihil habet obſcenitatis. ſed non intellexit Feſtum; Nam* prætextata verba *ſunt, quæ obſcena.* Quod miror magno *Scaligero* non obſervatum, cui aliàs Paulus iſte vehementer vapulat, & cujus *prodigioſos errores ac craſſam ignorantiam* ſummâ dexteritate & eruditione ſæpius detexit. Atque ut pateat etiam non novum eſſe iſti homini vocibus merè Romanis peregrinos natales arceſſere, videamus quî vocem *ambactus* exponat, *Ambactus*, inquit, *apud Ennium linguâ Gallicâ ſervus dicitur.* Quod falſiſſimum eſt, quum *ambactus* ſit vox pura Latina pro ſervo mercenario qui hac & illac circumagitur, & circumducitur mercedis gratiâ. *Ambagere* enim veteribus dicebatur pro circumagere, ut *ambire* circumire. Ambactus autem Græcis eſt ὁ περιφόρητος vel ὁ περιφερόμενος. Vnde à Paulo voces illas *linguâ Gallicâ* præter omnem veritatem Feſto adſutas contendunt viri illuſtres *Scaliger* & *Salmaſius*, ille in ſuis ad Feſtum caſtigationibus, hîc in Notis ad Flavium Vopiſcum. Quod verò *Exercitationum opus pro tantâ mole valdè infrugiferum* dicit Animadverſionum ſcriptor, non hîc dicteriis aliis ulciſcimur. ſufficit nobis alio illas habuiſſe pretio, non præcipuos tantùm orbis Reformati Theologos, ſed Eccleſias & Academias immò ſynodos etiam integras, quæ in iis multum bonæ frugis contineri magno conſenſu judicârunt. Quibus extra omnia partium ſtudia, quæ animos nonnunquam ſolent offuſcare, conſtitutis fidem habebit potius Lector ſui juris, quàm homini, cui crebra ejuſmodi ſcommata ira ac indignatio ſolùm expreſſit. Ipſum verò Animadverſionum opus non *infrugiferum* tantum viſum, ſed lolio ac zizania, & adulteratis id genus ſeminibus paſſim conſperſum non tam frugi faciendæ quàm noxæ comparandæ opportunis. Ab ipſius etiam

lib. de Vitiis ſerm.

etiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

etiam de Anterotematibus Parentis mei judicio ad Lectorem candidum & magnorum virorum tribunal provocarem, nî ſola Cenſoris illorum examen detrectantis fuga omni teſtimonio luculentius demonſtraret, illam non tam argumentorum quàm conſcientiæ inbecillitate ab eo prudenter occupatam. Nî fortè etiam dicamus illum, *mantiſſam* ejuſmodi reliquo operi annexam noluiſſe, ne ex ſuo ſenſu *deterius adhuc additamentum & nullius uſus* aſſueret, quâ in re Pauli expoſitio locum habere potuiſſet. Et hæc ſunt quidem, quæ contra puræ ac veræ Latinitatis genium admiſſa,

Veſtibulum ante ipſum primoque in limine libri

atroci ſtylo configenda cenſuit Animadverſionum ſcriptor. Quodſi nonnulla alicujus momenti ab eo fuiſſent congeſta, in quibus acumen ſuum factus repente ex Theologo Grammaticus eâ dicacitate exercuiſſet, veniam fortè apud aliquos impetrâſſet. Quum verò adeò levia ſint, immò adeò iniqua maximam partem, ut vel ſolo illorum intuitu, vel ipſiſſimis etiam Cenſoris verbis refelli abundè poſſint, aut in ipſum retorqueri, nihil reliquum nobis eſt, quàm ut περιπέτειαν illius deploremus, qui magno conatu voluit περιττὰ ἐν οὐ δέοντι σοφίζεσθαι.

CAPVT IX.

De vocibus ſaltem, ἀλληλουχία, noſtras, complex, *&* geminatâ negatione.

HIs ita expenſis quæ in ſecundâ Animadverſionum Parte in ſtylo Parentis mei caſtigare voluit Animadverſionum ſcriptor, quum nonnulla id genus in ipſo adhuc SPECIMINIS προπυλαίῳ, & alibi etiam ſupereſſent, illis aliquas etiam ſtricturas indulgere viſum, ut nihil hac in re data opera diſſimulatum jure queri poſſit. Ac primò quidem, obſervandum, quod quum in Diſſertatione ſua Animadverſionum conditor contumelioſum *præfracti* epithetum Deo ipſi, Confeſſioni Eccleſiarum Reformatarum, & noſtris ſupra omnium laudes Theologis frequenter admodum largiretur, ipſum eo nomine à Parente meo aliquotiens meritò fuiſſe perſtrictum. Hoc verò tulit impotenter, unde multis etiam ſe ab eâ accuſatione vindicare conatur, exhibens hoc pacto inſigne præfracti reverà animi documentum. Immò peccâſſe hac in parte graviter in amicitiæ & officii leges Parentem meum exiſtimat, debuiſſe enim illum *privatim atque amicè ipſum monere erudita hæcce tempora poſtulare eloquutionem aliquantò caſtigatiorem, & quæ à docto-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

rum virorum auribus non abhorreat. Officii illius exemplum viros præſtantes illi olim exhibuiſſe, cum in primo volumine Dubiorum Euangelicorum particulam ſaltem *pro tantummodo perperam & contra bonorum ſcriptorum auctoritatem adhibuiſſet, quod verbum & ſignificationis peregrinitate, & repetitione uſque adeo crebra Lectori moleſtiam faſtidiumque crearet.* An ſuæ ſpontis fuit Animadverſionum conditor, quum hæc ſcriberet, vel an ſolitis dicteriis animum cum multis ærumnis conflictantem reficere aliquantum voluit? nec enim illi ſeria meditanti talia excidiſſent? Ille publico ſcripto Parentem meum nihil minus cogitantem adortus, διασυρτικῷ illo *præfracti*, ut diximus, vocabulo, non laudatiſſimos tantùm Theologos, vel Eccleſiarum noſtrarum Confeſſione, ſed ipſa etiam Dei decreta paſſim notaverat. Quum verò Parenti meo reſpondendi neceſſitas eſſet injecta, & ſibi ac Theologis noſtris temerè impacta vellet amoliri, quî privatim id facere debuit, quod publicè & illo quidem inconſulto ſcripſerat Animadverſionum Parens? An publica accuſatio, quam viris extra omnem calumniæ aleam poſitis, & præclariſſimè de Chriſti Eccleſiâ meritis intentaverat non ſemel, publicè etiam revinci non debuit? An ipſe Diſſertator antequàm Diſputationis Parentis mei inauſpicatum admodum examen ſuſciperet, ſui illius conſilii privatim eum certiorem fecerat, vel amicè cum eo de rebus inter ipſos controverſis contulerat? *At* ſcilicet *viri præſtantes officium illud Parenti meo exhibuerunt, cum in primo volumine dubiorum Euangelicorum* ſaltem *pro* tantummodo *perperam & contra bonorum ſcriptorum auctoritatem poſuiſſet.* Lepida utique & feſtiva illatio! Meminit quidem Parens meus non plures, ſed unum *virum præſtantem*, quum amicitiam cum eo coleret, tale quid olim privatim ad ipſum ſcripſiſſe. At quî inde concludit Animadverſionum ſcriptor, idem officium ſibi à Parente meo exhiberi debuiſſe, quum diſpar omnino ſit ratio. *Elenchum parium* admittere hîc ipſum propemodum dixiſſem, ni τεχνικοῖς illis, quæ abhorret tantopere, ſcholarum verbis, ejus gratiam mihi nollem precariò inconciliare. Non fugiebat enim Cenſorem Parenti meo cum viro illo præſtante nullam umquam interceſſiſſe controverſiam, nec eum publico ſcripto provocâſſe, ita ut ille publicè etiam eo nomine Parentem meum perſtringere debuiſſet: Animadverſionum autem ſcriptor primus ſtylum & quidem aculeatum in Parentem meum ſtrinxit, & eò ipſum ſuâ importunitate adegit, ut accuratum Diſſertationis ipſius examen ſuſcipiendum illi fuerit. Deinde ſi vel particula illa *ſaltem* ſenſu minus uſitato vel millies à Parente meo fuiſſet adhibita, nulli injuria eſſe poterat, nec vel minimam, cuiquam mortalium offenſionis materiam exhibere, At repetito illo totiens *præfracti* elogio non obſcurè

obſcurè traducebantur tot clariſſima Eccleſiæ Chriſti lumina, incomparabiles Theologi tanquàm pertinaces nimium & obſtinati in aſſerendâ doctrina quæ Deum, ut ipſe loquitur, *immanem faceret & truculentum*, immò Eccleſia ipſa, immò ipſe Deus. ſed hujus conſequentiæ ἀτοπίαν ut abunde ab eruditiſſimo BEAVMONTIO oſtenſam pluribus hîc exagitare ſuperſedeo, Nemo non videt captatam hîc ſolùm anxiè occaſionem obſervationem illam ipſi aliunde ſuppeditatam tanquam proſternendo Adverſario opportunam admodum afferendi. Quaſi multùm ſcilicet ad Gratiæ Vniverſalis deciſionem faceret, an hoc vel illud verbum minus Latinum Parens meus in *Dubiis* ſuis *Euangelicis* expreſſerit! Iudicabunt etiam alii, an officium illud amico olim animo Parenti meo privatim exhibitum, adeò invidioſè, quamvis in eo nihil quidem ſitum ſit, publicè proponi debuerit, ut ita omnis illius officii gratia interiret. Adde vocem hanc *ſaltem* pro *tantùm* non primum Parentem meum auctorem agnoſcere, ſed magnorum inter veteres æquè ac Recentiores auctoritate ſuffultam eſſe. Non diffitemur quidem particulam eſſe ἐλαττωτικὴν, & ſignificare plerumque, τὸ ἐλάχιστον ſive *ad minimum*, cujus originem tradunt Veterum Grammaticorum primipili Servius ad l. IV. Æneidos & Agellius lib. XI cap. XIV. Magni nihilominns, ut diximus, iique probatiſſimi Auctores in hac vocis hujus ſignificatione Parenti meo præluxêrunt. ſic eam in Plauto eadem ſignificatione pro *tantùm* vel *duntaxat* ſæpius reperiri obſervant viri eruditiſſimi & qui in hujus Comici lectione totam propemodum ætatem triverunt. Ex eorum numero eſt *Philippus Paræus* magni Theologi doctiſſimus Filius, præclariſſimè de Plauto inter cætera meritus, ut qui ultra ſex novas illius editiones ſolus procurârit, & multis eum Obſervationibus iverit illuſtratum. Hic verò in Lexico Critico non ita pridem edito, in quo omnes Plautinas elegantias accuratè perſequitur, *ſaltem* pro *tantùm* ſepties in Plauto occurrere disertè obſervat, adductis locis quæ tædioſum foret omnia hîc recenſere. Vnum vel alterum ſufficiat in medium proferre, & primum quidem ex Corculione 4. 2. ✠. 21. *Hi ſaltem in occultis locis proſtant, vos in foro ipſo.*

Alterum ex Pænulo 3. 1. ✠ 41. *Attrepidare ſaltem, nam vos appropeprare haud poſtulo.*

Sic in Varrone lib. XVI. rerum divinarum *ſaltem* pro *tantùm* legitur: *In Italiæ*, inquit, *compitis quædam ſacra Liberi celebrantur cum tantâ licentiâ turpitudinis, ut in ejus honorem pudenda virilia colerentur: non* ſaltem *aliquantùm verecundiore ſecreto, ſed in propatulo exultante nequitia.* Ita apud elegantiſſimum illum Hiſtoriarum Naturalium ſcriptorem lib. XIII. cap. XI eodem ſenſu occurrit: *Ne terram quidem ipſam tritam fuiſſe, quæ nunc*

Ægyptus intelligitur, cum in Sebennytico ſaltem *ejus nomen omnis charta naſcatur; poſtea addageratam Nilo.* Nec obſtat quod Dalecampio ſuſpecta lectio viſa eſt, qui pro *ſaltem* audacter repoſuit *ſolùm.* Priori enim lectioni favent non vetus tantùm editio Parmenſis, ſed veteres etiam Codices Manuſcripti, ut Vir ſummus obſervat, in quibus *altem* legitur pro *ſaltem.* Sic multorum etiam ex Recentioribus exempla poſſemus hîc ὅλῳ τῷ θυλάκῳ congerere, *ſaltem* eodem ſenſu cum Parente meo uſurpatum. Fidem pro cæteris faciet magnus Lipſius libr. de Amphitheatro cap. v. dum inquit: *Theatrum quod Nero poſtea magnificum in campo Martio erexit fuit* ſaltem *è ligno.* Nonne liceret Parenti meo, ſi vel nulla inter Veteres, (quod falſum tamen oſtendimus) exempla exſtarent, hujus emunctæ naris Critici auctoritatem præ ſe ferre poſt quàm Animadverſionum ſcriptori placuit vocem barbaram *efformare* Martyris ſummi quidem Theologi, ſed non perinde harum rerum veteris teſtimonio tueri. Nulla itaque cauſa ſuberat, cur alieno loco particulam illam, ejuſque, ut loquitur, peregrinitatem traduceret, quæ præterquàm quod maximorum inter Veteres ac Recentiores ſcriptorum auctoritate defendi poſſit, nullam vel leviſſimæ contumeliæ notam poterat ſecum importare. Mirum verò Animadverſionum Conditorem non ulteriorem in *Dubia Euangelica* Parentis mei cenſuram exercuiſſe, nec in eum, quo conſcripta ſunt, ſtylum, quod non tam propenſo in ipſum animo, quàm defectui argumenti imputandum tot alia documenta clariſſimè evincunt.

Ita cæteroquin Animadverſionum ſcriptorem intemperies quædam contradicendi abripit, ut illas etiam voces vellicare ſuſtinuerit, quas puriſſimas eſſe & idoneis Auctoribus traditas ex ſuis noverat Lexicis, quarum uſum tamen, ut ſibi videbatur, nimis crebrum vir repetitionum hoſtis acerrimus ferre non potuit. Hujus generis eſt vox ἀπηλουχία *quam non nego,* inquit, *Græcam eſſe, quamvis ab uno Dioſcoride fortè inter veteres uſurpatam, niſi Dionyſium Areopagitam numerare velimus inter antiquos. Verùm etſi Athenis ipſis natum poterat Vir doctus eo uti paulò parcius, ne tandem nimiâ frequentiâ vileſceret.* Egregia ſcilicet ratio! Quaſi ex frequentiori uſu voces vilioris eſſent pretii, & non potius melioris notæ, quò frequentius apud probatos ſcriptores leguntur. An uſu aliquid vocibus detrahitur, & non potius accedit? Quæ putidior & homine Theologo magis indigna obſervatio? Annon eo ipſo quo vocem illam ἀπηλουχίας Græcorum pomœriis pro ſolitâ ſuâ verecundiâ excludere auſus non eſt, ullo modo illam vexare debuit, vel oſtendere ſaltem eam præter propriam & nativam ſuam ſignificationem perperàm à Parente meo frequenter adhibitam? An ſua etiam Lexica debuit conſulere, ut Græcam illam eſſe

nunc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

nunc edoceretur, & an Dioſcorides, ſi vel uno illo inter veteres auctore gauderet, non idoneus Auctor cenſori noſtro videtur ut Græca cenſeri poſſit? An Dictator iſte legem aliis figet loquendi, & frequentem uſum vocibus illis interdicet, quæ nemini contumelioſæ apud probatiſſimos Auctores leguntur, & ad rem, de quâ agitur, ἐνεργητικαὶ ſunt inprimis & accommodatæ? ſi per graviores alias occupationes Animadverſionum parenti licuiſſet illum πάσης φιλοσοφίας fontem Homerum æquè ac Muretum vel Baudium evolvere, niſi ex eo fortè aliquid in ſcholis olim delibavit, quo animi tædio devorare potuiſſet crebras illas repetitiones, quæ ſingulis fermè paginis occurrunt, non aliquarum tantùm loquutionum, ut τὸν δ' ἀπαμειβόμενος, vel πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεὺς, aut ἐϋκνήμιδες Ἀχαιοὶ, & aliarum id genus, ſed integrorum etiam nonnunquam verſuum? Nonne nauſeâſſet ad talia Cenſoris noſtri ſtomachus, & protinus infelicem hunc vatem non unguentis cum Platone delibutum, ſed infelici inuſtum ſtigmate ad Anticyras relegâſſet, ὅπου τὰ βέλτιστα ἐλλεβορίζουσι, qui unam ἀλληλουχίας vocem in prolixo opere aliquotiens & decenter adhibitam concoquere non potuit. Vllamne phraſin verò aut vocem frequentius ille Mæonides expreſſit, quàm Animadverſionum ſcriptor ſolenne illud *viri docti* elogium, quo perpetuo Parentem meum cohoneſtare ipſi viſum fuit? An verò id eo tantùm animo & eâ fine ab eo factum ut *tandem nimiâ frequentiâ vileſceret*, ut de frequentibus aliis ejus loquutionibus nihil dicam? Quod enim ipſius ſpectat *præfractam*, in quo præfractè tuendo mirum quàm æſtuet, novit optimè Animadverſionum Auctor, non alia de cauſſâ crebrum illius uſum Parenti meo diſplicuiſſe, quàm quod vox illa Præſtantiſſimorum virorum famæ non levem maculam imprimere videretur.

In hunc verò Grammaticarum obſervationum cenſum referri etiam debet, quod de voce *noſtratis* ſub finem primæ Animadverſionum Generalium Partis notat, in cujus nempe expoſitione hallucinatum graviter Parentem meum non obſcurè innuit. Dixerat nempe ille in Præfatione tertiæ *Exercitationum* ſuarum Parti præmiſſâ; *Pontificios ad* ἐχεμυθίαν *ſæpe vi veritatis redactos, quæſtionarios evaſiſſe, & celeberrimis Theologis inter noſtrates in ipſâ Franciâ ſtruem quæſtionum propoſuiſſe.* Hic Animadverſionum ſcriptor, ut ejus acumen mireris Lector, præclaram obſervationem in vocibus illis *inter noſtrates* nactus, eâ noluit egregium publicum defraudare. Dicit ergo, *quinam ſint celeberrimi Theologi quos vir doctus* noſtrates *ſibi appellandos putaverit, quibus in ipſâ Franciâ Pontificii quæſtionum ſtruem propoſuerint, planè ipſum latere. Nam videre quidem celeberrimo Molinæo multas quæſtiones propoſitas fuiſſe à nonnullis, at non opinari ſe Parentem meum* noſtra-

tem *illum appellaturum, alterum enim eorum eſſe Gallum, alterum Germanum. Theologum Germanum, qui fuerit in Galliâ inter celeberrimos commemorandus, neminem nôſſe ſe præter Tilenum, quem celebritatem illam ſuam defectione ad Arminianos obſcurâſſe & maculaviſſe, & cui præterea tot interrogationes à Pontificiis fuiſſe propoſitas nullus meminerit.* Quæ febriculoſa magis aut jejuna grammaticatio? Indignum equidem facinus, & quavis ſeveritate vindicandum, quod Parens meus in Germaniâ natus altusque Theologos Gallos ſub illâ *noſtratis* nomenclatione complecti auſus eſt? Dignus in quem eo nomine magnus ille veritatis orthodoxæ aſſertor, & Pontificiorum æque ac Novaturientium omnium flagellum *Molinæus* incurrat, quem ſub illo *noſtratium* vocabulo deſignavit! At primò dato Animadverſionum conditori, non conceſſo, illam vocem ſemper ad ſolos ejusdem patriæ & gentis conſortes reſtringi, an grande crimen admiſit Parens meus qui ſub illâ Theologos Gallos intellexit? Licitum verò id ſibi multis nominibus exiſtimat, qui non ſolùm genus maternum ducit ex Galliâ, ſed illam ſemper ut alteram patriam ſuam coluit, ex quo in eam adoleſcens admodum è Germaniâ ſibi ab eo tempore non viſâ, contulit ſeſe, & in quâ complures annos ſuaviſſimè exegit. Qui non multis tantùm & clariſſimis in eâ affinitatibus inſertus, ſed cui artiſſima à multis retrò annis cum præcipuis totius Galliæ Theologis animorum ac litterarum conjunctio interceſſit, immò qui non alium hactenus ordinarium verbi Dei adminiſtrum quam linguâ Gallicâ annis egit octodecim, & in eâ quidem Eccelſiâ maximam partem, quæ cum Gallicanis indiſſolubili nexu copulata unum ferè cum iis corpus conſtituit. Adde etiam vocem *noſtratis* latius patere nonnunquàm, quàm exiſtimat Animadverſionum Parens, nec tantùm ejuſdem Patriæ aut gentis cives denotare. Quia nempe Calepinus fortè ac Dictionaria Triobolaria non aliter quàm in ultimâ hac ſignificatione vocem hanc exponunt, Vir in antiquorum ſcriptis hoſpes exiſtimavit oblatam ſibi pulcherrimam ſuper illâ voce cavillandi occaſionem. Cur non conſuluit prius Ciceronem ſuum tantus Ciceronianæ Latinitatis arbiter, & vidiſſet Tuſculanarum V. *noſtrates Philoſophos* nuncupâſſe Tullium hoc eſt *noſtræ ſectæ*, ut conſtanter exponunt Interpretes, & doctiſſimus Stephanus. Annon ergo eadem ratione orthodoxos Theologos cujuscunque tandem gentis & patriæ, ejusdem ſaltem fidei & religionis vinculo, quod lòngè omnes alias charitates tranſcendit, conjunctos, & ſociatis operis eandem vineam Domini excolentes, *noſtrates* vocare poterit Parens meus, & præ cæteris quidem Gallos, quibus tot nominibus adſtrictus eſt. Melius Cenſore noſtro edoctus erat celebris ille Athenienſium Legislator, qui, ut magnus auctor refert, amicitiæ gratiæque neceſſitudi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

tudinem neceniſſitudi generis prætulit? Deprecetur hîc ergo Lectoris ludibrium Animadverſor, qui Camarinam hanc movere voluit, & innocentiſſima quæque ſcrupuloſâ nimis περιεργίᾳ ſolicitare.

Et quum hîc quidem pædagogicis hiſce obſervatiunculis finem vellem imponere, incidi fortè in aliam ejusdem notæ, quæ in IV. Animadverſionum Generalium Parte occurrit. Quamvis verò ſecurè illam potuiſſem prætermittere, ut quæ tanti Cenſori viſa non ſit, quam ſuperiorum catalogo annecteret, eam tamen ſilentio premere conſultum non duxi, ne id in rem ſuam verteret Animadverſionum ſcriptor quamvis ex eo quidem nihil lucri poſſit in ſe derivare. *Rogatum autem* inquit, *eum vellem alienæ Latinitatis correctorem, ubinam viderit nomen illud* complice. *Nam ego quidem id legiſſe nullus memini.* Aequum certè eſt ut juſtæ adeò & humanæ petitioni quantùm fieri poterit, ſatisfaciamus, ac deſiderium ejus pro virili adimpleamus. Optâſſem verò ne διασυρτικὸν illud *alienæ Latinitatis correctoris* elogium Parenti meo tam ſæpe impegiſſet, ne illud ipſum in eum totiens meliori aliquantò ratione cogeremur retorquere. Obſervet verò hîc Lector alienæ Latinitatis non tam correctorem quàm Cenſorem ideò vocem illam *complicem* nuſquam exſtare, & à Parente meo procul dubio *genitam* cenſere, quod *illam quidem legiſſe nullus meminerit.* An hoc non eſt ingentis in homine Theologo confidentiæ argumentum, quaſi nullæ voces Latinæ eſſent, quas hic Cenſor non *legerit*? Quot ſunt Deus bone! elegantes Linguæ Latinæ Auctores ipſius manibus nunquam triti, & quos oculis numquam uſurpavit ſuis? An ſi vel totam etiam ætatem in hoc ſcholaſtico pulvere conſumſiſſet, audacter magis potuiſſet hîc loqui? Vel an tanta etiam in eo eſt memoriæ facultas, ut voces omnes quas umquam legit in numerato habeat? ſed quia ſcilicet fruſtra hoc verbum in Calepino ſuo aut aliis tribolariis Dictionariis quæſiverat, ipſe verò de illorum auctoritate nefas duceret dubitare, nuſquam eam alibi exſtare, & Parentem meum unum Auctorem agnoſcere nimis paulò præcipitanter exiſtimavit. Sed cur non veteres potius Grammaticos conſuluit, & Iſidorum inter alios in cujus Etymologico diſertè hanc vocem vidiſſet explicatam; *Complex*, inquit, *qui uno peccato vel crimine alteri applicatus eſt ad malum: ad bonum verò nunquam complicem dicimus.* Videre illam etiam potuit apud Prudentium περὶ στεφάνων

Perdere

Puerum ac Magiſtrum complices ſectæ impiæ.

Vt jam Caſſiodorum non afferam, apud quem etiam frequens eſt, & Salvianum alioſque magno numero. Ita doctiſſimus originum Linguæ Latinæ ſcriptor hanc ut bonæ notæ ac uſitatam inprimis commendat: *Com-*

plices,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

plices, inquit, *id eſt gregales ſive ſocii apud Salluſtium, quem locum tamen aliqui mendoſum ſuſpicantur. At enim creber ejus uſus nec temerè. Nam complices ut ſimplices, quaſi cum plica & complicati* & *conjuncti.* Vt non dicam illam quoque in nonnullis Tullii codicibus reperiri, & primâ quidem in Catilinam invectivâ: *ſin tu exieris, exhaurietur ex urbe tuorum complicium magna, & pernicioſa ſentina Reipublicæ*, pro quo alii *comitum* legunt. *Complices* ergo ſunt facinoris alicujus aut culpæ ſocii, quamvis etiam nonnunquam in bonam partem ſumpta vox ea reperiatur. Ita ſanctiſſimus ille Ecclesiæ Doctor Ambroſius, *Id quod turpe eſt*, inquit *non poteſt eſſe utile: nequè rurſus, id quod honeſtum eſt, inutile; quia complex honeſtatis eſt ſemper utilitas, & utilitatis honeſtas.* Quia annon vox iſta ſi vel nulla exempla ſupereſſent, ex analogiâ aut ad aliarum vocum normam formata non eſſet, & *præſenti* itaque *nota ſignata*? Quemadmodum enim *ſimplex* Latinis eſt apertus & candidus, & doli expers, *duplex* verò fallax & ſimulator, quales ille dilectus Chriſti διψύχυς vocat eleganter, non aliter ferè ac Athenæus Corcyræos δίχα θυμὸν ἔχοντας, ſic etiam *complex* dicitur quaſi cum alio in aliquo facinore complicatus. Sed non opus eſt eò confugere, quum tot ſcriptoribus trita ſit, quorum major aliquantò eſt in his litteris quàm *Martyris* aut *nuperi* alicujus *Theologi* auctoritas. Quod enim frequens ſit in linguâ Gallicâ, vel ut ipſe loquitur Animadverſionum ſcriptor, *quod ad idioma Gallicum accedere videtur, non eſt continuò Gallicismus exiſtimandum.* Videt ergo infelix Grammaticus illam non eſſe à Parente meo primùm procuſam, immò plurimos adhuc ſcriptores ipſi tanto Critico lectos non eſſe, vel ſuæ ſaltem memoriæ imbecillitatem deplorabit, quâ factum, ut plurima ſibi antehac lecta oblivioni mandaverit.

l. 3. de Offic. cap. XIV.

Iacob. epiſt. cap. I. v. 8.

Huc referri etiam poteſt, quod ſub finem totius operis fermè in Parentis mei oratione carpit Animadverſionum ſcriptor, duas nimirum negationes ab eo quodam in loco adhibitas, *quas junctas dicit affirmare id quod vel maximè voluiſſet eſſe negatum. Duas enim negationes apud Latinos vim habere affirmandi.* At primò quis vidit umquam jejunam magis, & frigidam obſervatiunculam, quum agnoſcat Cenſor id ſæpe *etiam acurratiſſimis ſcriptoribus uſuvenire*, ita ut Parenti meo feſtinanti tale quid facillimè potuerit excidere, ut duas particulas negativas pro unâ incogitanter in prolixo opere ſemel conjunxerit. ſcire tamem potuit Animadverſionum ſcriptor non deſtitutum exemplis vel auctoritate hac in parte inter veteres Parentem meum, ac id ita maximè etiam negâſſe quod negare voluit. Quamvis enim non diffiteamur cum Cenſore vulgò *duas negationes apud Latinos vim habere affirmandi*, ſciendum tamen illas nonnunquàm & eleganter negationem vel maximè intendere, & id quidem Græco-

rum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

rum more, quibus ſolenne in ejuſmodi negationes ad majorem ἔμφασιν geminare. Obſervavimus id non ſemel in Plauto *Linguæ*, ut vult Agellius, *atque elegantiæ in verbis Latinæ Principe*, qui diſertè inquit in Aulularià 2. 4. v. 7. *Poſt ſi quis vellet te, haud non velles dividi.*
In Bacchide 4. 9. v. 114. *Neque ego haud committam ut ſi quid peccatum ſiet,*
& in Epidico. 5. 1. v. 57. *Neque ille haud objiciet mihi*
in quibus locis duplicatæ negationes non affirmant, ſed negationem intendunt, ut notant Lambinus, Acidalius, Taubmannus, Gruterus, Paræus, hujus Comici commentatores. Atque hæc ſunt omnia, ut exiſtimo, quæ in Parentis mei ſtylo μετὰ πολλῆς φαντασίας vellicare viſum Animadverſionum ſcriptori. Mirabitur ſat ſcio non parùm Lector tanti illa feciſſe virum illius nominis & immane quantùm ab his pædagogicis triciis alienum, ut magnificum ex iis triumphum & victurum omne ævum decus aucuparetur, ſi ſpes ejus decollavit hac in parte, magnis ſaltem excidit auſis, nec mirum hominem viam ſibi hactenus parùm tritam calcantem crebra lapſus veſtigia reliquiſſe, ſi ægrè etiam ferat, nihil totâ illa phalange effectum, hoc emolumenti ſi ſapiat, inde conſequetur, ut in poſterum melius ſe ſuo pede metiri diſcat, nec in alienam meſſem falcem ſuam immittat, Ἔρδοι τις ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην.

CAPVT X.

In quo Animadverſionum *ſcriptoris ſtylus breviter expenditur.*

ELegans eſt inprimis, & Chriſti nomen profitentibus digniſſima illa Arabum ſententia فَلْجُكَ عَنْ خَصْمِكَ فِي الإِحْتِمَالِ *Triumphus tuus de adverſario in tolerantia eſt.* Nihil enim decet magis erectum animum, & ſupra ſeculi ineptias evectum, quàm invictos in medio inſultantium agmine, ac ubique ſibi conſtantes ſpiritus gerere, & contumeliis omnibus unum, ſed fortiſſimum patientiæ umbonem opponere. Neque tamen legitimam & infra debitos limites coërcitam læſæ præter meritum exiſtimationis defenſionem interverſam quiſquàm exiſtimet, aut juſtam illatæ ſibi injuriæ vindictam. Neceſſaria ſæpe eſt illa, nec tam aſſerendæ innocentiæ, quàm compeſcendæ Adverſarii proterviæ comparata, & ſanctiſſimorum etiam omnis ævi hominum exemplis corroborata. Nemini mirum itaque videri poſſet, ſi poſt virulenter adeò & contumelioſè, infelicibus licet auſpiciis, laceratam ab Animadverſionum ſcriptore Parentis mei famam, vellemus ἴσα βαίνειν αὐτῷ, & quæ juſta nobis ac pia indignatio exprimere poterat, eadem in ipſum tela retorque-

re. Quum enim hactenus quo ſucceſſu Parentis mei *Exercitationes* ac priora etiam ejus ſcripta Grammatico examini ſubjecerit, partim à doctiſſimo BEAUMONTIO, partim à nobis quoque ſit in ſuperioribus oſtenſum, hoc unum reliquum videbatur debellando in totum ingenti illi Cenſoris τύφῳ, ut ſevero huic *alienæ Latinitatis correctori*, omnia σφάλματα hac in parte ab eo commiſſa ipſi fideliter repræſentaremus. Sed quia ingratiis nobis devorandum fuiſſet ingens animi tædium, & vaſtum illud Animadverſionum opus cum curâ evolvendum, ut ſingula quæ adverſus puræ Latinitatis genium ſine numero admiſit, ſtudioſè notaremus, ſatis nobis viſum fuit nonnulla quæ obiter tantùm & ſparſim in hoc genere obſervavimus vel ſponte potius ſe nobis ingeſſerunt, hac vice delibare. Ex iis judicium facere poterit Lector, quàm proclive nobis fuiſſet hunc Syllabum locupletiorem multò exhibere, ſi ſingula Cenſoris verba ac phraſes anxiè examinare conſtitutum nobis fuiſſet, & licebit illi ἐκ κρασπέδου τὸ λοιπὸν ἱμάτιον æſtimare. Ne verò in querelas varias, quod ipſi ſolenne, effundatur Animadverſor, & iniquè ſecum agi clamitet, qui in eo caſtigetur, in quo datâ operâ neglexit diligenter elaborare, non tam illius verba, quàm rem ipſam expendat Lector. Videbit illum non ſolùm ambitioſam Ciceronis imitationem paſſim præ ſe ferre, ſed ſeriam etiam illius lectionem Parenti meo non ſemel commendare, & ex unâ illâ Romanæ ſuadæ medullâ, Livio item fortè, Terentio, Cæſare, ac Lucretio voces omnes & phraſes in ſolidum petendas apertè ſignificare. Immò illum eo nomine mordaci ſtylo Parentem meum perſtringere, ob unam vel alteram vocem non ex dictis Auctoribus, ſed vel Catone, vel Varrone, vel Bilbilitano etiam vate petitam. Adde ipſum accuratum verborum delectum paſſim profiteri, & ſtyli puritatem ſibi vel in ipſâ SPECIMINIS Præfatione vindicare, dum inquit, talem ſe in hoc opere adhibuiſſe non elaboratum quidem, *purum illum tamen atque Latinum*. Quod an ubique obtineat, & quo jure ſibi eo nomine gratuletur, non erit planè ἀπροσδιόνυσον paucis diſpicere, & utrum Ciceronem ſuum feliciter adeò ubique expreſſerit. Non in hunc finem verò alias Cenſoris lucubrationes conſulemus, ne in tragicos queſtus erumpat, aut prolixum ex iis loquutionum catalogum texemus, quas Galliciſmos meros, & puris omnibus ſcriptoribus ignotas ipſe fateri cogeretur. Quamvis enim nobis hac in parte ſuo exemplo præiverit, noluimus tamen illius iniquitatem æmulari, vel tantum temporis in nugis illis excutiendis collocare. Contenti erimus hac vice nonnulla id genus, quæ ſine anxio examine in oculos primò incurrerunt, annotâſſe, & in eo quidem opere, in quo non puritatis ſolum in ſcribendo, ſed accurati etiam Grammatici laudem ſibi aſſertam voluit.

Ac

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

Ac primò quidem quot voces varias ſparſim in hoc SPECIMINE uſurpârit non Ciceroni tantùm, ſed aliis omnibus priſcis & puris ſcriptoribus ignotas Animadverſionum ſcriptor, non pigebit aliquot exemplis hîc demonſtrare, quæ fidem de reliquis faciant. Mirari autem hîc ſubit inprimis, ut exinde initium ducam, ſummam ejus confidentiam, qui non ſolùm *gratitudinis* vocem in Præfatione ſuâ adhibuit, quod in Theologo tolerari fortè potuiſſet, ſed eâ *nullam in Linguâ Latinâ meliorem* diſertè pronuntiare auſus eſt. At quî majorem quæſo Ciceronianæ & puræ Latinitatis ignorantiam profiteri potuit tantus Ciceroniani delectus amator? Quamvis enim non diffiteamur plurimis illam ex Recentioribus frequenter excidiſſe, eâ tamen *nullam in lingua Latinâ meliorem* dicere non debuit quàm elegantiores omnes & puritatis in ſcribendo ſectatores ſtudioſè declinant, ut priſcis omnibus & puris Linguæ Latinæ Auctoribus incognitam. Quid certius quàm voces *gratitudinis* & *ingratitudinis* nuſquam apud Ciceronem, Terentium, Cæſarem, alioſque ex quibus ſcribendi normam petendam cenſet Animadverſionum ſcriptor, occurrere. Tullius quidem, quem Parenti meo totiens imitandum proponit, voces illas conſtanter refugit, ut vel ille locus clariſſimè oſtendit, qui exſtat primo de Legibus: *Quæ autem natio non benignitatem, non comitatem, non gratum animum, & beneficii memorem diligit.* Annon manifeſtè vitavit hic vocem *gratitudinis* & περιφράζειν maluit, quàm illam adhibere. ſic pro *ingratitudine* nonnunquam dicit *ingratum animum*, ut quum ait Lib. IX. Epiſtol. II. ad Atticum: *ſed quia ingrati animi crimen horreo*; nonnunquam etiam vocem Græcam ἀχαριστίας exprimere maluit, ut eodem libro Epiſt. VI: *ſed ita meruiſſe illum de me puto, ut* ἀχαριστίας *crimen ſubire non audeam.* Quî ignorare id potuit Cenſor, qui Auctorem hunc, ſi illi credimus, totum uſu trivit, vel ſi id noverat, quâ fronte illam *gratitudinis* vocem tanquam omnium Latiniſſimam obtrudere nobis voluit! Annon licebit hic nobis ab ejus in hac palæſtrâ Criticâ parùm exercitati judicio ad virum diffuſiſſimæ eruditionis & in hac litteraturæ parte Principem provocare, qui in illo aliquotiens laudato opere de *vitiis ſermonis* voces *gratitudinis* & *ingratitudinis* tanquam barbaras explodit, & totidem verbis inquit, *qui vel iſtud vel alterum vocabulum amet, rivalem me habiturus non eſt, quippe qui ſciam neſciri hæc ab iis, qui caſtè loquuti ſunt, etſi à gratus & ingratus ſimiliter deduci poſſent; ac à magnus & amplus deſcendunt magnitudo & amplitudo ſed attendere oportet quid uſus ferat.* Et poſtquam exemplis aliquot probavit ea nullis inter veteres caſtigatæ Latinitatis ſcriptoribus fuiſſe uſurpata, addit: *Atque hinc liquet lemmata illa in Valerio Maximo non eſſe ab ipſo Valerio: ut in quibus ſint ignota antiquiſſimis illis Romuli nepotibus* gratitudinis & ingratitudinis *vocabula, niſi dicamus haud uſquequaque Auctorem hunc fuiſſe puritatis ſtudio-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

ſum, ut apud quem in ipſo Operis ingreſſu legamus, mea parvitas eò juſtius ad favorem tuum decurrerit: *qui ſermo Iuſto Lipſio jure videtur ſervilis & cellarius.* Atque hic locum integrum exſcripſimus, ut videat Lector, quâ fronte Animadverſionum ſcriptor *gratitudinis* vocem non Latio tantùm vindicare, ſed ut omnium optimam & puriſſimam edicto cenſorio pronuntiare ſuſtinuerit. Idem judicabit cui credere hac in parte debeat *Æmilio Scauro*, an verò *Sucronenſi?* Regeramus hîc etiam Animadverſionum Parenti ſua verba: *Etenim quia nomen eſt apud Lucretium & Ciceronem, & Cæſarem, & Livium, & omnes alios purioris & verioris Latinitatis auctores incognitum atque inſolens, rectius meo judicio feciſſet ſi eo in totum abſtinuiſſet.* De verbo *efformare* quo etiam in hoc opere uſus eſt, ſuperius viſum. Quum enim metueret forte ne ſibi à Parente meo exprobraretur, in cujus Latinitatem acrem adeò cenſuram exercuerat, illi accuſationi ſibi obviam eundum exiſtimavit, unde inquit in Præfatione, *ſe vocem illam non refugiſſe, tum quia à Martyre uſurpata eſſet, tum quia conſtaret Analogiæ ratio, nec indigna videretur, quæ Romanâ civitate donaretur.* At nequicquam hæc omnia. *Refugere* enim omninò illam debuit, tum quia Latina non eſſet, nec apud Ciceronem, quem unum vult æmulari, reperiretur, tum vel inprimis quòd Parentem meum, ut ſtatim viſum, vocibus illis *in totum abſtinere* jubeat, quæ apud Tullium aut coævos ſcriptores non leguntur? An repente tantùm mutatus ab illo, qui ex uno Cicerone, item Livio, Terentio, aut Cæſare ſingulas voces hauriendas cenſoriâ gravitate decernebat? Quâ etiam auctoritate privilegium illud voces Romanâ civitate donandi vult ſibi ſoli aſſertum, & an ejus nomen tanti eſt in his litteris præ cæteris omnibus ponderis? Adde illum jam ſæpius nobis allegatum celeberrimum Voſſium vocem illam *efformare* è Latio pariter eliminare, qui ejus loco ſcribit claſſicos Auctores uſurpare verba illa *exprimo, fingo.* Ignoraverat ſcilicet vir doctiſſimus illam Dictatori noſtro familiarem, nec ſolenne illius Cenſoris decretum animo præviderat, cujus unius arbitrio voces probæ aut ſpuriæ decidi in poſterum debent. Illum inſuper demiſſè rogatum vellem, quo Cicerone, Livio, aut Terentio, agnoſcis ejus verba mi Lector, aut alio etiam purioris Latinitatis Auctore, uſus ſit vocibus *electivus* (nec enim peculiarem ejus exemplo ſingulis obſervationem volumus indulgere) *condonatrix, excuſabilitas, inexcuſabilitas, medicatrix, renudare, adglutinare, idoneitas, impetratorius, præpoſteritas, expenſio, inſultator*, ac plurimis id genus aliis, quas hic nullo labore poſſemus colligere, ſi in eo triumphare nobis propoſitum foret. Quamvis enim nonnullæ voces ex iis in Recentiorum ſcriptis nonnunquam fortè reperiri poſſint, ſcire tamen debuit Cenſor Ciceronianas non eſſe, ac proinde iis *in totum abſtinere*, quod à Parente meo exegit.

Certè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

Certè aliquanto meliori jure licet nobis illas in ipſo perſtringere, poſtquàm unam vel alteram id genus vocem, Recentioribus paſſim, ut ipſe fatetur, tritam, in Parente meo vellicare auſus eſt. Scire etiam vellem, an illud Cenſoris *impetratorius* melioris notæ ſit quàm *illuſorius*, cui adeò infenſus eſt, aut magis ex analogiâ formatum. Ita *indigetare* perpetuò dicit Animadverſionum Parens pro *indigitare*, quamvis ne hoc quidem ex ſententiâ maximorum virorum pro nominare, aut quaſi digito aliquid demonſtrare Latinè dici poſſit. Hoc aſſeruit olim contra Germanum quendam vir Græcæ juxta & Latinæ Linguæ peritiſſimus Ioannes Auratus, qui vocem illam eo ſenſu quo à Cenſore noſtro uſurpatur, nuſquam inter veteres adhibitam contendit, ſed pro *indigitem facere*, quæ planè alterius loci ſignificatio eſt. Quod verò afferri ſolet ex Macrobio priori ſignificationi tuendæ, apud quem lib. I Saturnal. cap. XVII. legitur *indigitare*, alius vocis eſt illius ſenſus, quàm ut Lexicographorum vulgus exiſtimat. Ita *invocare* exponit illam eo loco clariſſimus Voſſius: *Verùm indigitare quidem Latinum eſt, ſed notat invocare, atque ita quoque utitur Macrobius.* Vnde verbum illud etiam non à *digitis*, vel ab *indico*, ut ineptè nonnemo, ſed ab antiquo *inde* pro *in*, & *citare* h. e. *vocare* deducendum cenſet, de quo plura etiam in Originum libris pollicebatur. Animadverterat tamen hoc jam ante Voſſium Scaliger qui *indigitare* pro *indicitare* dictum voluit, ut *citatam plebem* dicebant, quæ in judicium vocata eſſet, & magnam inter C & S cognationem docuerat. Huc facit etiam quod apud Feſtum legi ante dies aliquot, *advocitat ſæpe advocat*. Sic *reſſuſcitare* & *reſſuſcitatio* ſcribit Animadverſor per geminum S non ſemel quum *reſuſcitare* tamen & *reſuſcitatio* per ſimplex dici debeat, nec unquam aliter ſcribi ſoleat. Obſervandum verò Cenſorem aliquot etiam voces ex mediâ Philoſophorum ſcholâ petitas non refugiſſe, quales verbi gratia ſunt *futuritio*, *relativum*, *ſubordinatio* & *ſubordinatus*, *ſanctificare* & *ſanctificator*, *mediatorius*, *identitas*, *aptitudo*, *ſimultaneitas*, gratia *objectiva* & *ſubjectiva*, in *particulari*, *indeterminatum*, aliæque quas minimè omnium uſurpare debuit, poſtquam illam ſermonis barbariem homo politioris ingenii in Parente meo procaciter adeò traduxit. ſic ille etiam, qui Parentem meum tanquam *voces antiquas ſtudioſè conquirentem* acerbè perſtrinxit, & unam tamen *conſibulam* ex *Exercitationibus* proferre hunc in finem potuit, non dubitavit primus in eundem lapidem impingere, apud quem leguntur voces *ſtribligo* & *diſpaleſcere*, de quibus actum in ſuperioribus. Ita ut mirum ſit inprimis Cenſorem in iis ipſis frequenter lapſum eſſe, quæ Parenti meo tanto faſtu & dicacitate objecit.

Cæterùm ſi omnes illius loquutiones & phraſes vellemus in unum congerere, quæ vel barbaræ ſunt, vel meri Gallicifmi aut multùm ſaltem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

tem à Linguæ Latinæ puritate recidunt, miraretur ipſe Animadverſionum ſcriptor immanem illarum cumulum, nec de ſuâ in ſcribendo puritate in poſterum confidenter adeò gloriaretur. Vnam vel alteram obiter hîc afferemus (piget enim his nugis ulterius inſiſtere) pleniorem illarum catalogum exhibituri, ſi moleſtus eſſe pergat hac in parte Ariſtarchus. Ac primo libenter ab eo ſciſcitarer, quo auctore dicat aliquotiens *Deum miſereri voluiſſe ab eâ miſericordiâ*, aut *juſtum eſſe* vel *miſericordem ab eâ miſericordiâ*. Cur non ſimpliciter dixit *Deum miſereri voluiſſe*: aut *juſtum eſſe* vel *miſericordem eâ miſericordiâ* vehementer fallor ſi illud ex Ciceronis, aut Mureti etiam vel Baudii, quæ aſſiduâ tamen verſat manu, ſcriptis hauſerit. Ita ejuſdem commatis eſt, quod dixit *dentes infringit in ſolido*, immò gravius aliquantò in eo errat tantus Grammaticus, ſi enim uti voluit præpoſitione *in*, debuit illam cum Accuſativo conſtruere, & dicere *dentes infringit in ſolidum*, non *in ſolido*. Ita in celebri illa Inſcriptione Herodis Attici, quam doctiſſimis notis illuſtravit incomparabilis Salmaſius, ῥῆξαι μάκελλαν εἰς δένδρα καὶ ἀμπέλους legitur, *infringere* nimirum pro infligere aut impingere, *ligonem arboribus & vitibus*. Vnde debuit potius verbum illud abſque præpoſitione *in* quæ redundat planè, cum Dativo conjungere, quemadmodum Græcis dicitur ἐνρῆξαι μάκελλαν τοῖς δένδροις, & Terentius dixit in Adelphis, *Plus trecentos colaphos infregit mihi.*

Sed excuſatione dignus eſt, nec enim fortè eo uſque in cultiſſimi hujus Comici lectione pervenerat, nec Andriam etiamnum, in cujus lectione dum hæc ſcriberet occupari ſeſe paullò ante profeſſus fuerat, aut reliquas interjectas abſolverat. Non verò hîc vocis unius pro altera poſitionem illi exprobratum ibimus, ut quum alicubi dixit *perſeverare in integritate* pro *in incredulitate*, quamvis id illius incogitantiæ potius, quàm typothetæ incuriæ imputandum nemo non videat. Quod ſi illi crebros & frequentes σολοίκους imputaremus, quod facere tamen nolumus, qui paſſim in hoc opere occurrunt, ut *præſtaturi* pro *præſtituri*, item *ut mortuos alloquantur, & ſapientiam cum benevolentiâ haud ſatis accommodant*, pro *accommodent*, ut innumera id genus alia omittam, & exinde eum primarum Grammaticæ regularum oblitum pertinaciter vellemus contendere, nonne cœlum terræ clamoribus miſceret, quum tamen Parentem meum eo nomine indignis modis traduxerit. Nec illum etiam perſtringere volumus, quod hiulca ſit ejus oratio nonnunquam, nonnunquam etiam redundans, ut quum inquit: *Miſſus ergo fuerat Chriſtus, ut miniſterio illo, quod tam in prædicatione Euangelii, quàm in patratione miraculorum per ſe obire debuit ad Iudæos ſolos.* Quo enim referatur illud *ut* fateor me ignorare. Sed nolumus eâdem cum ipſo iniquitate agere, nec ea illi affingere, quæ in operarum culpam protinus rejiciet, privilegio ipſi uni, ut mihi videtur, indulto.

Animad. General. Part. 1. pag. 70.

Animad. General. Part. III. p. 148

Ita

Ita ne accentus Græci perperam collocati impingi illi in poſterum poſſent, ſeriò cavere voluit Cenſor in eâ, quæ agmen operis claudit, προσφωνήσει; *Alicubi*, inquit, *procul dubio in collocatione Græcorum accentuum erratum eſſe, idque ſe in nonnullis obſervâſſe.* Hac enim confeſſione ſe ab omni reprehenſione ſecurum fore exiſtimavit. Ita frequentia id genus σφάλματα à ſe in Diſſertatione admiſſa, & à Parente meo obiter notata eodem aſtu à ſe amolitur, & in operarum errores rejicit in Primâ Animadverſionum Generalium Parte. Non incautus utique aut ineptus Diſputator, qui plurima ſibi objecta operarum incuriæ inſolidum aſſcribit, ipſe interim tantùm abeſt ut id Parenti meo licitum velit, ut illum eo nomine virulenter exagitet. Ne ſtomachetur tamen Cenſor, ſi dicam illum difficulter hac in parte fidem ab iis extorſurum, qui meminerint non uno aut altero in loco ab eo erratum hac in parte, ſed in unâ ſæpe eaque exiguâ pagella ter vel quater eaſdem voces recurrentes ut φιλαληθὴς pro φιλαλήθης & alias id genus perperam ſemper accentibus notatas, idque ſolenne illi in aliis ipſius operibus. Liceat hîc mihi ejus votum nuncupare, *quàm vellem Typographus* (ſi illud penes ſe adhuc tanquam reconditum κειμήλιον aſſervat) Diſſertationis *Viri docti autographum fideliter nobis repræſentaret.* Quamvis enim hæc levia & exigui momenti videantur, ſciendum tamen id ſcriptori accurato, & in hac eruditionis parte exercitato nunquam uſuvenire, minus id tantum Criticum decere, qui ignorare non debet ſæpe exinde confuſionem, & alium ab eo quem ſcriptor intendit, ſenſum enaſci, quum notum ſit varias eſſe voces inter Græcos, quæ ſolo ſpiritu vel accentu diſtinguantur. Suum verò in voce συζητήσεως lapſum negare non ſuſtinuit Animadverſionum ſcriptor, quum nulla ſpes affulgeret illum vel minimâ coloris ſpecie Typothetis imputari poſſe, ſine gravi proſtituti pudoris notâ. Certè puerilis fuit & ridicula hallucinatio, quemcunque errori ſuo obtentum quærat. Nec enim ſi vim illius vocis Græcanicæ & ejus uſum aſſequutus eſſet, in ejus explicatione turpiter adeò erráſſet. Quod verò ait in primâ Animadverſionum Generalium Parte Theſibus Parentis mei præſcriptum titulum Diſputationis, συζήτησιν autem & Diſputationem idem eſſe, unde facile ſe inductum ut de altera quadam Diſputatione typis vulgandâ intellexerit, joculare eſt, & illius in apertiſſimo errore defendendo pervicaciæ argumentum, quæ jam abundè ſunt à Parente meo in *Exercitationibus* ſuis expenſa. Sed ſolenne eſt Animadverſionum conditori eadem ſæpius confutata audacter tamen tanquam intacta magnâ ſui æquè ac Lectoris fiduciâ reponere. Quod verò ait ſimpliciter συζήτησιν & Diſputationem idem eſſe, in eo iterum, licet jam à Parente meo edoctus, peccat. Cum reſtrictione id enim intelligendum, nam συζήτησις non quamvis in genere Diſputationem

nem ſignificat, ſed collationem potius quæ cum aliquo inſtituitur, quemadmodum συζητεῖν apud Græcos eſt rationibus cum aliquo conferre. Vnde id perperam de aliâ Diſputatione typis evulgandâ intellexit, quæ quum verſetur in nudâ alicujus argumenti ab omnibus perſonis abſtracti tractatione, συζήτησις nunquam dici poteſt. Non omittendum quoque, Cenſorem, ne in Græcâ litteraturâ hoſpes in poſterum aut minus ſubactus audire cogeretur, ſuæ nobis etiam in Græcis κρίσεως illuſtre documentum dare voluiſſe in voce *idoneus* quam dicit *fortaſſe ex Græcorum* δεινὸς *factam*. Sive verò ipſe auctor ſit præclaræ hujus etymologiæ, ſive eam aliunde hauſerit, vereor admodum ne *fortaſſe* ſpuria ſit. Nec propriè enim δεινὸς idem quod *idoneus* & qui hanc linguam vel primis labiis deguſtârunt, nôrunt aliam eſſe planè illius vocis ſignificationem. Alii vocem *idoneus* probabilius deducunt ab ἴδιος proprius, quemadmodum etiam Gallis *idoneus* reddi ſolet *propre ou convenable à quelque choſe*. Alii longius progrediuntur, & ejus originem ex ipſo oriente arceſſunt, & quidem ex Chaldæorum עדן quod *tempus*, oportunitatem, denotat. Sed cur non potius rejectis omnibus & valere juſſis hiſce Etymologiis, eam à Græco ἱκανὸς, quemadmodum etiam eâ linguâ propriè reddi conſuevit, rectà mihi deducere liceat. Nec extortam illam etymologiam aut fidiculis expreſſam quiſquam dixerit, qui levi utriuſque Linguæ notitiâ tinctus eſt, immò qui eam accuratius inſpexerit, omnium planiſſimam facilè repe-riet. Mutatur enim tantùm K in Δ & A in O nec utrumque ſine exemplis. Ita primum quod ſpectat, quas Græci κεμμάδας Siculi καμμάδας vocarunt, Latini *damas* dixerunt K in Δ ſimiliter converſo. Illâ verò litteræ A in O mutatione nihil Æolibus inprimis familarius, quibus natales ſuos debere Romanorum linguam cuivis notum. Sic pro παῖς dixerunt πόϊς & πόϊρ, unde Latinorum *puer*, ποΐω pro παίω, πολωντὰ pro παλωθὰ, unde Latinum *polenta*, πόνος pro πάνος, βόλις pro βάπις, ὀνόγυρος pro ἀνάγυρος, & ſexcenta id genus. Sic pro ἱκανὸς etiam ἱκονὸς, & κ in δ, ut ex κάμμας factum *dama*, tranſlato, Romanorum *idoneus* meo quidem judicio effluxit. Et hîc quidem manum ſiſtimus pædagogicarum id genus ineptiarum non mediocriter pertæſi: Eo tamen luto illa inquinanda fuit, & retundenda Animadverſionum ſcriptoris Grammaticum ſe magno faſtu inferentis procacitas. Eadem operâ demonſtrandum, non ſolùm Parentem meum decipulis illis, quibus ſe implicatum illum habere gloriabatur, ſolutum eſſe atque expeditum, ſed iiſdem viceverſâ irretitum manere Animadverſionum conditorem. Non veremur verò ut in Lectoris ludibrium hac in parte incurramus, qui animo reputabit ſuo, nihil hîc aliud nos egiſſe, quàm τῷ αὐτῷ ξίφει ἀντιμυκτηρίζειν.

F I N I S.

L E C T O R I.

I Am carceres mordebat hujus Speciminis *publicatio, quum ex inopino vidi mihi impoſitam tui in calce hujus* Operis *de novo compellandi neceſſitatem. Expreſſit illam mihi acer quidam pietatis ſenſus ob laceratam, quod nunc mihi primùm innotuit, putidiſſimis calumniis Optumi & beatiſſimæ memoriæ Parentis famam. Ita ut profectò crimen ducerem nullo expiandum lectiſternio, ſi tot obſtrictus modis, tot devinctus beneficiis placidè nunc in Domino quieſcenti, ejus exiſtimationem non conarer ab omni ærugine, quantum in me eſt, immunem vindicare. Miſerat ad me ante dies aliquot vir ingenio & eruditione magnus* Philippus Vincentius Iudicium *ſuum virulentiſſimæ* Animadverſionum *ſcriptoris Philippicæ oppoſitum, ex cujus lectione proclive mihi fuit colligere, Animadverſorem Epiſtolam aliquam poſt luctuoſum dilectiſſimi Parentis obitum publici juris feciſſe, in quâ cineres ejus moveret, & illius nomen indignis modis proſcinderet. Quæ res quum animum meum, quemadmodum decuit, graviter commoveret, neque tamen conſtaret ſatis, cujus farinæ illa eſſent, quibus ejus* Manes ſollicitari *innuebat Clariſſimus* Vincentius, *commodè hanc mihi ſolicitudinem exemit Theologorum decus, & mihi Parentis loco unicè colendus,* Andreas Rivetus, *miſſo ad me excerpto illius libelli Animadverſoris, in quo ſequentia totidem verbis reperiuntur;*

Agmen claudit (*eorum nempe qui ſcripta in eum parant*) Clariſſ. Spanhemius duobus ingentibus voluminibus, quorum alterum ipſius nomine inſignitum in ſpecimen Animadverſionum comparatum eſt, exiguo charactere in quarto, alterum ſub nomine Ezechielis Spanhemii exercitatoris filii deſtinatum eſt ſermonis mei vitiis caſtigandis & corrigendis. Atque in iſtis operibus urgendis tanta eſt hominis aſſiduitas, tantaque vigilantia, ut Lectiones publicas deſeruerit, & collegia privata contra morem ipſius perpetuum nulla amplius habeat, conciones publicas non frequentet & aliis pro ſe faciendis mandet, duaſque res tantùm diligenter curet atque agat, ut Amyraldum retundat, ſic enim ad me ſcripſerunt amici mei, & Mori adventum in iſtas oras impediat. Quæſo, vir Reverende, putaſne iſtum hominem zelo Ieſu Chriſti incendi, qui legitimas illas atque neceſſarias occupationes ſibi deſerendas eſſe putat, ut impugnet opinionem meam de Gratiâ univerſali? Tantine eſt impedire ne credatur Chriſtum eſſe redemptorem humani generis univerſi, ut præ ſtudio illo omnis alia res & in Eccleſiâ & in ſcholâ nihili facienda eſſe videatur? O miram Theologi præpoſteritatem, qui cum ſui omni reſpectu neglecto id unum ſatagere deberet, ut Chriſti gloriam amplificaret, ejuſque gra-

tiam, quantum poſſet, porrigeret ad omnes, poſthabitâ Chriſti gloriâ in id totus incumbit & ſudat noctes atque dies, ut videri poſſit ſtatim potuiſſe reſpondere, & propriæ gloriæ velificetur.

Fateor me hæc legentem vix propriis oculis fidem habuiſſe, & hæſiſſe aliquamdiu ad tam atrocis calumniæ lectionem non leviter perculſum. Vbi quæſo gentium & hominum fidem, ac prædicatam tanto ambitu charitatem, ſi per tam ſplendida mendacia Virorum de Chriſti Eccleſia optimè meritorum memoria traducatur, & licenter adeò in eorum æternitatis jam poſſeſſorum famam involent ejuſdem fidei & profeſſionis vinculo conjuncti! O miram utique Theologi non tam præpoſteritatem, *quàm vel incredibilem in fingendo audaciam, vel ſingularem quandam in credendo ſupinitatem? Neque enim idcirco veniæ locum quærat Animadverſor, quod ab aliis tam inſignis calumnia ad ejus aures delata fuerit, nec penes eum ſit illius impoſturæ fabrica, quum ille non adeò invidioſè ſolum & eâ iniquitate, Sed tantâ vel inprimis confidentiâ eam obtrudat, ut nollet quemquam commentum illud vel minimùm in dubium revocare. Ne ergo tam putidum mendacium tantâ ſecuritate aſſerenti quiſquam paullò à nobis remotior calculum ſuum temere poſſet apponere, & intempeſtivo ſilentio macula hæc Sanctiſſimi viri memoriæ maneret in æternum inuſta, cavendum hîc paucis viri magni jure merito cenſuêre. Teſtor hic ergo coram Deo & hominibus, merum eſſe & inſanum commentum, & ab omni veritate æquè alienum quàm quod maximè, quæ congerit hoc loco Animadverſor ad perſtringendam* τȣ̃ μακαρίτȣ *exiſtimationem.* Συμμάρτυρες *accedent mihi quoquot vel docentem hîc illum audiverunt, vel privatâ ejus familiaritate uſi ſunt, aut cum quibus litterarum illi commercium interceſſit. Nullos ille publicos, nullos privatos labores, eâ de cauſſâ quam fingit Animadverſor, intermiſit, ſeu illi ex ambone verba facienda fuerunt ad populum, ſeu ex pulpito formanda juventus Deo ſacrata, ſeu quæcunque alia fuerunt munia, quæ obire illum ex officio oportuit. Immò tantùm abeſt, ut* nullas amplius conciones habuerit, *ut poſt acceptum jamdiu* Animadverſionum *opus novam ſibi provinciam imponi paſſus fuerit & qui hac in Eccleſiâ extraordinario tantùm Paſtoris munere functus eo uſque fuerat, id continuis illius precibus & deſideriis tandem dederit, ut Ordinarii Paſtoris vices expleret. Vnde & duplicatus illi labos, & onus arduum ejus humeris de novo injectum, ut quem tot occupationibus jam ante obrutum propemodum mirarentur amici, aliis eum iterum & gravibus quidem poſſe ſufficere non parum ſtuperent. Nec ab eo tempore quidquam de ſolito penſo remiſit, aut à publicis privatiſve exercitiis temperavit ſibi, niſi cogente nonnunquam valetudine infirmâ, cum quâ per annum propemodum integrum ut jam alicubi dixi conflictatus eſt. Ea verò de cauſſâ illum umquam à docendo ſuperſediſſe, aut* aliis concionibus pro ſe faciendis mandâſſe, *quo* VINDICIAS *ſuas adornaret, tam falſum eſt quàm quod falſiſſimum: & quod pace tua dicam, Animadverſor, quia dicendum mihi eſt, purum putum mendacium. ſed*

in-

intolerandum vel inprimis eſt , quod ne publicis quidem concionibus vis illum propterea interfuiſſe , & eum omnia idcircò ſacra exercitia omiſiſſe confidenter adeo , quaſi de re certò tibi comperta loquereris, auſis affirmare. Priora quidem commenta cum indignatione non levi , iſtud ſine horrore aliquo legere non potui , quò graviſſimam piiſſimo Dei ſervo accuſationem intentas , & eum tanquàm turpem omnis divini cultus deſertorem non vereris traducere. Quàm dignus eſſet omnibus illis tuæ Rhetorices floſculis, quibus illum adeò liberaliter conſpergis , ſi talis revera fuiſſet ὁ μακαρίτης , qualem eum nobis coloribus tuis depingis , prophanum aliquem & ex eorum grege qui ſine Deo vivunt, potius quàm fidum Euangelii præconem. An atrociorem calumniam potuiſti de illo publicare , qui ſi vel nulla alia decora habuiſſet , quibus ejus nomen aliquo haberi in pretio meruiſſet , admirandæ certè nec fucatæ aut ad pompam comparatæ cujuſdam pietatis nomine, abundè ſeſe commendare potuiſſet. Nihil enim pietatis illi exercitiis antiquius , nihil quod lubentius aut frequentius admitteret , ac vel illa potiſſimùm die , quàm ut ſoli Deo ſacram ſanctiſſimis tantùm curis ſolitus fuit tranſigere. Neque enim illum ex ingenio tuo æſtimare debuiſti , qui librorum tuorum Inſcriptiones non illis tantùm diebus conſueviſti concinnare , ſed vel imprimis ipſo Paſchatis die , quo aliis rebus miniſtrum Euangelii decebat vacare. Ex quo patet quantùm ab omni abſis veritate , & quàm temere fidem tuam mendaciſſimis delatoribus , (neque enim aliter poſſum nuncupare adeò inſignis impoſturæ auctores obſtrinxeris) qui perſuaſum tibi voluêre τ͂ μακαρίτην Muſéi ſui parietibus incluſum , relictis & abjectis omnibus occupationibus aliis utut graviſſimis & urgentibus maximè, in eo ſudare dies atque noctes, *ut aliquid* Animadverſionibus *tuis reponeret. Ne ludos tibi hac in parte facias , aut credulas nimium adulatoribus tuis aures præbeas, quaſi tantâ animi contentione & tam incredibili aſſiduitate laborandum fuiſſet deſideratiſſimo Parenti in parandis* VINDICIIS *ſuis , & refellendis dicteriis partim, illa enim utramque* Speciminis *tui paginam faciunt , partim argutationibus tuis. Nihil ſolutiori ille, & minus ſub onere fatiſcenti animo exequebatur , ubi vel minimum nactus fuerat otium , quod illi ſcriptioni indulgeret , & quâ pollebat in ſcribendo facilitate ac promptitudine, una horâ plura nonnunquam ad prælum folia adornabat. Nec duo* ingentia *parabat* volumina , *quo Adverſarium ſuum obrueret , ut ſcribis Animadverſor , ſed unum tantùm , & quod in Majorem aliquanto , quàm* Specimen *tuum , molem excreviſſet , ſi nobis integrum illud tibi licuiſſet exhibere. Nam quod ingentis voluminis elogio ornare volueris ſuperiores paginas tuæ Criticæ examinandæ deſtinatas lepidum eſt , & ſolo hujus Operis conſpectu refutari facile. Quia tamen credidiſti* ſermonis tui vitiis caſtigandis & corrigendis *ſcriptum aliquod* deſtinari, *non à vero omnino aberrâſti, quod ingenti hanc in rem volumine opus fuiſſe cenſueris. Ea enim certe eſt vitiorum id genus in vaſto illo tuo* Specimine *ſeges , ut ſi vel otium vel animus etiam fuiſſet ſcrupuloſe illa & accuratè perſequi ,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

ingens ex iis volumen facilè conflari potuiſſet. Sed cuivis ex præcedentibus liquet, mihi non tam propoſitum fuiſſe ſermonis tui vitia caſtigare & corrigere, *quàm impetitæ magno ſed irrito molimine benedictæ in æternum memoriæ Parentis Latinitati pro tenuitate meâ ſuppetias ferre, & pædagogicas tuas hanc in rem obſervationes configere.* Nec *ridiculum minus aut à vero abhorrens, quod exiguæ illius opellæ Parentem meum auctorem velis pertendere, quem ex ingenio tuo metiris, &* dies atque noctes ſudare *exiſtimas Grammaticis id genus tricis excutiendis. Ejuſdem commatis ſunt, quæ de* Mori adventu in iſtas oras impediendo *captatâ occaſione inſeris, quod argumentum eſt firmiſſimum hominis in quærendâ undique materiâ inſectationis anxiè laborantis, & nihil penſi habentis, modò Parentem meum quocunque tandem pacto differret. Et quamvis multa ſint nobis ad manus, quibus rancidam illam calumniam poſſimus retundere, & quam eo nomine cum ſequacibus tuis defuncti memoriæ injuriam conaris inferre, multis amoliri, nihil attinet nunc tamen ulterius nos in hoc argumentum, quod paucis expediri non poſſet, & ab hoc loco planè alienum præter omnem neceſſitatem diffundere. Hoc unum verò nunc reſtat, Animadverſor, ut ſi adhuc aliqua candoris mica penes te reliqua ſit, credulitatem tuam affatim rideas vel deplores potius, & quæ temerè adeò & confidenter ſcripto publico conſignare auſus es, publica etiam ſcriptione revoces, & primus errorem tuum jugules. Deinde ut amicis illis tuis, quibus ad fingenda ejuſmodi commenta tantum ineſt audaciæ, amicitiam non ſolum omnem renuncies, ſed dicam etiam capitalem ſcribas, quod tam putidis mendaciis animum tuum nimis ad talia pronis auribus haurienda pronum ſoleant paſcere, atque ita publicè illa tantâ curâ proponendi anſam dederint. Si verò illi ex eorum numero ſint,* quorum nomen nulla ars à te extorquebit, *iis enim teſtibus nonnunquam uteris, & lucem refugiant tam horrendæ calumniæ auctores, melius ſibi profectò, ſed non æquè pudori tuo ibunt conſultum. Illi obſcuritate ſuâ & tuâ in celandis illis fide freti tuti in angulo aliquo deliteſcent, & pœnitentiâ procul dubio ducti illius facinoris gravibus conſcientiæ ſtimulis pungentur, tu verò nimiam credulitatem tuam prolixè debebis luere, nec ſuavia id genus commenta ſcriptis tuis infarcire, ne fidem in poſterum Lectoribus tuis difficulter extorqueas.*

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25

a f: – d –

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 25